COLLATIONES BRUGENSES.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XI

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
CB
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM
Typis Ad. Maertens-Matthys
MCMVI

27244

v. 11
1906

Collationes Brugenses

ANALECTA ASCETICA.

Libros et codices bibliothecæ nostræ versantibus nobis in manus forte incidit antiquum volumen, præter alia continens tractatulum manuscriptum, sine titulo et sine nomine auctoris; quem cum legerimus, invenimus esse quem recens ediderunt eruditi Patres Collegii S. Bonaventuræ Ad Claras Aquas (Quaracchi), veluti partem priorem opusculi sub titulo: *Formula de compositione hominis exterioris ad novitios,* quod attribuunt Fratri David ab Augusta [1].

Cum autem textui a RR. PP., inspectis licet pluribus exemplaribus, diligenter edito, præferendum censeamus textum a nobis repertum, utpote qui ex puriori et forte sat primitivo fonte haustus videtur (exscriptus autem juxta varia indicia est sæculo XV° ab aliquo sequace modernæ devotionis, ut ajunt), hunc publici juris facere utile duximus, eo vel magis quod ipse tractatulus intrinseco valore suo Clero innotescere omnino meretur, non sine magno spiritualis commodi ab omnibus legendus ac ruminandus, sive Religiosis, sive Sacerdotibus, aliisque ad christianam perfectionem aspirantibus, præprimis autem a novitiis et Seminariorum clericis.

In manuscripto nostro distinguuntur quidem capitula majori litera initiali rubra, nonnisi vero bis literis rubris et semel atramento capituli titulus fuit additus, ut suo loco indicabimus, accuratissime integrum manuscriptum, moderna tamen punctuatione addita, typis expressuri. Titulorum loco qui desunt, et forte in originali scripto defuere,

---

[1] Opuscula varia Fr. David libris tribus edidêrunt RR. PP. Collegii S. Bonaventuræ Ad claras Aquas, a. 1899, apud quos invenies notitiam vitæ et scriptorum ejusdem religiosi O. F. M., qui sæculo XIII floruit, Patriarchæ Assisinatis suppar, inter præcipuos certe istius temporis theologos asceticos numerandus. Præter auctores a RR. PP. citatos, utiliter quoque legi possunt, de Fr. David et scriptis eidem attributis, *Prodromus ad opera omnia S. Bonaventuræ,* ex typ. Bassanensi, a. 1767, a Fr. Benedicto a Cavalesio reformato scriptus; Oudin, *De Script. Eccl.,* t. III, p. 447 et 443; Fr. Ant. Veith, *Bibliotheca Augustana,* Alphab. X, Preger, *Geschichte des Deutschen mystik* etc., p. 268-283.

cum prima cujusque capituli verba plerumque loco tituli esse commode possint, apponemus notas marginales, quibus apte, nostro judicio, compendium seu idea cujusque capituli exprimitur, et ex quibus proin lector facile titulos capitulorum, si libuerit, supplebit.

Cæterum, e conspectu singulorum capitulorum textus nostri priore loco, ponemus secundo loco, caractere diverso, singula capitula textus a RR. PP. Collegii S. Bonaventuri editi, cum titulis ab ipsis appositis, ut uterque textus a lectore conferri commode possit ; post autem utrumque textum singulorum capitulorum adjiciemus quæ nobis hinc inde notanda videbuntur.

INTRODUCTIO.

Prævie considera *propter quid* veneris.

PRIMO considerare debes quare veneris, ad quid veneris, propter quid veneris. Propter quid enim venisti nisi propter Deum solum, ut fieret merces tua in vita eterna. Sicut ergo propter solum Deum venisti, ita propter nullum alium debes omittere, nec alicujus exemplo tepescere, quin studeas ad hoc ad quid venisti. Venisti enim ad servitutem Dei, cui servire debet omnis creatura ejus, quia nichil habet nisi ab ipso. Et ideo debet ei maxime omnis homo tamquam racionalis creatura dare quod est, quod scit et quod potest. Et si omnia serviunt Creatori suo pro posse, multo magis homo, quem non creavit sicut cetera sunt creata; sed insuper intellectu racionis decoravit, libero arbitrio nobilitavit, mundi dominum constituit, sibi similem fecit, sui naturam [co]assumpsit *, verbo et exemplo eum instruxit, proprio sanguine suo de morte eterna eum redemit, Spiritum sanctum ei infudit, carnem suam in cibum dedit, curam sui habet sicut mater parvuli filii sui, et eternam hereditatem sibi dare disponit. Ecce quantum nos tenemur ei servire pre ceteris crea-

Ad quid veneris.

* Syllaba *co* videtur a scriptore tractu calami deleta.

turis, et diligere super omnia ipsum, qui nos pre ceteris creaturis mundi amavit.

Formula de compositione hominis exterioris ad novitios.

CAPITULUM I. *Quid novitiis semper* [1] *considerandum.*

Primo semper debes considerare, *ad quid veneris* ad Religionem, et *propter quid veneris.* [2]

Propter quid enim *venisti?* Nonne solummodo propter Deum, ut ipse fieret merces laboris tui in vita æterna? Sicut ergo propter nullum alium venisti, ita propter nullum alium debes omittere bonum nec exemplo alicujus tepescere, quin studeas *ad id, ad quod venisti.* [3] Venisti enim ad servitutem Dei, cui servire debet omnis creatura ipsius, quia nihil habet nisi ab ipso; et ideo debes ei dare totum, quod es et quod scis et potes. Et si omnia serviunt Creatori suo pro omni posse suo, multo magis homo tenetur ei servire, quem non solum creavit sicut cetera, sed insuper intellectu decoravit, libero arbitrio nobilitavit, mundi dominum constituit, sibi similem fecit, naturam ejus assumsit, verbo et exemplo proprio eum instruxit, proprio sanguine suo de morte æterna redemit, Spiritum sanctum ei infudit, carnem suam ei in cibum tradidit, curam ejus habet sicut mater parvuli filii sui et æternam hereditatem ei dare disposuit. Ecce, quantum nos tenemur servire Deo præ ceteris creaturis et diligere super omnia eum, qui nos præ omnibus creaturis amavit.

---

[1] Melius diceretur *primo* seu prævie quam *semper*, ut ex seq. nota patebit.

[2] Adverte hanc propositionem, ut sæpe alibi, in nostro textu sermone magis conciso et *Formulæ* aptiore exprimi. Addita *semper* et *ad religionem* nobis speciem habent glossematis. Plane vero immerito omittitur 1ª quæstio *quare:* triplici enim quæstioni, ordine inverso, respondet Auctor,

1° propter quid, 2° ad quid, et 3°, initio cap. secundi, *quare*, scilicet *ad religionem* veneris ut propter solum Deum Deo servias: « Et ideo quia tibi non confidis » etc.; ductum nempe securum et efficacem obedientiæ in religione quæsivisti. Et hac opportunitate longius hic et in cap. 3° de obedientia ac reverentia etc erga superiores agit Auctor, tamquam de primaria et fundamentali virtute religiosa, et sic concludit « Introductionem » quasi Formulæ: « His de obedientia præmissis »; ut in notis marginalibus ad textum nostrum a nobis additis indicavimus.

5 Magis concinne, ut nobis videtur, in textu nostro.

Sic, *merces tua*, quod alludit ad *Gen.*, XV, 1 melius quam *merces laboris tui*. Quod autem additur omittere *bonum*, nobis videtur omnino prodere alteram manum lectoris, qui non rite intellexit mentem Auctoris, quæ est: non debes omittere quin studeas; — nec... tepescere — est incidens phrasis explicativa.

Item alia manus substituisse videtur, correctionis instar, ad *quod*, cum Auctor voluerit textum quæstionis indicare per (studeas ad) *hoc*, scil. *ad quid venisti*, et ita haud incongrue servare ipsos quæstionis terminos.

Reliqua pars capituli primi in textu nostro concinnitate nullatenus cedere debet alteri textui.

Ubi unum advertimus, in nostro pro *ejus* et *ei* legi *sui* et *sibi*, latine quidem minus recte. Quænam autem hujus rei ratio est? Ex variis indiciis nobis constare videtur scriptorem seu ammanuensem nostri textus ad scholam pertinuisse Fratrum vitæ communis et Canonicorum regularium a Gerardo Magno oriundorum, atqui hic usus *sui, sibi* pro *ejus, ei* constans est apud Gerardum Groot ejusque sequaces. An ergo scriptor noster sic mutavit textum, anvero in textu primitivo ita scriptum reperiebatur? An inde indicium quoddam quis verus auctor sit hujus Formulæ deduci forte potest? Etiamsi probabilitatem omnimodam argumentorum agnoscamus, quibus auctori F. David ab Augusta opuscula a PP. Collegii Bonaventuriani edita vindicantur, tamen aliquod nobis dubium superest, singulariter quidem quoad hanc nostram Formulam, quæ a cæteris opusculis illius Auctoris forma et stylo longe distare nobis videtur, ab eo quoque quod tamquam secundam partem libri I PP. iidem ediderunt; atque certi-

tudinem omnimodam de vero auctore ægre adipiscendam putamus. Plures enim affirmantur scriptores alicujus *Institutionis* seu *Formulæ novitiorum* (qui forte titulus brevior melius quadrat cum argumento nostri libelli), inter quos etiam Gerardus De Groote aliique ejusdem scholæ devotorum; præterea certum est textum nostri libelli a multis valde fuisse exscriptum, a multis vexatum, quibusdam plura capitula omittentibus, ut videre est in certis editionibus Operum S. Bernardi; quibusdam vero addentibus commentaria et longiores etiam citationes Patrum, ut in editione Augustana a. 1596; aliis, ut antiquis moris erat, conjungentibus hanc Formulam uno tractu cum aliis diversorum etiam auctorum opusculis, nullo aut uno tantum indicato auctore. Unde factum est ut variis, Bernardo, Bonaventuræ (huic non sine aliqua probabilitate), aliis tamquam Auctoribus fuerit a variis tributa. Antiqui tamquam patrimonium commune quæ sibi placebant scripta accipere nonnunquam solebant et usui suo adaptare, etiam mutilando aut explicando aut mutando pro libitu, nec citando quæ ab alio sic mutuabantur; excipiendo quidem sacras litteras atque, saltem plerumque, insigniorum, Patrum nempe et Doctorum, scripta.

* * *

Quare veneris *ad religionem.*

Unde sequitur *obedientiæ* princeps necessitas.

Et quia tibi non confidis ut presumas te scire quid Dominus velit, ideo commisisti te superiori tuo, ut ipse te regat; et dedisti ei manum in professione, ut ipse te ducat in viam Dei. Unde non licet te deinceps vivere sub velle tuo; sed quo ductor tuus ire te jubet, illic solum ire debes, et quod ipse prohibet debes cavere. Quia qui artem aliquam discere cupit, debet regulam sui doctoris tenere et proprias adinvenciones derelinquere, ut infirmus, qui ad huc accessiones patitur viciorum, debet servare dietam, quam medicus sibi imponit vel indicit, si cito plene desiderat sanari et purgari. Ita ut tu nichil dicas vel facias quod prælatum tuum nolle presumas. Te enim dedisti ei propter regnum cœlorum, et ideo non es tuus,

sed ejus cui te vendidisti. Et ideo nichil licet tibi agere de te sine ejus voluntate: ipse enim est dominus tue voluntatis, et ideo contractio rei alienæ invito domino furtum est; fur enim celo non appropinquat. Ipsi rectores nostri sunt vicarii Dei super nos, et nos debemus eis obedire sicut Deo, non sicut hominibus: quia non propter ipsos sed propter Deum subjecimus nos eis. Et ideo, servus non est major domino suo, talem te exhibe ei ut libere te jubeat facere vel dimittere quidquid videtur sibi expedire; quia si ille timet te, jam servus est major domino suo et discipulus supra magistrum.

Capitulum II. *De obedientia.*

Et quia non confidis tibi ipsi, ut præsumas, te scire, quid a te velit Deus; ideo commisisti te superiori tuo, ut ipse te regat, et dedisti ei manum tuam in professione, ut ipse te ducat in via Dei; unde non licet tibi deinceps vivere pro velle tuo, sed quo ductor tuus te ire jubet, solum ire debes, et quod ipse prohibet, hoc debes cavere; quia qui artem aliquam addiscere cupit sui doctoris regulas debet tenere et proprias adinventiones relinquere, et [1] infirmus, qui adhuc accessiones vitiorum patitur, debet servare dietam, quam ei medicus suus indicit, si cito plene desiderat sanari. Ita et [2] tu nihil facias vel dicas, quod magistrum tuum nolle præsumis. Te enim dedisti ei propter Dominum et [3] propter regnum cælorum et jam [4] non es tuus, sed ejus, cui te vendidisti; et ideo nihil tibi licet agere de te sine ejus voluntate. Ipse enim est dominus tuæ voluntatis, et « contrectatio rei alienæ invito domino furtum est »; fur *autem cælo non appropiat* [5]. Ipsi rectores nostri sunt vicarii Dei super nos, et ideo [6] debemus eis *sicut Domino* obedire, *et non* quasi *hominibus,* quia non propter ipsos, sed propter Deum eis subjacemus [7]. Idcirco talem te

exhibeas ei, ut libere jubeat, te facere vel omittere quidquid videtur ei expedire, quia, si ipse timet te, jam *servus major est domino suo, et discipulus super magistrum.*

---

[1] Melius *ut,* nempe proprias adinventiones derelinquere, *ut* infirmus dietam servare.

[2] Rursum præferimus *ut,* est enim repetitio explicativa supradictorum: quod prohibet debes cavere. *Ita ut* (*tu* repetitur propter longam interruptionem: qui artem... ut infirmus) *nihil dicas vel facias.*

[3] *Propter Dominum et* videtur superfluum; dicitur autem *propter regnum cœlorum,* quoniam statim ratio afferetur cur non licet agere sine voluntate superioris: quia nempe quasi furtum est, et quia fur *cœlo non appropinquat.*

[4] Ly *ideo* videtur altera manus substituisse particulam *jam,* quia statim recurrit *ideo,* quod et infra bis suppressit: et (ideo) contrectatio; (et ideo servus non est major domino suo) quod totum omisit. An jure, mox dicemus. Contra, bis addidit: et *ideo* debemus eis; *idcirco* talem te exhibeas, qua de re infra.

[5] Hæc lectio primo intuitu videtur præferenda textui nostro, qui difficilior est et contortus. Ast ideo præcise hic potius habendus est ut magis originalis, quem quidem aliquis lector ægre intelligens in alterum convertisse facile credi potest, nequaquam vero e converso alterum hunc mutasse in nostrum. Cæterum hæc nobis videtur textus nostri legitima interpretatio: Quia ejus es cui te vendidisti propter regnum cœlorum, nihil licet tibi agere de te sine ejus voluntate: *ipse enim est dominus tuæ voluntatis, et ideo* (phrasis est elliptica: si agas sine voluntate domini) *contrectatio* * *rei alienæ* (nempe voluntatis *tuæ*) *invito domino* (sine voluntate *ejus*) *furtum est; fur enim cœlo non appropinquat.* Rursum magis quidem obvium est mutare *enim* in *autem,* non vice-versa, auctor vero potius *enim* scripsisse videtur, quoniam continuo ante oculos habebat principalem propositionem, scilicet, nihil licet tibi agere de te sine voluntate ejus cui te vendidisti

---

* Verbum in textu nostro fuerat omissum, et in margine ponitur, forte per errorem scriptoris, *contractio.*

propter regnum cœlorum — quod esset furari — fur enim cœlo non appropinquat.

[6] *Ideo* videtur hic potius redundare, nam statim postea additur ratio cur obedire debeamus rectoribus non sicut hominibus sed sicut Deo : quia nempe non propter ipsos etc.

[7] Immerito omittitur : *Et ideo servus non est major domino suo ;* quod rursum non fuisse additum originali textui sed ex eo deletum fuisse censendum est, non tantum quia difficilioris interpretationis esse videtur, sed etiam quia sequentia illud prævium exigunt, nempe hæc : *jam servus major* est domino suo. Itaque sensus est : *Et ideo — Servus non est major domino suo — talem te exhibe ei ut...* nempe ut verificetur hoc verbum Domini, *quia, si ille timet te* jam non verificatur istud verbum sed *jam servus est major domino* etc.; ita ut *idcirco* (talem te exhibe) redundet, si servetur textus noster, ut supra.

*
* *

De *pace* habenda cum prælatis.

HABE semper pacem cum prelatis tuis, non detrahas eis nec libenter eis detrahere audias, quia hoc vicium Deus specialiter punit in subditis etiam in presenti; nec acriter ponderes eorum excessus sed ignosce eis quasi hominibus, quia in multis curis non potest quandoque negligencia vitari; sed sepe quod in eis reprehendimus ex nostro vicio magis est quam ex eorum culpa, quia sepe quod alius pro bono facit, quia non intelligimus intencionem ejus, pro malo judicamus. Honora eos in corde tuo et non spernas, ne forte Deum spernas cujus vicem gerunt, et propter utilitatem tuam et anime tue salutem. Ordinaciones eorum et constituciones non fastidias, quia non sine causa hoc faciunt, licet tu nescias omnes causas. Qui ambulat simpliciter in via Dei, non nocent ei sed prosunt magis ad majus meritum. Verus obediens debet sic incedere in via regia, in mandatis Dei, quod statuta humana non arceant eum in aliquo, quia ipse debet semetipsum ita

De *honore* erga superiores et *obedientia*.

artare, ut si non esset illud statutum, tamen caveret sibi ab omni quod non esset expediens: per talia enim statuta reprimuntur excessus eorum qui metas discipline transgrediuntur; lex enim propter prevaricatores posita est. — Hiis de obedientia premissis, que inicium bone religionis est, per quam ad alia transitur; et primo ad corporalia exercicia, dein consequenter ad spiritualia, quia non prius quod spirituale est, sed quod animale est, deinde quod spirituale est.

Finis Introductionis. Transitur ad varia religionis exercitia: 1° corporalia; 2° spiritualia.

Capitulum III. *De pace cum prælatis habenda.*

Habe pacem semper cum prælatis, non eis detrahas nec libenter audias eis detrahentes [1], quia Deus specialiter hoc vitium odit in subditis etiam in præsenti, ut in Cham patet, qui *verenda patris sui nudata fratribus nuntiavit* et sibi maledictionem in hoc irremediabilem acquisivit. [2] Non acriter ponderes excessus eorum, sed ignosce eis quasi hominibus, quia in multis curis non potest aliquando negligentia evitari; et sæpe quod in eis reprehendimus ex nostro vitio magis est quam ex eorum culpa, quia sæpe aliquid, quod pro bono faciunt, quia eorum intentionem non intelligimus, pro malo judicamus. Quod ad nos non pertinet nobis non usurpemus nec reprehendamus ea, quæ quo animo fiant nescimus. [5] — Honora eos in corde tuo, non spernas, ne forte et Deum spernas, cujus vicem gerunt; crede etiam, quod Deus inspiravit eis quidquid te jubent facere, [4] propter utilitatem animæ tuæ. Ordinationes eorum et constitutiones ne fastidias, quia non sine causa faciunt, licet tu nescias omnes causas. Qui autem simpliciter ambulant in via Dei, omnia [5] non nocent eis, sed prosunt ad majus meritum; nam *qui ambulat simpliciter ambulat confidenter* [6]. Servus Dei verus sic debet incedere via regia in mandatis Dei, quod statuta humana eum non arctent [7] in aliquo, quia semet-

ipsum debet arctare, ita quod, etiam si non esset illud statutum, adhuc tamen sibi caveret ab omni, quod sibi expediens non esset. Per talia enim statuta tantum reprimuntur excessus eorum, qui metas disciplinæ transgrediuntur. [8] — His de obedientia præmissis, quæ est initium boni in Religione, ad aliud transeamus, [9] et primo ad *corporalia exercitia* et ad *spiritualia* consequenter, quia *non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale.*

---

[1] *Detrahere* audias, apud nostrum, teutonicam magis quam latinam præ se fert speciem sed conformius menti atque stylo Auctoris videtur.

[2] Exemplum: *ut in Cham patet* etc. haud parum glossemati simile videtur. Imo, an accurate detractori et detractionem audienti applicetur dubitari potest. Nec illud habet editio a. 1596, ex codice Pollingensi facta, quæ tamen multa addit.

[3] Hæc addita: *quod ad nos non pertinet* etc. an ammanuensis noster e textu originali omiserit, necne, difficile dictu est. Pariter in editione cit. a. 1596 desunt.

[4] Omittit quoque noster: *Crede etiam* etc. neque videtur hæc legisse in exemplari suo, cum intelligat additum: *et* propter utilitatem tuam et salutem animæ tuæ, tamquam dependens a præcedenti: Honora et non spernas 1° ne forte Deum spernas *et* 2° propter utilitatem etc. Vel potius: *et* (vicem hanc Dei gerunt) *propter utilitatem* etc. Nolumus tamen quæ in hoc altero textu supplentur, scil. *Crede etiam* etc. tamquam certum glossema originalis textus habere, eo vel minus quod in edit. 1596 etiam inveniuntur.

[5] *Omnia* videtur adjecisse posterior manus, non intelligentis subjectum subaudiri, nempe (ordinationes et constitutiones) non nocent ei, ut in sequentibus explicatur, quomodo scilicet statuta humana non arceant seu arctent simpliciter ambulantem. Aliam lectionem habet editio 1596: « omnia placent eis et prosunt » etc.

[6] Textus hic, sicut apud nostrum, deest in edit. 1596, quamvis hæc additis abundet. Et hoc notari haud sine ratione potest, Auctorem nostrum ad textus sacros alludere potius quam eosdem citare solitum videri.

[7] In nostro textu legitur *arceant;* forte melius *arctent,* sicut et in ed. 1596, propter oppositionem ad id quod sequitur: quia ipse debet semetipsum *arctare,* ubi noster etiam ita habet. In legendo autem manuscripta illius ætatis, notandum constanter in similibus verbis omitti *c* et scribi *artare.*

[8] Hæc brevis et valde apta invocatio Scripturæ: *lex enim propter prævaricatores posita est,* etsi desit in edit. Quaracchi et in edit. 1596, vix traduci tamquam glossema posset.

[9] Phrasis correctior est, quam apud nostrum, ubi vere hæret. Sed quæri jure potest annon ideo apud nostrum potius originalis sit et ab altero correcta, qui lectionem mendosam putavit, cum tamen explicari possit hærens ista et minus correcta phrasis. Videlicet: *per quam* (obedientiam, tamquam primum, fundamentale exercitium; initium bonæ religionis) *transitur ad alia* exercitia, phrasis est quasi prægnans in mente Auctoris, quam mentem rite explicaveris supplendo: atque sic et nos transimus ad alia; et primo ad corporalia etc. Neque ab hoc modo interpretandi refugere dicendus est Auctor Formulæ, neque enim hic modus loquendi a more ejus alienus est, ut jam vidimus, v. g. supra ad cap. II, nota [5], [7].

*
* *

Mane surgas *devote.*

Consuesce cum oportune potes parum ante matutinas vigilare ut spiritus tuus dirigatur ad Deum in oracione, ut post hoc magis sobrius sis et devocior in servicio Dei et in laudibus ipsius. Et cum evigilas statim omnes cogitationes tuas abice et sompnia quæ sompniasti in nocte, quibus diabolus te libenter vellet occupare. Et primicias cogitacionum tuarum et actuum offer Deo in oracione vel in aliqua bona meditacione cum corporis exercitacione vel genuflectione, donec aliquem affectum oracionis percipias. Et cogitaciones vagas, quæ tunc maxime mentem infestant, a te abicias. Et ex hoc eris tota die ad omne opus bonum devocior et expedicior.

CAPITULUM IV. *De disciplina in dormiendo* [1] *servanda.*

Assuesce, quando opportune potes, parum ante matutina Officia evigilare, ut spiritus tuus dirigatur ad Deum in oratione, ut magis sobrius sis et devotus [2] in servitio Dei et laudibus ipsius. Cum evigilas, statim omnes cogitationes abjice de corde tuo et somnia, quæ somniasti in nocte, quibus diabolus te vellet occupare, et primitias cogitationum tuarum et actionum tuarum offer Deo in oratione vel meditatione aliqua bona cum corporis erectione [3] vel genuflexione, donec aliquem affectum devotionis concipias et cogitationes vanas, quæ tunc maxime infestant mentem, a te abjicias, et ex hoc eris tota die ad omne opus devotior et expeditior.

---

[1] Melius: in evigilando seu surgendo. Nam infra cap. VIII de disciplina in dormitorio agetur.

[2] Heic vellem attendat lector quam sæpe in sequentibus (et vid. cap. VIII, X, XIII, XVIII, XXI, XXII, XXIII, XXIV) recurrat vox *devotus, devotio.* Nonne putares hic inveniri appositionem manus alicujus e schola *devotorum* Gerardi Groot, exeuntis sæculi XIV vel sæculi XV? Hoc certum est Formulam nostram usui fuisse Fratribus et Canonicis regularibus Gerardi sequacibus.

[3] Codex noster habet verbum magis genericum *exercitatione.*

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii

—

I

Dijudica hoc effatum Loisy: « Autant que l'on peut en juger, Irénée n'avait rien appris de Polycarpe, et Polycarpe ne savait rien de particulier sur l'origine des écrits johanniques, tout au moins de l'Evangile ». (*Le quatrième Evangile*, Paris, 1903, p. 26 s.) (1).

II

Expone quomodo potuerit Christus *ut homo* cognoscere se esse Deum.

III

Ostende Christum Dominum esse præsentem in SS. Eucharistia modo non dimensivo, abstrahendo ab omni relatione cum loco et spatio.

IV

Explica, attento illo modo præsentiæ, nullam involvi repugnantiam in hoc quod Christus præsens sit in SS. Sacramento totus ac integer, quodque idem ac indivisus Christus præsens sit in cœlo.

V

Ex eodem illo modo præsentiæ erue Christum Dominum, uti est in SS. Eucharistia, nulli mutationi vel motui locali esse obnoxium, Illumque nec tangi posse nec videri corporaliter.

VI

Quid præcipit liturgia de materia et ornatu tabernaculi SS. Sacramenti?

---

(1) Cf. Corluy, *Commentarius in Ev. S. Joannis* (Prolegomena); *Revue d'histoire ecclésiastique* T. I; A. Nouvelle, *L'authenticité du quatrième Evangile et la thèse de M. Loisy*, Paris (Bloud) 1905.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

Q. *Explica Ecclesiastici monita pro tentatione II, 1-6.*

1. **Prænotatio** *de textu Ecclesiastici.* 1/ *Versionem latinam* libri Ecclesiastici non ad fidem textus hebræi sed ex græco esse factam inter omnes constat (1). Versio autem latina juxta archetypum græcum jam glossematis auctum adornata est, ac multa exhibet additamenta, quæ sæpe explicationis gratia adjecta esse videntur: *quæ additamenta in commentario et paraphrasi in parenthesi ponemus.*

Ad *græcam versionem* quod attinet, ex fragmentis hebræis nuper repertis (2) didicimus nepotem Jesu ben Sirach (3) multa liberius vertisse, interpretando quandoque errasse, vel etiam, ut ait Knabenbauer (4), hebræum non plene intellexisse et quandoque errore in legendo commisso, alium sensum expressisse. Textus hebræus præsentis loci II, 1-6 nondum repertus fuit, unde quanta libertate græcus interpres hunc locum adornaverit, certo statui nequit.

2/ Ex textu hebræo pariter elucet sententias norma plane generali efferri *distichis*, et versum absolvi duobus stichis. Id adeo constanter servatur, ut, ubi forte vel stichus deest vel tertius adjungitur, tuto judicare possis textum esse corruptum. Quanti adjumenti hoc sit ad textum genuinum eruen-

---

(1) Cf. Knabenbauer, *Comment. in Ecclesiasticum*, Parisiis 1902, p. 34; Nestle, ap. Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, T. IV, p. 545 s. — S. Hieronymus Ecclesiasticum quidem reperit hebraicum; verum eum non vertit neque antiquam latinam versionem emendavit. Habemus itaque versionem illam quæ ante S. Hieronymum adornata fuit.

(2) N. Peters, *Liber Jesu filii Sirach, sive Ecclesiasticus hebraice*, Friburgi B. 1905. — Cf. etiam *Appendicem* apud Knabenbauer, *o. c.*

(3) Cf. *Collat. Brugen.* X, p. 650 s.

(4) *o. c.*, p. 27.

dum et ad interpolationes dignoscendas etiam in versionibus, facile patet (1). — Caput II constat tribus strophis senorum stichorum. Primo numero senario distichorum traduntur *monita pro tentatione.*

II. **Explicatio**

1. Τέκνον, εἰ προσέρχῃ δουλεύειν Κυρίῳ
ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν.
Fili, accedens ad servitutem Dei
(sta in justitia et timore)
(Et) præpara animam tuam ad tentationem.

Fili. Præfatione finita (c. I, ubi exponuntur sapientiæ dignitas, modus eam attingendi et impedimenta), jam a magistro sapientiæ discipulus compellatur, ut singula præcepta diligenter audiat animoque recondat et vità exprimat, quibus ad veram sapientiam erudiatur. Primum quod quis experitur, si animum applicat ad Dei cultum et servitium est πειρασμός: *tentatio.* Illa vox ad litteram significat experimentum, exploratio, speciatim exploratio humanæ fidei, probitatis, virtutis, constantiæ; etiam sollicitatio ad peccandum sive externa sive interna, indeque res adversa, calamitas, vexatio a Deo permissa, alicujus fidei, pietati, virtuti explorandæ probandæque inserviens. Hic ultimus sensus ab auctore præcipue intenditur.

2. εὔθυνον τὴν καρδίαν σου καὶ καρτέρησον
καὶ μὴ σπεύσῃς ἐν καιρῷ ἐπαγωγῆς.
Deprime cor tuum et sustine,
(Inclina aurem tuam et suscipe verba intellectus) (2)
Et ne festines in tempore obductionis.

Deprime gr. dirige cor tuum i. e. fac id rectum et *sustine* i. e. persevera nonobstante sc. tentatione; et ne sis festinus et præceps ad impatientiam tempore

---

(1) Ità Knabenbauer, *o. c.*, p. 8 s.

(2) Verba a latino interprete interposita significant: audi et suscipe verba prudentiæ et intellectus, quibus de utilitate probationis et de Dei benignissimo consilio edocearis: sc. audi consilia prudentiæ et consolationes. Cf. Knabenbauer, *o. c.*, p. 55.

tribulationis, sed animo sedato præstolare opem et liberationem a Domino.

3. κολλήθητι αὐτῷ καὶ μὴ ἀποστῇς,
ἵνα αὐξηθῇς ἐπ' ἐσχάτων σου.
(Sustine sustentationes Dei,) (1)
Conjungere Deo et sustine
Ut crescat in novissimo vita tua.

i. e. græce: conglutinare Deo et ne discedas ab eo; quod si feceris, non deerit postmodum tandem aliquando incrementum felicitatis: ut (felicitate) crescas posteriore tua ætate. Proin spes retinenda est fore ut post tribulationem Deus prosperitatem concedat patienter sustinentibus.

4. πᾶν ὁ ἐὰν ἐπαχθῇ σοι δέξαι,
καὶ ἐν ἀλλάγμασι ταπεινώσεώς σου μακροθύμησον.
Omne quod tibi applicitum fuerit accipe
(Et in dolore sustine) (2)
Et in humilitate tua patientiam habe.

i. e. quod tibi accidat (de rebus adversis quidquid tibi adductum fuerit) id suscipe libenter, sine murmuratione (3); et in vicissitudinibus afflictionis tuæ longanimis esto seu patienter expecta.

5. ὅτι ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσός,
καὶ ἄνθρωποι δέκτοι ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως.
Quoniam in igne probatur aurum et argentum,
Homines vero receptibiles in camino humiliationis.

Nam quod metallo est ignis, id sunt homini calamitates. Ut ignis quæ sit metalli natura ostendit, non ipsum metallum vitiat, ità calamitates quid quisque sit docent; utrum constans ac solida sit hominum virtus, an sola sit virtutis umbra et imago.

Receptibiles i. e. acceptabiles sc. Deo; *Tob.* XII, 13:

---

(1) Latinus hæc addidit velut præcedentium explicationem: expecta expectationes Dei i. e. tempus liberationis tuæ a Deo statutum; vel expecta Dei auxilium.

(2) Interpositum: Et in afflictione sustine seu esto fortis.

(3) Cf. *Job.* II, 10: « fiat voluntas tua ».

« quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te » (1).

6. πίστευσον αὐτῷ καὶ ἀντιλήψεται σου
εὔθυνον τὰς ὁδούς σου καὶ ἔλπισον ἐπ' αὐτόν.
Crede Deo et recuperabit te,
Et dirige viam tuam et spera in illum.
(Serva timorem illius et in illo veterasce) (2).

Crede, i. e. confide; *recuperabit* i. e. opem feret, tuebitur. *Dirige viam tuam:* recte ambula coram eo.

III. **Paraphrasis.** 1. Fili si accedas ad servitium Dei (firmiter sta in justitia et timore Dei et), præpara animam tuam ad tentationem seu tribulationem. 2. Fac cor tuum rectum et tolera tribulationem, (inclina aurem tuam et suscipe consilia prudentiæ) et ne sis festinus et præceps ad impatientiam tempore tribulationis. 3. (Expecta patienter auxilium Dei), conglutinare Deo et ne discedas ab eo ut felicitate crescas posteriore tua ætate. 4. In hac spe, omne adversum quod tibi adductum fuerit, accipe libenter (et in tribulatione esto fortis) et in vicissitudinibus afflictionis tuæ patienter expecta. 5. Quoniam sicut in igne probatur aurum et argentum, ità homines Deo acceptabiles probantur in camino tribulationis. 6. Quare confide in Deo et opem feret tibi, et recte ambula coram eo et spera in illum. (Serva timorem illius et in illo consenesce).

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. *Sap.* III, 6; *Prov.* XVII, 3. XXVII, 21; *Zach.* XIII, 9.
(2) *Veterasce* i. e. consenesce.

II

Q. Solvatur sequens difficultas: *Peccatum mortale est voluntaria aversio a Deo; satisfactio vero est principaliter conversio voluntaria hominis ad Deum; atqui honor qui Deo tribuitur per voluntariam hominis conversionem est tam æstimabilis Deo quam Ipsi odibilis est offensa illata per peccatum; ergo ipse homo potest adæquate satisfacere pro peccato mortali.*

R. Conc. Maj.

Nego minorem. Nam hic non est consideranda conversio ad Deum et aversio ab Ipso sub formali ratione boni et mali, sed sub formali ratione *satisfactionis* et *injuriæ*.

Sane si aversio a Deo et conversio ad Ipsum, per charitatem, considerantur sub ratione absoluta *mali* et *boni*, verum est conversionem ponere hanc ipsam perfectionem quam abstulit peccatum.

Sed gravitas injuriæ et valor satisfactionis non dependent principaliter ab ipso actu qui ponitur, sed a dignitate personæ quæ offenditur et personæ quæ satisfacit. Quum enim honor sit *testificatio propriæ existimationis de alicujus excellentia vel bonitate* (1), debitum honoris eo majus et strictius est quo excellentior est ipsa persona honoranda; consequenter eo gravior etiam erit læsio honoris: ita in hierarchia, ubi varii sunt gradus superiorum, varia etiam erit gravitas injuriæ: sic v. gr. gravior est læsio honoris Summi Pontificis quam Episcopi. Quum autem Deus sit infinitæ bonitatis et excellentiæ patet læsionem honoris divini esse summam, imo *secundum quid infinitam:* est infinita hæc gravitas, quia peccatum mortale est aversio ab ipso Deo, qui est infinitæ excellentiæ; est *secundum quid* infinita, quia majestas Dei offensi non influit in peccati

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *De Justitia*, T. II, n. 122; *Collat. Brug.*, T. V, p. 469.

gravitatem nisi mediante cognitione offendentis: hæc autem cognitio est finita, imo imperfecta valde (1). Quum igitur peccatum sit offensa secundum quid infinita, Deus, qui est æquus æstimator rerum earumque privationis, gravitatem offensæ sic judicabit.

E contrario æstimabilitas honoris provenit principaliter a persona honorante: quum enim honor sit protestatio propriæ existimationis de alicujus excellentia, quo dignior seu excellentior est persona tale testimonium tribuens, eo major est valor seu æstimabilitas talis honoris. Quum autem homo sit finitus, in essentia et dignitate, quilibet honor ab homine tributus est necessario valoris finiti, nec secundum quid infinitus esse potest.

Igitur coram Deo quælibet puri hominis satisfactio nunquam in valore adæquare potest peccati gravitatem (2).

Adnotatio. 1. Inde deduces non admittendam sententiam Scoti docentis hominem posse adæquate pro suo peccato satisfacere si, gratia ornatus, actum amoris intensiorem elicit quam fuit intensus actus aversionis a Deo. En verba Doctoris Subtilis: « Dato quod satisfactio requiratur, non tamen requiritur quod satisfaciens sit Deus..... Non enim oportuit satisfactionem pro peccato primi hominis excedere totam creaturam for-

---

(1) « Nota quomodo aliter influat dignitas Dei offensi in peccati gravitatem, aliter vero dignitas personæ operantis in moralem valorem actionum et passionum Verbi incarnati. Nam majestas Dei offensi in peccati gravitatem non influit nisi media cognitione seu apprehensione offendentis; et ideo peccatum est quidem in supremo ordine injuriæ ex hoc quod peccator absolute cognoscit Deum quem offendit, sed non contrahit gravitatem simpliciter infinitam, quia divinam majestatem homo finite tantum et imperfecte apprehendit. At vero dignitas personæ operantis per se ipsam dignificat operationes; unde consequens est quod minima etiam Christi reparatio fuisset pretii simpliciter infiniti, tam in ratione meriti, quam in ratione satisfactionis ». Billot, *De Verbo Incarnato,* Romæ, 1900, p. 461.

(2) Cf. S. Thomas, III, Q. I, a. 2, ad 2; Q. XLVIII, a. 2; Jungmann, *De Verbo Incarnato,* n. 290; Billot, o. c., p. 29.

maliter in magnitudine et perfectione: suffecisset enim obtulisse Deo majus bonum quam fuerit malum illius hominis peccantis. Unde si Adam per gratiam datam et charitatem habuisset unum vel multos actus diligendi Deum propter se, ex majori conatu liberi arbitrii, quam fuit conatus in peccando, talis dilectio suffecisset pro peccato suo remittendo et *fuisset satisfactum* » (1).

Sed contra hanc opinionem est hoc, quod suprà expositum fuit, nempe valorem actus satisfactorii principaliter haberi ex dignitate *personæ* satisfacientis: unde si hæc est persona creata, licet perfectissimum eliciat actum, tamen ejus satisfactio est necessario finiti valoris, et consequenter nequit adæquata esse compensatio pro injuria cujus gravitas est secundum quid infinita.

Sed objicies forsan: actus satisfactorius elicitus ab homine donato gratia sanctificante et virtutibus infusis est valoris secundum quid infiniti: quia per gratiam homo fit particeps divinæ naturæ et ita acquirit dignitatem secundum quid infinitam. Respondeo distinguendo assertum: ille actus satisfactorius, sub ratione formali actus *supernaturalis,* habet aliquem valorem secundum quid infinitum, *Conc.;* ille actus, sub ratione formali actus *satisfactionis* habet valorem secundum quid infinitum, *nego.* Et ad rationem additam dico: gratia, quatenus est participatio divinæ naturæ, reapse homini tribuit aliquam dignitatem quæ, propter relationem ad Deum, est secundum quid infinita, et etiam omnibus actibus salutaribus confert aliquam nobilitatem secundum quid infinitam. Sed hic agitur de valore actus sub formali ratione *honoris* delati alii: gratia autem non tollit infinitam distantiam, quæ viget inter quamlibet personam creatam et Deum: quum autem honor sit testificatio propriæ existimationis de alicujus excellentia, valor formaliter *honorificus* hujus testimonii, hujusque existimationis, remanet finitus quamdiu dignitas

(1) In III, D. XX, § « Contra ea quæ dicuntur in secundo articulo. »

personæ honorantis est simpliciter finita, nec consequenter evadere potest secundum quid infinitus, etiamsi crescat dignitas hujus personæ creatæ.

2. Inquirunt theologi utrum pura creatura cum gratia Dei possit de condigno satisfacere pro suo peccato *veniali*. Quæstionis statum bene declarat De Lugo his verbis: « Non loquimur de satisfactione condigna pro pœna temporali debita pro peccato veniali, pro hac enim suppono, satisfieri de condigno ab homine justo per opera pœnalia: sed loquimur de satisfactione pro culpa, nam sicut peccatum mortale graviter offendit Deum et manet Deus rationabiliter aversus et indignatus in hominem; ita cum proportione peccatum veniale continet aliquam levem offensam Dei, et relinquit Deum rationabiliter, sed leviter indignatum in hominem, quæ levis aversio tollitur, quando Deus sufficienter placatur, vel liberaliter remittit illam offensam. Inquirimus ergo, an hæc offensa ex veniali relicta talis sit, ut requiratur Deum eam liberaliter condonare, an potius possit condigne per hominis obsequia expiari, ita ut jam non maneat Deus rationabiliter indignatus » (1).

Sic positæ quæstioni respondendum videtur hominem justum posse de condigno satisfacere pro peccato veniali a se commisso. Nam peccatum veniale, licet dici possit aliqua Dei offensa, non est tamen *simpliciter* offensa aut læsio honoris: peccatum enim veniale non est *aversio* a Deo, sed tantum retardatio in tendentia ad Deum, tamquam ultimum finem, remanente habitualiter amore Dei super omnia: « unde peccans venialiter similatur ei qui nimis moratur in via, et hoc non est averti nisi secundum quid; sicut etiam quod retardat motum corporis gravis, non aufert gravitatem et inclinationem in finem; auferret autem si contrarium sibi motum daret, ut quando ex gravi leve generatur » (2).

---

(1) *De Mysterio Incarnationis*, Disp. V, sect. VII.

(2) S. Thomas, in II, D. XLII, Q. I, a. 3, ad 5; cf. Billot, *De natura*

Quum igitur veniale peccatum *non sit læsio honoris divini*, non requiritur, ut adæquate reparetur, *obsequium* cujus valor *honorificus* sit *secundum quid infinitus:* consequenter non viget hîc impossibilitas adæquatæ satisfactionis sicut habebatur pro peccato mortali; sed adæquate reparatur peccatum veniale per actum qui compensat perversionem ordinis inductam per peccatum veniale: talis autem est ex genere suo omnis actus vel elicitus, vel imperatus a charitate, qui attritionem seu retractationem de peccato commisso contineat (1).

Si admittatur hæc responsio, jam otiosa videtur ulterior quæstio quæ ponitur, utrum ad hoc ut satisfactio sit adæquata, requiratur aliquis favor a Deo superadditus, vel condonatio Dei: nam si actus bonus, *per se*, *natura sua*, valet ad reparationem peccati venialis, jam perit omne id propter quod Deus erat rationabiliter, licet leviter, indignatus in hominem, et necessario Deus condonat peccatum.

J. Van der Meersch.

III

Q. *Indica conditiones requisitas ad validam susceptionem alicujus in Baptismo.*

Prænota. Agitur hic de sola susceptione seu de officio patrini in collatione sacramenti Baptismatis, uti patet ex tenore quæstionis et innuitur in ipsa voce susceptionis. Seponimus proinde officium patrini peragendum in Confirmatione et in suppletione cæremoniarum, quod alterum officium correspondet illi quod olim exercebatur in admissione adulti ad catechumenatum ejusque

---

et ratione peccati personalis, Romæ, 1894, p. 105 et ss. — Inde peccatum, non univoce, sed *analogice*, dicitur de mortali et de veniali: cf. *Collationes Brugenses*, T. VIII, p. 45 et p. 331.

(1) Cf. S. Thomas, III, Q. LXXXVII, a. 2 et a. 3; Suarez, *De Incarnatione*, Disp. IV, Sect. II, n. 4; De Lugo, op. c. I, c.; Pesch, *Tractatus Dogmatici*, T. IV, Friburgi Brisgoviæ, 1896, n. 369; Billot, *De Pœnitentia*, Romæ, 1895, p. 90.

præparatione ad Baptismum. Nimirum primis Ecclesiæ sæculis fuit mos ut in spiritualis initiationis ritu adhiberentur sponsores qui initiando assisterent in præparatione ad Baptismum, in ipso Baptismate, et in Confirmatione, quæ Baptismum immediate consequebatur; qui sponsores initio probabiliter iidem accedebant pro triplici munere, adeo intime connexo, postea vero, uti videtur, distincti fuerunt assumpti, distinctos consequentes effectus (1).

Respondetur.

Conditiones ad *validam* susceptionem in Baptismo requisitæ sunt sequentes:

1°/ ut *Baptismus valide conferatur*, adeo ut non censeatur prolem suscepisse ille qui munus susceptoris obiit in Baptismo invalido. Quodsi dubii valoris fuerit Baptisma, dubia erit susceptio ac proinde dubia erit cognatio spiritualis ex ea oriunda: quod dubium opportune solvitur eumdem susceptorem adhibendo in iteratione conditionata.

Non referre censemus utrum sacramentum solemniter fuerit administratum an vero privatim et absque cæremoniis, in necessitatis casu (2). Equidem controvertitur inter Auctores utrum valida sit hujusmodi susceptio et signanter utrum sortiatur suum effectum

---

(1) Bonifacius VIII, c. 2, tit. III, L. IV, in VI° Decretalium: « Per catechismum qui præcedit Baptismum.... cognatio spiritualis contrahitur, per quam contrahendum matrimonium impeditur ». Cf. c. 100, Dist. IV, *De Consecrat.*, referens dispositionem Pœnitentialis Theodori, III, c. IV, § 8: « In catecumino et baptismate et confirmatione unus potest esse pater, si necesse est, non tamen consuetudo, sed *per singula singuli* suscipiunt ». Cf. Esmein, *Le mariage en droit canonique*, Paris, 1891, t. II, p. 374; Freisen, *Geschichte des canonischen Eherechts*, Paderborn, 1893, p. 513, 534-536; Leitner, *Lehrbuch des katholischen Eherechts*, Paderborn, 1902, p. 266; Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes*, Gratz, 1898, t. II, p. 361 s.; Corblet, *Histoire du sacrement de Baptême*, Paris, 1882, t. II, 215.

(2) Quod spectat obligationem adhibendi patrinum in Baptismo privato, hoc nullibi in jure communi præscribitur nec etiam prohiberi videtur. Item in *Pastorali Brugensi* nec præceptum datur nec prohibitio, cum simpliciter dicat non esse opus patrino, p. 23.

cognationis spiritualis (1); atvero res omnino dirempta videtur inde a declaratione S. C. Concilii, 5 Martii 1678; quæ, re mature perpensa, respondit affirmando ad dubium propositum: « an dispositio Concilii Trid., c. 2, Sess. XXIV, *De Reformatione matrimonii*, decernens in sacramento Baptismatis contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti, locum habeat in Baptismo sine solemnitatibus domi secuto ». Cæterum quod attinet cognationem spiritualem, præcise sequitur, uti infra notabitur, ipsum sacramentum regenerationis non autem cæremonias. Cf. N. R. th., XII, 634 s.; Rosset, *De Sacramento matrimonii*, 1895, t. III, nº 1866; Feye, *De Impedimentis matrimonii*, n. 413; Gasparri, *De Matrimonio*, t. I, n. 739; Leitner, op. cit., p. 255; et signanter Wernz, *Jus Decretalium*, Romæ, 1904, t. IV, n. 489, ubi tota quæstio dilucide exponitur.

2°/ ut *suscipiens sit baptizatus*. In c. 102, Dist. IV, *De consecratione*, decernitur: « In Baptismate vel in chrismate non potest alium suscipere filiolum qui non est ipse baptizatus vel confirmatus ». Licet hoc in decreto non appareat agi de valore actus, ad hunc tamen auctores passim exigunt caracterem baptismalem in susceptore, idque meritò, cum absurdum sit, uti advertit Gasparri, l. c., n. 740, « patrem spiritualem esse illum qui spiritu nondum est natus ».

3°/ ut suscipiens habeat *usum rationis* et *intentionem* habeat saltem virtualem suscipiendi seu agendi patrinum.

Non potest igitur valide munus exercere patrini puer rationem nondum adeptus nec adultus rationis non compos, puta perfecte ebrius. Neque sufficit ut susceptio peragatur mere materialiter, sed formaliter obeatur oportet, et inde ignorans se patrinum agere invalide

(1) Omnes admittunt in Baptismo privato cognationem contrahi a baptizante.

suscipit nec defectui supplere valet intentio postea accedens, sed debet comitari susceptionem.

Notum est posse adhiberi procuratorem, quo casu patrinus existit et cognationem contrahit ipse mandans, non vero procurator illius nomine agens; rursus autem opus est ut mandatum præcesserit susceptionem et ita non est susceptor ille qui ignorans eligitur in patrinum et cujus inscii nomine proles suscipitur, quantumvis ejus intentio præsumatur; nec etiam ille qui electus munus acceptavit sed neminem suo loco commisit, etsi aliquis ex præsumpta voluntate vices ejus suppleverit. Cf. decisiones Romanas apud ROSSET, l. c., n. 1845 et DE BECKER, *De sponsalibus et matrimonio*, p. 223, et signanter Instructionem C. S. O. 15 Sept. 1869, apud N. R. th., IX, p. 555 ss.

4°/ ut *non erraverit* substantialiter *circa personam,* nisi intentione absoluta voluerit suscipere personam præsentem.

5°/ ut *physico tactu teneat* vel suscipiat baptizandum (1). Ad quod, juxta declarationem S. C. de P. Fide, 21 Jan. 1856, « haud susceptio absoluta requiritur, cum tenere æque intelligatur ac sufficiat si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis, jungat se cum eo cujus manibus ille tenetur, et ad aquæ infusionem comitetur deferentem, quin opus sit ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat ». *Collectanea S. C. de P. Fide,* n. 627. Nimirum satis est ut patrinus vel matrina pro more ponat manum super humerum vel pectus prolis baptizandæ sub ipsa sacramentali ablutione (2), nec physicus postulatur tactus immediatè in pelle, sed mediantibus vestibus fieri potest.

---

(1) Quod non sufficiat tactus moralis, et quonam sensu non sufficiat vindicat FAGNANUS, *Commentar.* in IV L. Decretalium, cap. *Veniens,* n 1-9.

(2) Olim, in Baptismo per immersionem collato, patrinus suscipiebat baptizandum seu levabat de fonte. Unde locutiones: suscipere, levare e fontibus. Cf. *Kirchenlexion,* V° Pathen.

Valet etiam, id declarante S. C. Concilii, 20 Dec. 1653, si in patrinum electus prolem baptizandam e manibus sacerdotis baptizantis acceperit immediate (1), licet in ipso actu baptizandi illam non tetigerit: quod spectat loca in quibus viget consuetudo ut ipse sacerdos puerum quem abluit detineat. Quinimo probabilius sufficit ut patrinus infantem quem tenet, immediate ante Baptismum, baptizanti offerat ac porrigat. FAGNANUS, o. c , cap. *Veniens*, n. 13 ss.; FEYE, o. c., n. 418; GASPARRI, o. c., n. 744, sub b/; WERNZ, o. c., n. 492.

6°/ Si designatio fuerit facta, oportet *ut legitime designatus fuerit.*

Nimirum præcipitur ut designatio fiat (2); et, si reipsa facta fuerit, est conditio sine qua non ad validam susceptionem, ita ut nemo præter designatos munus patrini validè exercere possit; designati autem et aliunde requisita adimplentes valide suscipiunt etiam ubi, contra statutum Tridentinum, plures sint uno et una; clausula namque *unum tantum vel unum et unam dumtaxat* adhibendi prohibitiva est non vero irritativa (3).

Attamen probe notandum designationem, si præcipitur, non imponi *sub pœna nullitatis*, et ita, si neglecta fuerit, equidem valide exercetur munus susceptoris ab omnibus suscipientibus, utut non designatis, etiamsi, uti censemus, plures sint uno et una; et rursus ratio est quia utraque clausula de designatione facienda et de non excedendo numero duorum præceptiva est tantum et non irritativa. Cf. SCHEFER, o. c., p. 319, nota 45; FEYE, o. c., n. 421; ROSSET, o. c., n. 1889.

7°/ ut *non sit juste rejectus* a parocho ejusve delegato.

---

(1) Contra ROSSET, op. cit., n. 1883, non videtur sufficere ut *mediate* acceperit prolem e manibus sacerdotis, puta mediante obstetrice; nec stringit argumentum quod deducitur ex decreto S. C. Concilii, 18 Dec. 1688.

(2) Conc. Tid., Sess. XXIV, cap 2, *De Reformatione matrimonii.*

(3) REIFFENSTUEL, *Jus canon. universum*, in L. IV, Tit. 11, n. 21; FEYE, o. c , n. 420, 422, ROSSET, o. c., n. 1890; GASPARRI, o. c., n. 744; DE BECKER, o. c., p. 222; LEITNER, o. c., p. 258; *Kirchenlexicon*, l. c.

Designatio facienda, de qua suprà, spectat primario ad ipsum baptizandum, si adultus est, vel ad parentes, et secundario tantum ad Episcopum vel parochum ejusve delegatum. Qui ergo rite et legitime fuerit designatus, si a parocho injuste rejicitur, valide tamen exercet munus patrini, si aliunde requisitis fecerit satis; jus autem habet parochus ut indignos vel a jure prohibitos repellat et jure rejecti a parocho nequeunt valide suscipere prolem; quod jus parochi ex eo est quod patrini designantur parocho, utpote sacramenti ministro et Ecclesiæ præscriptionum vindici.

IV

Q. *Describe effectus validæ hujusmodi susceptionis in Baptismate.*

Respondetur.

Susceptor in Baptismate contrahit:

1/ **Obligationem curandi instructionem et educationem christianam** pupilli sui. Seipsum namque constituit pro ipso fidejussorem, spondens coram Ecclesia de futura ipsius fidelitate, ac adeo officium in se assumpsit, pro posse et in quantum opus est, strenue adlaborandi ut in veritatibus christianis rite instructus vitam ducat christianam.

Quod egregie inculcat Catechismus Conc. Trid., *De Baptismi sacramento*, n. 28: « Hoc igitur universe susceptores semper cogitent se hac potissimum lege obstrictos esse ut spirituales filios perpetuo commendatos habeant, atque in iis, quæ ad christianæ vitæ institutionem spectant, curent diligenter ut illi tales se in omni vita præbeant quales eos futuros esse solemni cæremonia spoponderunt ».

Radix igitur hujus obligationis non videtur esse in paternitate spirituali quam induit patrinus ratione susceptionis in sacramento regenerationis, sed in *fidejussione et sponsione* quam susceptor pro illo quem suscipit censetur præstasse, vi ipsius muneris quod

exercet quodque dictam fidejussionem directe importat. Nimirum, juxta primævam institutionem, primario assumpti fuisse videntur patrini in Baptismo non quasi parentes spirituales, ratione regenerationis spiritualis, ad instar parentum naturalium, sed præcise quasi sponsores et fidejussores, ut fide ipsorum et sponsione nitens Ecclesia tutò ac securè potuerit postulantes admittere ad Baptismum (1), (quæ cautela, signanter initio Ecclesiæ, opportune adhibebatur); et ideo etiam in antiquioribus documentis non alio nomine vocantur quam *sponsores et fidejussores* (2).

Equidem accessit postea ratio paternitatis spiritualis (3), et inde strictior apparuit et manifestior obligatio providendi educationi ac instructioni christianæ, sed non oritur primario ex illa paternitate (4).

---

(1) Uti jam monuimus, olim aderant etiam in admissione adulti ad catechumenatum sponsores, sive iidem sive a sponsore Baptismatis distincti qui et ipsi fidejussores essent pro catechumeno eique assisterent in scrutiniis et præparatione ad Baptismum, ac obligationem in se assumerent christianæ instructionis perficiendæ; cumque hoc officium nunc confundatur cum munere susceptoris Baptismi solemnis, utpote simul assistentis cæremoniis ablutioni præviis, quæ variis stadiis catechumenatus correspondent, duplici titulo sponsor existit et fidejussor prolem suscipiens in Baptismate solemni, ac duplici titulo obligationem de qua suprà contrahit. Qua ratione intelligitur obligationem illam contrahi etiam in Baptismo privato, absque cæremoniis celebrato, necnon in mera suppletione cæremoniarum, licet utrimque unico tantùm titulo.

(2) Ita apud Tertullianum, cujus testimonio antiquius non datur: « Quid enim necesse est, si non tam necesse, *sponsores* etiam periculo ingeri? qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt et proventu malæ indolis falli ». *De Baptismo*, c. 18. Testimonia quæ vetustioribus auctoribus adscribuntur non sunt authentica, uti c. 100, Dist. IV, *De consecr.*, quod Hygino Papæ tribuitur, item sic dictum excerptum Dionysii Areopagitæ, *De Hierarchia ecclesiast.*, c. 7, quod probabilius refertur ad V^m^ sæculum. Cf. Bardenhewer, *Patrologie*, Friburgi, 1894, p. 284 et seq.

(3) Hæc ratio paternitatis sæpius apparet inde a S. Augustino et pseudo-Dionysio; deinceps baptizati vocantur filii spirituales vel filioli (c. 5, Causa XXX, qu. 1), susceptores vero parentes vel inde ob octavo sæculo patrini.

(4) Ita in Concilio Arelatensi VI, anno 813, quando jam insistitur in paternitate spirituali, deducitur obligatio educandi ex fidejussione: « Ut

Porro descriptæ obligationi obnoxii sunt patrini *erga Ecclesiam*, coram qua fidejussores sese constituerunt pro baptizando; hæc autem obligatio non est meræ fidelitatis, sed *justitiæ,* ratione quasi-contractus initi cum Ecclesia, quæ susceptoris munus instituens et approbans tacite acceptat sponsionem factam.

Attamen non urget exequenda nisi in quantum officio suo desunt parentes naturales, quippe quibus primò incumbit munus christianè instruendi ac educandi proles.

II/ **Cognationem spiritualem**, et inde exoriens impedimentum dirimens matrimonii.

Quemadmodum modò vidimus, primitus magis attendebatur, in munere susceptoris, sponsio et fidejussio quam spiritualis paternitas et cognatio, quæ nonnisi postea manifestior apparet in documentis ecclesiasticis. Ad hanc relationem paternitatis et filiationis spiritualis duxisse videtur analogia satis obvia inter regenerationem spiritualem et generationem naturalem, adeo ut proprie dicta cognatio spiritualis censeatur oriri ex sola susceptione in ablutione regenerativa, et exinde transierit quasi per appropriationem ad catechismum, Confirmationem, imo et Pœnitentiam (1).

Jamvero ex cognatione spirituali ratione Baptismatis

---

parentes filios suos, et patrini eos quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant, illi quia eos genuerunt...; isti *quia pro eis fidejussores existunt* ».

(1) Nonnullus forsan opinabitur rationem paternitatis spiritualis deduci ex ipsa sponsione et fidejussione, quam vidimus primario importasse munus susceptoris, quatenus sponsio illa secum ferat obligationem curandi instructionem et educationem christianam pupilli, ac adeo sponsorem constituat simul custodem, instructorem et pædagogum in vita spirituali, quod vinculum censetur inducere aliquam paternitatem spiritualem; qua ratione cognatio spiritualis directe affecisset patrinos e catechismo et non secundario tantum et per appropriationem. Atvero præplacet data explicatio, quatenus nempe proveniat paternitatis ratio ex regeneratione baptismali, unde a susceptore Baptismatis transierit ad catechismum, utpote præparationem ad sacramentum regenerationis, ad Confirmationem illud perficientem, et tandem ad Pœnitentiam, utpote mortuum ad vitam reducentem. Quod confirmant c. 1, Causa XXX, qu. III, et c. 2, tit. III, in VI° Decret.

ortum est *impedimentum matrimonii,* illudque dirimens, quod etiam transiit ad cognationem spiritualem ex confirmatione; pro cognatione autem ex catechismo, statutum est a Bonifacio VIII, c. 2, tit. III, l. IV, in VI°, interpretante decretum Clementis III, c. 5, tit. XI, L. IV Decret., contrahi impedimentum impediens non autem dirimens (1).

Quod spectat *tempus* quo cognationi ex Baptismo adnexa est vis irritativa, primum vestigium impedimenti (2) occurrit L. 26, cap. *De Nuptiis,* Justiniani Imperatoris anno 530 (3); quæ dispositio juris civilis Romani, si non est ex antiquiore jure ecclesiastico mutuata, sancire videtur consuetudinem jam existentem habendi illam cognationem uti matrimonio obstantem inter suscipientem et susceptum.

In Concilio Trullano, anni 692, et Romano, anni 721, jam statuitur impedimentum inter susceptorem et parentes naturales suscepti, et sic successive ampliatum est dictum impedimentum adeo ut non tantùm esset impedimentum *paternitatis,* inter levantem seu baptizantem scilicet et baptizatum, sed etiam *compaternitatis* tum directæ, tum indirectæ (4), imo et *fraternitatis* (5).

---

(1) Pro Pœnitentia cf. *Dictum* ad c. 7, Causa XXX, qu. I, et c. 8; Freisen, o. c., p. 536-537.

(2) Capita quæ traduntur a Gratiano uti antiquiora sunt spuria vel incerta. Cf. Freisen, o. c., p. 508.

(3) « Ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda, quam aliquis, sive alumna sit sive non, a sacrosancto suscepit Baptismate: cùm nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt ».

(4) « La compaternitas directa était celle.... qui existait entre le père et la mère naturels d'une part et le père et la mère spirituels d'autre part. Mais chacune de ces personnes était aussi dans les mêmes relations avec le conjoint de son compère ou de sa commère pourvu que ceux-ci eussent été mariés et leur mariage consommé avant le baptême ou la confirmation d'où naissait la cognatio spiritualis ». Esmein, o. c., p. 371.

(5) « Le baptizatus, filius spiritualis, fut considéré comme le frère spirituel des enfants naturels de ses parentes spirituales, et par voie de conséquence le mariage fut déclaré interdit et nul entre lui et eux ». *Ibidem,* p. 372.

Cujus successivæ evolutionis stadia videsis latius exposita apud ESMEIN, o. c., II, p. 364 et ss., et FREISEN, o. c., p. 507 et ss., qui alter Auctor, p. 531-532, vindicat nunquam viguisse impedimentum inter patrinum et matrinam inter se (1).

Reduxit autem Conc. Tridentinum limites impedimenti ex cognatione spirituali, ac sustulit omnem cognationem spiritualem aliunde orientem quam ex Confirmatione et Baptismo, et pro hoc utroque sacramento abrogavit impedimentum fraternitatis et compaternitatis indirectæ, sola relicta paternitate et compaternitate directa, adeo ut restringatur cognatio ejusque vis irritativa ad baptizatum ejusque parentes ex una parte et susceptores ac baptizantem ex alia parte. Sess. XXIV, c. 2, *De Reformat. matr.*

Quod tandem *vim irritativam* impedimenti attinet, reddit invalidum matrimonium contrahendum, non vero dissolvit contractum, sed, conjugio valido superveniens, privat partem quæ cognationem contraxit jure petendi debitum. Ita si alteruter conjugum propriam prolem vel prolem alterius partis suscipit vel baptizat, contrahit cognationem cum comparte et eo ipso privatur jure petendi debitum: quam tamen privationem in pœnam statutam non incurrit quotiescumque ex necessitate abluerit prolem (2) vel baptizaverit aut susceperit ex ignorantia legis vel pœnæ (3), nec etiam si ex malitia egerit in fraudem compartis (4), adeo ut practice vix

(1) *Compater* et *commater*, inter quos existit impedimentum, designant non patrinum et matrinam inter se, sed patrem spiritualem ex una parte et matrem naturalem ejusdem prolis, et vicissim. Cf. ESMEIN, o. c., t. II, p. 367 s.

(2) C. 7, Causa XXX, qu. I, (Joannis VIII, 879).

(3) C. 2, L. IV Decret., tit. XI; « si vir vel mulier... sive ex ignorantia sive ex malitia id fecerint (filium suum susceperint), non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possent induci; quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus ».

(4) *Ibidem*. Dicitur autem ex malitia egisse in fraudem compartis

attendenda sit cognatio superveniens, bene vero antecedens (1).

Conclusio. Susceptio rite peracta in Baptismo, sive solemni sive privato, inducit, ratione fidejussionis quam munus patrini importat, obligationem providendi instructioni et educationi christianæ suscepti, necnon cognationem spiritualem cum inde exsurgenti impedimento dirimente matrimonii, ratione paternitatis spiritualis in regeneratione baptismali. Patrinus autem in suppletione cæremoniarum solam contrahit obligationem de qua suprà, non vero cognationem spiritualem.

Nota. Susceptoris est passim nomen imponere proli baptizandæ; quocirca monet *Pastorale Brugense,* p. 23: « Caveat etiam parochus ne baptizandis imponantur nomina obscœna, ridicula aut inanium deorum vel hominum ethnicorum; sed sanctorum Dei tantùm, maxime novi Testamenti, quorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis adjuventur ». Quodsi difficulter dissuaderi potest patrinus ab imponendo incongruo nomine, non importune insistat sacerdos baptizans, modò et alterum imponatur nomen alicujus sancti, sub cujus nomine Baptismus conferatur (2). Cf. Catech. Conc. Trident., *De Baptismi sacramento*, n. 76.

Circa originem et praxim olim servatam in nominis impositione, cf. CORBLET, o. c., t. II, pp. 223 ss.; *Stimmen aus Marialaach*, 1902, p. 171, seq.

---

quando, uti notat FEVE, o. c., n. 427: « quis intendit compartem suam frustrare seu impedire usum conjugii in eam rejiciendo onus petendi »; tali enim, juxta modò relatum decretum Alexandri III, non debet patrocinari fraus.

(1) Caute inquirat parochus circa hoc impedimentum, signanter ubi agitur de matrimonio inter affines vel amicitiæ vinculo conjunctos, juxta sapiens monitum *Libri Manualis,* ed. 2ª, p. 189. Pariter prudentia suadet ut in Baptismo illegitimorum omittatur patrinus, non tantum ratione vitandæ solemnitatis, sed potissimum ne impedimentum obsit matrimonio forsan contrahendo inter patrinum et prolis matrem. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 556.

(2) « Quo in casu, monent *Acta Concilii Americæ Latinæ,* anni 1899, n. 506, utrumque nomen, impium tamen vel scandalosum intra parentheses, in libro baptizatorum notetur ».

V

Q. *Quinam generatim a munere susceptoris in Baptismate sunt removendi?*

Respondetur:

1°/ omnes illi qui non possunt illud munus valide exercere, quales sunt infideles, infantes rationis usum nondum adepti, insani mente et quicumque non compotes sui, necnon illi qui præter designatos accedunt, juxta dicta sub responso ad III^m^ Quæstionem.

2°/ illi qui non sunt apti ad exequendam obligationem munus susceptoris consequentem, curandi nempe instructionem et educationem baptizandi; et ita removendi sunt hæretici et ignorantes rudimenta fidei; quo titulo etiam « patrinos saltem in ætate pubertatis ac sacramento Confirmationis consignatos esse maxime *convenit* ». Rit. Rom. — *De Sacram. Baptismi*, n. 24.

3°/ indigni qui ad hoc officium assumantur, quales sunt publice infames et criminosi (1), excommunicati et interdicti. Qui omnes passim etiam titulo sub 2°/ allato forent removendi.

4°/ nonnulli peculiariter *a jure prohibiti*. Hujusmodi prohibitiones sunt:

a/ ne admittantur plures quam *unus et una*. Nimirum in Concilio Tridentino, Sess. XXIV, c. 2 *De reformatione matrimonii*, statuitur ut « unus tantùm, sive vir sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant » (2). Satis igitur est unum patrinum adhibere vel

(1) « Inter publice criminosos .. censeri debent qui impletis dumtaxat formis civilibus maritaliter vivunt ». Ita Synodus diœcesis Mech. anni 1872; item *Conc. Amer. Latinæ*, anni 1899. in Actis, n. 505. In Instructionibus autem datis a Card. Deschamps, occasione infaustæ legis scholaris, providetur: « Qui in materia scholari obligationibus suis desunt, hanc ob causam a munere patrini vel matrinæ .. non sunt repellendi ». Quod idem decrevit Episcopus Brugensis. *N. R. th*, XII, p. 288.

(2) Sub antiquo jure Decretalium, uti refertur c. 3, tit. III. L. IV, in VI^a^ Bonifacii VIII, et c. 101, Dist. IV, *De Consecr.* (anni 922) ad susci-

unam matrinam, sed duo susceptores eligi possunt: hac tamen lege ut non duo viri assumantur vel duæ feminæ sed vir et mulier; nihil tamen impedit quominus præter patrinum adsit alter vir tanquam procurator suscipiens nomine mulieris.

b/ ne suscipiant « monachi, vel sanctimoniales neque alii cujusvis Ordinis regulares a sæculo segregati ». Rit. Rom., l. c., n. 26.

Quæ prohibitio occurrit c. 20, causa XVIII, qu. II, cc. 103 et 104, Dist. IV, *De consecr.*, in quibus locis stricte vetatur quominus monachi proles suscipiendo sibi faciant commatres seu fiant compatres matris prolis baptizandæ, juxta notiones datas suprà, p. 34-35.

Ratio autem hujus prohibitionis fuisse videtur ut evitarent familiaritatem cum mulieribus, et signanter cum matre prolis, per susceptionem facta commatre; peculiari namque familiaritate ad invicem uti solebant olim patrinus et mater filii spiritualis, quæ familiaritas tanta non existebat inter baptizantem et parentes naturales (1).

---

piendum accedere nequibant plures quam unus *vel* una. Atvero deinceps in desuetudinem abiit illa lex et duo, tres et amplius, adhibebantur patrini in sæculis posterioribus, et ita, uti notat Corblet, o. c., t. II, p. 204 et ss., non rarò in nobilium familiis assumebantur 20 vel et 100 patrini, imo interdum integrum municipium postulabatur munus patrini exercere. Quem abusum tollere voluit Synodus Tridentina, providè restringendo numerum patrinorum infra duos, « tum quia disciplinæ atque institutionis ordo a multitudine magistrorum perturbari poterat; tum quia providere oportebat ne inter plures ejusmodi affinitates conjungerentur, quæ impedirent quominus legitimo matrimonii vinculo hominum inter homines societas diffunderetur ». Catech. Conc. Trid., l. c., n. 30.

(1) Cf. Freisen, o. c., p. 508 et 515, ubi notat inter susceptores et parentes baptizati extitisse jus donandi et osculandi. Ibidem citatur textus, quatenus « monachis interdicitur compaternitas suscipiendo, non baptizando, quia major solet esse ibi familiaritas, quam hic, osculando et donando ». Sic explicatur quomodo c. 104, quod retulimus, immediate post prohibitionem monachis factam sibi commatres faciendi, connectatur: « nec osculentur feminas »; et quomodo, c. 20, C. XVIII, qu. II, adeo severe insurgatur contra monachos, sibi commatres efficientes: « Pervenit ad nos quod in monasterio tuo passim mulieres ascendant, et

c/ ne patrinum vel matrinam agant *parentes*. Quod ideo est quia si alteruter prolem propriam susciperet, contraheret cum comparte cognationem spiritualem privantem jure petendi debitum, ad normam dictorum sub responso ad quæstionem IV^m (1).

Accedit ratio inducta a Catech. Conc. Trid., l. c., n. 29, quatenus præstet curationem spiritualem aliis committere, « ut ex eo magis appareat quantum hæc spiritualis educatio a carnali distet ».

Attamen si contingeret, puta in locis missionum, neminem, præter parentes, posse patrini partes explere, nihil impedit, docet O. C. S. Officii, in Instructione 15 Sept. 1869, apud *Nouv. Rev. théol.*, IX, p. 455, quominus (parentes) patrinorum vices gerant, suos infantes *materialiter* tenendo et pro eis baptizanti respondendo, citra tamen veri et proprie sumpti patrinatus prærogativam, videlicet citra necessitatem obeundi onera quæ ejusmodi munus secum fert, contrahendi impedimentum cognationis spiritualis usum matrimonii prohibens ».

Nota. Quoad *modum agendi*, prudenter procedere debet parochus ejusve delegatus in accessu incapacis, indigni vel a jure prohibiti: ne eum inurbane ac petulanter a munere patrinatus rejiciat, sed honestis ac urbanis verbis ipsi opponat legem Ecclesiæ, cujus sacerdos custos existit ac vindex.

Quodsi opportunius judicet baptizans, quod non semel contingere est natum, accedentem non repellere, sinatur assistere *uti testis*, ita nempe ut solus interrogetur alter suscipiens, utque potissimum proles sub ablutione

---

(quod adhuc est gravius) monachos tuos sibi commatres facere, et ex hoc incautam cum eis communionem habere ». Inde remansit illa nota familiaritatis in locutionibus gallicis: commère et compère. Cf. Esmein, o. c., t. II, p. 368.

(1) Propter vitandum impedimentum cognationis spiritualis vidimus suprà non esse adhibendos patrinos in Baptismo illegitimorum, licet nullo expresso statuto romovendi præscribantur.

sacramentali non tangatur a persona indigna : hac namque ratione a susceptione removebitur quin offendatur, ac legi Tridentinæ erit satisfactum per susceptionem alterius partis, cum sufficiat unus vel una. Curet autem sacerdos ut in registro non inscribat qua patrinum illum merum testem. Cf. Instr. C. S. O. 1763, apud *Collectan.*, n. 606 (1).

Porro efficacius adhuc occurretur difficultati, eam, ubi fieri potest præveniendo, quatenus nempe parochus, audiens indignum esse eligendum in patrinum, prudenter moneat parentes ut sub aliquo prætextu ab hujusmodi electione abstineant.

A. De Smet.

VI

Q. *Qualis esse debet natura delicti puniendi per proceduram quam dicunt ex informata conscientia?*

Prænotanda.

Illa nova procedendi norma (2), quam canonistæ, ipsaque Curia Romana, concinnitatis gratia, dicunt *ex informata conscientia* consistit in hoc procedendi modo, quo prælatus, nullo præmisso ordinario processu, nullaque præhabita juridica informatione, sententiam pronuntiat ex causis sibi notis et in conscientia perpensis. Dispositio Concilii Tridentini (Sess. XIV, c. 1, de ref.), utpote adeo exorbitans a jure, est strictissimæ

(1) Instanter urget præsertim Ecclesia ut sedulò vitetur susceptio exercenda ab *hæretico*, etiam si alia persona non foret præsto, ac non semel declaravit S. Sedes conferendum esse Baptisma sine patrino potius quam cum patrino hæretico. Cf. Instr C. S O 1745, apud *Collectan.*, n. 604; Decretum C. S. O. 3 Maii 1893, apud *Acta S. Sedis*, XXVI, p. 448; cf. etiam *Acta* Conc. Am. Lat., n. 505.

(2) Quoad litteraturam cf. Hinschius, *Kirchenrecht*, T. V (1895), p. 608, nota 6; Saegmueller, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, P. III, p. 677, n. 2, Freiburg, 1904; præter ibid. citatos consulendi sunt Lega, *De Judiciis ecclesiasticis*, Lib. II, Vol. IV, p. 436, Romæ, 1902; Arndt, *Die Suspension ex informata conscientia*, in period. *Pastor Bonus*, 1904, T. XVI, p. 481-488, 529-545.

interpretationis et intelligenda est juxta verba et mentem Patrum Tridentinorum, iis tamen regulis et cautionibus servatis, quas constanter in hujus capitis intellectu adhibuit S. C. Concilii (1) et quas in unum redegit S. C. de Propaganda Fide celeberrima sua Instructione d. 20 Octobris 1884 (2).

Respondetur.

Ut sententia ex informata conscientia legitime lata censeatur, oportet ut delictum sit grave et occultum, nec de eo judicialiter constare queat.

I. *Grave.*

Hæc prima conditio clare eruitur ex textu et mente Conc. Trid., et ex constanti praxi S. C. C. (3). Hanc praxim una regula exhibet præfata Instructio a. 1884, art. 6: « Suspensioni ex informata conscientia justam et legitimam causam præbet *crimen* seu culpa a suspenso commissa. Hæc debet esse ita *gravis* quæ talem promereatur punitionem ».

Porro, cum suspensio a susceptis ordinibus gravior sit pœna, quam prohibitio a suscipiendis — juxta adagium « turpius ejicitur quam non admittitur hospes » — formula *quacumque ex causa, etiam ob occultum crimen* non eodem ambitu pro utroque casu est intelligenda. Ideo ad repellendum aliquem a superioribus ordinibus

---

(1) « In Anhalt daran, hat sich wesentlich durch *die Praxis der Congregatio Concilii,* das Institut der s. g. suspensio ex inf. consc. folgendermasse gestattet ». HINSCHIUS, *l. c.,* p. 399. Cf. a. 9 Instructionis S. C. EE. et RR. 11 Junii 1880 ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jur. can. et can.-civ. compend.,* T. II, nº 1249bis, p. 578-584; *Collat. Brug.,* X, 595, nota 2.

(2) Hujus textus exhibetur ap. *Acta S. Sedis,* T. XIX, 1886, p 561 ss. (cum adnotationibus); *Nouv. rev. théolog* , T. XVIII, 1886, p. 469. Illa Instructio non est lex generalis; tamen ex dictis haberi debet ut ordinatio praxi et interpretationi S. C. C. plane consentanea. Data pro regionibus Missionum subjectis S. C. de Prop. Fide, extenditur jam ad Americam-Latinam. Cf. *Acta et Decreta Concilii Plenarii Americæ latinæ,* nº 993, p. 434 et in Appendice ejusd. Concilii, nº LV, p. 453, Romæ, typis vaticanis, 1901.

(3) *Acta S. Sedis,* T. XIX, p. 571 s ; LEGA, *o. c.,* p. 443; VERING, *Droit Canon,* trad. Bélet, T. II, p. 450 (note du traducteur), Paris 1881.

sufficit crimen levius, gravius vero ad suspendendum aliquem a susceptis (1).

Illa gravitas delicti, præprimis ex ordinis socialis læsione juxta casuum diversitatem pensanda, demum arbitrio superioris æstimanda relinquitur. Uti hujusmodi gravitatis delicta, exempli gratia, adduci possunt: gravis negligentia in functionibus parochialibus obeundis, turpe commercium cum mulieribus, auctoritatis episcopalis gravis contemptus etc.

II. *Occultum.* Ut episcopus legitime possit extrajudicialiter procedere, oportet ut crimen — unum saltem ex pluribus — sit occultum.

Illud dicitur crimen occultum, quod nulli aut uni tantum est notum, ita ut consequenter illius probatio in judicio afferri nequeat, aut quod tantummodo paucis (2) est cognitum, nec consequenter in rumores vulgi deductum, nec etiam brevi deducendum; aliis verbis intelligitur occultum, quod nec est notorium juris vel facti, nec publicum juris vel facti (3).

Unde notio canonica criminis occulti et publici habetur ratione *notorietatis hic et nunc* habitæ vel non habitæ a *communitate*, non vero directe eo quod crimen demonstrari possit vel nequeat in judicio.

Quo posito, probatur assertum:

1° *ex ipso textu Tridentini,* ad mentem Patrum intellecto, attenta etiam connexione totius legislationis (4).

Caput 1. de ref., Sess. XIV sane non eminet clari-

---

(1) Péries, *La procédure canonique moderne dans les causes disciplinaires et criminelles,* p. 167 s., Paris, 1898; Arndt, *o. c.*, p. 529, n. 4.

(2) Cum nullum habeamus criterium authenticum ad determinandum numerum illorum paucorum quibus notum est facinus, pro varietate casuum, prudenti suo judicio uti poterit episcopus. Cf. Lucidi, *De Visitatione Sacrorum Liminum,* 2 edit. T. I, p. 387, Romæ, 1873.

(3) Notiones occulti et publici inveniri possunt ap. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, T. II, n° 1258 ss., p. 590; Feye, *De Judiciis,* tract. autograph., n° 85 ss., p. 77 ss.; ejusdem auctoris, *De Impedimentis Matrimonialibus,* ed. 4, n° 86 ss., Lovanii. 1893; *Collat. Brug.*, V, 415 ss.

(4) Wernz, *Jus Decretalium,* T. I, n° 131, p. 136, Romæ, 1898.

tate; tamen, attentis principiis strictæ interpretationis, hoc modo intelligi posse videtur: Remedium appellationis nullatenus suffragetur ei, cui a suo prælato ascensus ad ordines superiores prohibetur, aut qui ab ordinibus susceptis suspenditur, ex quacumque causa inidoneitatis aut incapacitatis, etiam ob crimen occultum, et quomodolibet ad arbitrium episcopi hoc fiat, etiam extrajudicialiter. Aliis verbis, et attendendo ad parallelismum locutionum: sicuti ferri possunt inhibitiones et suspensiones ob defectum scientiæ aut sanctitatis necessariæ aut ob quodvis signum non vocationis clericalis (1), modo quo libuerit Episcopo; ita, etiam ab ipso ferri possunt ob crimen occultum, extrajudicialiter (2).

Consequenter, quemadmodum in verbis *quomodolibet, etiam extrajudicialiter* non comprehenditur modus procedendi judicialis, quia prohibitio et suspensio judicialis permittit appellationem saltem devolutivam, et in ea non verificarentur verba *nulla contra ipsius* etc. Tridentini (3); ita, nec sub dictione *quacumque ex causa, etiam ob occultum crimen* comprehenditur crimen publicum (4), quod

(1) Respons. S. C. C. 21 Apr. 1668 ad archiepiscum Remensem ap. Bened. XIV, *De Synodo*, l. XII, c. 8, n. 4.

(2) Ita fere Lega, *o. c.*, p. 447. Juxta illam interpretationem, tota modificatio introducta a Conc. Trid. conciperetur duplici hac locutione parallela *etiam ob crimen occultum, etiam extrajudicialiter*. Indicium pro hac interpretatione habemus ex iis quæ hucusque cognoscimus de actis Concilii Tridentini, post sessionem decimam tertiam gestis. Anno 1551, in generali congregatione, habita d. 21 Novembris, primum caput reformationis approbationi Patrum propositum sic efferebatur: « Cui a suo prælato fuerit interdictus ascensus *etiam extrajudicialiter* ad sacros ordines, aut qui fuerit a suis ordinibus suspensus, quacumque licentia de se promoveri faciendo seu restitutio ad ordines priores pro tempore concessa nullatenus suffragetur » Patres vero, in sequentibus congregationibus objectum hujus capitis de reformatione ratum habuerunt. Cf. Theiner, *Acta authentica SS. Concilii Tridentini*, T. I, p. 596 ss Jam vero Deputati tenorem hujus præscriptionis reformaverunt, illud *etiam extrajudicialiter* evolvendo magisque determinando, additis præprimis verbis *etiam ob occultum crimen*.

(3) Feye, *o. c.*, p. 115.

(4) Sententia hæc directe est contraria illi quam proposuit Bouix,

ceteroquin probat mens tridentina et comparatio totius legislationis.

Illa mens fuit conferre Episcopis, deficientibus remediis ordinariis, remedium extraordinarium et extrajudiciale, quo in salutem animarum tuto uti possent ad refrænanda crimina occulta clericorum.

Ante Concilium Tridentinum, ex capitibus 4 et 5, X, *de temporibus ordinationum,* I, 11 clerici sæculares, juxta principium « Ecclesiæ datum est tantum de manifestis judicare », non poterant repelli a susceptione superiorum ordinum, nec suspendi ab acceptis, nisi ex causa manifesta et probata in foro externo (1). Clerici vero regulares, juxta principium « honestius et tutius est subjectis impendere obedientiam debitam præpositis » prohiberi poterant ab ordinibus susceptis, propter commissa *secreta* quæ noverat superior.

Huic antiquiori disciplinæ, ad coercendos clericos impune criminosos, ingens sane a Concilio Tridentino, cap. cit., facta est mutatio. Propter necessitatem am-

---

De Judiciis, T. II, p. 325 ss., sequenti propositione: Potestas episcopalis suspendendi extrajudicialiter seu ex informata conscientia locum habere videtur, non tantum quando crimen est occultum, sed etiam quando est publicum; — tamen *ad liceitatem,* in casu publici criminis oportet ut Episcopus sufficiens habeat motivum a forma ordinaria recedendi Præter quasdam rationes convenientiæ et utilitatis hujusmodi potestatis, æstimat argumentum peremptorium deduci posse ex verbis *quacumque ex causa, etiam ob crimen occultum*; nam, ait, ubi de aliqua specie aliquid affirmatur cum particula *etiam,* affirmatio cadit et fortius in alias omnes species; ergo, in casu, in crimen publicum. Ill^mus^ Feye, *o. c.*, p. 115 juremerito animadvertebat quod non semper particulæ *etiam* eadem sit vis; ex. gr. indultum absolvendi ab omnibus casibus *etiam* S. A. reservatis, ex casibus reservatis solos S. A. reservatos comprehendit. Ceteroquin, data materia, videtur illa clausula *quacumque ex causa; etiam ob crimen occultum* complecti omnes et solas causas, ob quas, relictis formalitatibus judiciorum procedere potest Episcopus; ita ut particula *etiam* sit extensiva ad crimen occultum, exclusiva vero criminum publicorum, propter quæ major desideraretur potestas episcopi, majorque requireretur derogatio antiquiori juri.

(1) Cf. cap. ultim. h. t. X. Excipiebantur quædam crimina, puta homicidii, hæresis, ratione irregularitatis.

pliandi potestatem prælatorum, exceptio lata pro regularibus, ad omnes sæculares clericos est extensa, firmis tamen remanentibus aliis juris dispositionibus circa modum procedendi ordinarium in negotiis criminalibus (1).

Hoc constat: ex principio invocato a Patribus initio c. 1 de ref., Sess. XIV, et quod ipsis verbis concipitur, ac exhibetur in c. 5 *de tempor. ordinat.*; teste Fagnano (2), ex declaratione expressa ipsius S. C. C., d. 28 Junii 1582, rescribentis Concilium Tridentinum correxisse c. 4 tit. *de temp. ordinat.* et ampliasse c. 5 h. t.

Atqui in c. 5 *de temp. ordinat.* agebatur taxative de crimine occulto; ergo etiam in extensione hujus capitis.

Insuper sedulo animadvertendum est, ipsum Concilium Tridentinum Sess. XXIV, c. 5, de ref. confirmasse explicite c. 24, X, *de accusationibus*, V, 1, ubi præscripta leguntur Innocentii III circa varios modos procedendi in causis criminalibus, notatim, in casu criminis publici. Ergo, nisi sibi contradicat ipsum Concilium, admittendum est nullam, præter dictam exceptionem, introduxisse modificationem in jure criminali clericorum, maxime adeo effrænatam, quæ esset subversio totius ordinis judicialis (3).

2° *Ex praxi Curiæ Romanæ.* Ad rem faciunt:

a/ const. Benedicti XIV « Ad militantis » d. 1 Aprilis 1742 (4), in qua recenset inter casus quibus appellatio non permittitur, inhibitionem et suspensionem *ob crimen occultum seu ex informata conscientia.*

b/ a. 9. Instructionis præcitatæ a. 1880: « Insuper vim suam plene retinet remedium extrajudicale quod ex informata conscientia appellatur et pro criminibus

---

(1) Péries, *o. c.*, p. 158; Saegmueller, *o. c.*, p. 175; Santi-Leitner, *Prælectiones juris canonici*, in tit. 1 *de accusationibus*, L. V; T. V, p. 5, etc.

(2) In 2 parte primi Decretalium, *de tempore ordinationum*, c. ad aures, n. 12.

(3) Hinschius, *o. c.*, p. 610, n. 4; Lega, p. 443 s.; Arndt, p. 530 etc.

(4) *Bullarium Bened. XIV*, ed. Mechliniensis, T. I, p. 275 ss.

occultis adhibendum decrevit Concilium Tridentinum (Sess. XIV, c. 1, de ref.), iis tamen regulis ac cautionibus servatis, quas in ejusdem capitis intellectu constanter adhibuit S. Cong. Concilii in pluribus resolutionibus ac nominatim in *Bosnien.* et *Sirmien.* 20 Dec. 1873 (1).

c/ variæ causæ S. C. C., præter causam citatam maxime attendendam (2). Ex quibus sequitur quod, cum sermo sit de puniendis criminibus publicis hoc modo procedendi extrajudiciali, irritandam esse sententiam aut procedendum ad normas processus ordinarii censuerunt Patres.

d/ hanc praxim romanam generali sententia complectitur S. C. de Prop. Fide, Instructione citata a. 1884, art. 7: « Ad hoc autem ut (culpa) sit *occulta* requiritur, ut neque in judicium, neque in rumores vulgi deducta sit, neque insuper ejusmodi numero et qualitati personarum cognita sit, unde delictum censeri debeat notorium ».

Inde solida apparet hæc conclusio doctissimi Lega: « Equidem hodie praxis SS. Congregationum est, ut probent hanc rationem procedendi, quando crimen neque in judicium deduci possit, neque in rumores vulgi deductum sit » (3).

Attamen tenet suspensio, si ex pluribus delictis, unum saltem sit occultum (4); item, si crimen occultum tempore suspensionis, deinceps post ipsam fuerit ab aliis evulgatum.

---

(1) *Acta S. S*, T. VII, 1872-1873, p. 569 ss.

(2) In una S. Severini 4 Apr.-5 et 19 Sept. 1778, *Thesaurus resol. S. C. C.* T. XLVII, p. 84, 198, 211; causa Lucionensis 8 Apr. 1848, *Thes.* T. CVIII, p. 135; *Acta S. S.*, T. XIV, 1881, p. 299 ss.; causa Stæ Agathæ Gothorum 26 Febr. 1853, *Thes.* T. CXII, p. 46; causa Patavina 11 Sept. 1880, *Thes.* T. CXXXIX, p. 587; *Acta S. S.*, T. XIV, p. 292, etc.

(3) *o. c.*, p. 445.

(4) Causa Lucionen. citata; causa suspensionis 27 Feb. 1875 ap. *Acta S. S.*, T. VIII, 1873-1874, p. 547 ss; art. 8 citat. Instructionis 1884; LEGA, *o. c.*, p. 447 s.

III. *Neque in judicium deduci possit.* Episcopus tantummodo ob crimen occultum ex informata conscientia procedere valet, quando illud delictum aut probari non potest, deficientibus testibus, vel illis ad normam juris testificari renuentibus, aut idem probare non expediat, ob populi fidelis scandalum vel ipsius clerici inculpati detrimentum.

Hujus tertiæ conditionis necessitas eruitur ex natura remedii *extraordinarii et subsidiarii* qualis existit hujusmodi sententia ex informata conscientia, et consequenter ex eo quod norma *ordinaria* coercendi crimina sit, ut serventur formalitates judiciorum. Ceteroquin adeo œconomicæ sub statu hodierno legislationis factæ sunt dictæ solemnitates, ut, ordinariis in adjunctis, frequenter comprobari et puniri possent crimina clericorum, processu inquisitivo summario (1).

Quandonam nunc occurret impossibilitas illa physica vel moralis procedendi judicialiter, aptis exemplis exponit Stremler: « Quand un crime n'est connu que par deux ou trois témoins, et qu'il y aurait scandale à le divulguer; ou quand les témoins refusent de comparaître et de déposer; ou bien encore, quand le délinquant par son crédit ou ses menaces intimiderait les témoins et les juges, ou serait à même de mettre au cours régulier de la procédure, des entraves ou de gagner des faux témoignages, et retarderait ainsi ou atténuerait trop un châtiment mérité, que le bon ordre et le bien des fidèles exigeraient prompt et exemplaire » (2).

Illa sententia, quæ præter gravitatem delicti, requirit ut crimen sit occultum nec judicialiter demonstrabile fulcitur auctoritate magni nominis patronorum (3).

---

(1) Lega, p. 445 s.; Avanzini, ap. *Acta S. S.* T. V, p. 35, in append. I; Stremler, *Traité des peines ecclésiastiques*, p. 315 ss., Paris, 1860; Pierantonelli. *Praxis fori ecclesiastici*, p. 262, Romæ 1883.

(2) *o. c.*, p. 316.

(3) Lega, p. 445; Hinschius, *o. et l. c.* p. 610, n. 3; Lucidi, *o. c.*, T. I,

Opponitur sententiæ eorum (1), qui admittunt tunc posse Episcopum *valide* in crimen publicum imo et notorium extrajudicialiter procedere, quotiescumque, deficientibus testibus, obstantibus legibus civilibus, exsurgente periculo scandali, crimen judicialiter probatum et discussum existere nequeat. Etiam intelligendo hunc casum necessitatis strictissime sc. quando nullo modo servari potest modus œconomice procedendi in criminosos clericos, videtur illa sententia confundere notionem criminis occulti et criminis judicialiter non demonstrabilis et infringere principium inconcussum strictissimæ hujus capitis tridentini interpretationis. Nec contra hanc regulam prævalere possunt rationes quædam convenientiæ, propter quas utilitate non careret tam ampla Episcopi potestas. Huic sententiæ favere nihilominus videntur duæ decisiones SS. Congregationum; alia in causa quorumdam sacerdotum adhærentium Carolo Passaglia, a. 1863 disputata (2), alia S. C. EE. et RR. 24 Aug. 1894 (3), in quibus, quamvis verisimiliter ageretur de delicto publico, sustineri sententiam ex informata conscientia respondit S. Congregatio. Tamen cum non ita perspicuæ sint illæ causæ, cumque componi non posse videantur cum documentis et declarationibus Curiæ Romanæ superius citatis, prudentiorem existimamus rationem agendi episcopi, qui, his in adjunctis, recurreret ad Sanctam Sedem, quæ pro casu providebit (4).

A. De Meester.

---

p. 387, nº 273; Vering, *o. c.*, T. II, p. 444; Konings, *Compendium theologiæ moralis*, ed. 5, p. 324, Neo-Eboraci, 1882; Smith, *The new procedure in criminal and disciplinary causes of ecclesiastics*, p. 40, New-York, 1888; Saegmueller, *o. c.*, p. 677; Conc. Americæ latinæ, n. 992, p. 433 etc.

(1) Pierantonelli, *o. c.*, tit. 7, nº 10 (citatus ap. *Acta S. S.*, T. XIX, p. 569); Cavagnis, *Institutiones juris publici* 3 edit., vol. II, lib. III, p. 166 Romæ, 1898; Santi-Leitner, *o. et l. c.*, p. 5, n. 18; Péries, *o. c.*, p. 197 s.; coll. etiam Lega, *l. c.*, p. 445 ss.

(2) Cavagnis, *l. c.*

(3) *Acta S. S.*, T. XXVII, 1894-1895, p. 430; Péries, *l. c.* Summarium hujus causæ ab illo auctore redactum non videtur sufficienter accuratum.

(4) Causa 20 Mart.-29 Maii 1880, *Acta S. S.* T. XIV, p. 372.

Miscellanea

Causæ matrimoniales

I

Die 26 Augusti 1905 a S. C. Concilii confirmata fuit sententia lata coram tribunali Leodiensi, nullitatem declarans alicujus matrimonii ob impedimentum *affinitatis illicitæ*. Porro rarius contingit matrimonium ex hoc capite declarari nullum, cum difficilius constet de existentia hujus impedimenti, utpote natura occulti, eo vel magis quod moralis certitudo requiratur non modò de facto copulæ sed et de ejusdem aptitudine ad generationem.

En *factum* juxta Folium: Robertus ex urbe Mons oriundus, Leodii autem domicilium habens, cum annum 20 suæ ætatis ageret, effræna ductus libidine, quadam cum meretrice Maria illicitas per aliquot menses relationes habere non erubuit. Postea, ipsa relicta, eidemque vesanæ libidini indulgens, cum illius sorore germana Catharina, perdita itidem femina, turpiter agere cœpit. Interea Roberti pater ejusmodi relationes abrumpere satagens, mense Martii 1901, ipsum in Canadensem regionem misit. Verum cum et illuc Catharina advenisset, die 15 Julii ejusdem anni in N., quin ulla ab impedimento dirimente affinitatis dispensatio petita fuerit, matrimonium adstante parocho, inter eos celebratum est ».

Uti autem ex *Actis* colligitur, vix non solum documentum ex quo juridice deducta est impedimenti existentia, fuit depositio actoris Roberti circa factum copulæ perfectæ cum sorore putatæ uxoris habitæ; dicta namque soror nullam visa est mereri fidem, Theresia autem sponsa, pluries citata, comparere noluit. Aliunde de honestate ac sinceritate Roberti non

erat dubitandum cum septem advocati testes, et ipse fide digni, juramento confirmaverint illum fidem undequaque mereri ; Roberti cæteroquin depositionem corroborabant attestationes sodalium nonnullorum attestantium relationes venereas inter Robertum et Mariam easque satis diu protractas indubie extitisse (1).

II

Ipsa eadem die declaravit S. C. Concilii constare de nullitate matrimonii ex capite *clandestinitatis*. Nimirum nuptiæ fuerunt celebratæ in parochia N., in qua domicilium habebat mater sponsæ vidua, quin tamen in illa actu habitarent sponsus nec ipsa sponsa, jam a quatuor annis alibi foventes concubinarium contubernium. Cum autem nulla delegatio fuerit obtenta a parocho habitationis *facti* sponsorum, tota quæstio huc reducebatur, utrum nempe necne sponsa majorennis domicilium *juris* conservaverit in parochia matris.

Jamvero ex *Actis* abunde deducitur illam dicto domicilio plene renuntiasse. Et sane vir sub fide juramenti asserit sponsam per spatium quatuor annorum, quo ipse cum ea illicite est conversatus, nunquam matrem invisisse, imo alienum invicem eas animum habuisse: mater vero puellæ fassa est: « Depuis son départ jusqu'au moment de son mariage, je ne l'ai pas revue. Je n'ai jamais correspondu par lettres avec elle, ni autrement; et elle n'a pas cherché à correspondre avec moi... J'affirme même que ma fille ne serait jamais revenue habiter chez moi en aucun cas, après ce qui s'était passé entre nous » (2).

III

En *rescriptum S. Pœnitentiariæ,* ex quo magis magis-

(1) Causa refertur in extenso apud *Analecta ecclesiastica,* 1905, p. 373 et seq.

(2) Cf. *Anal. eccles.*, l. c., p. 377 et seq.

que apparet S. Sedis praxim in hunc sensum in dies firmari, ut nempe, quando, post matrimonium invalide contractum, conjuges utrimque ignorant matrimonii nullitatem, nec sine gravissimis incommodis moneri queunt, ut, inquam, relinquantur in bona fide potius quam eorum matrimonium in radice sanetur. De qua praxi cf. *Collat.*, VI, 556-557, et p. 601; X, p. 71-72. Quod eo magis mirum videri posset, in nostro casu, quod agatur de conjugio nulliter inito ob reticitum in precibus impedimentum consanguinitatis, quod, utpote natura publicum, haud difficulter innotescere potest (1).

Beatissime Pater,

« NN. et NN. subditi diœcesis N., obtenta dispensatione super impedimento consanguinitatis in quarto gradu æquali lineæ collateralis, præmissisque de more publicationibus, matrimonium, die ... anno ..., in facie Ecclesiæ contraxerunt et postea consummarunt; quod quidem matrimonium nullum est ob reticitum, bona fide oratorum, impedimentum consanguinitatis in tertio et quarto gradu mixto lineæ collateralis, diverso ex stipite proveniens, quo, præter allatum, ligabantur oratores, quodque nuper a parocho casu detectum est. Quum autem ambo putati conjuges, impedimenti hactenus ignari, in omnimoda versentur bona fide, nec de matrimonii sui nullitate absque gravissimis incommodis certiorari possint, supplex rogat Episcopus Orator ut S. V. matrimonium eorum in radice sanare ac proles exinde natas vel nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus...

Sacra Pœnitentiaria super præmissis rescribit præfatos putatos conjuges relinquendos esse in bona fide. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die ..... anno ..... ».

A. De Smet.

---

(1) Efficacius non nemini forsitan videbitur fuisse remedium in sanatione in radice, eaque tali ut in foro externo valeat pro casu quo in publicam notitiam venerit nullitas matrimonii, cujusmodi sanationis specimen exhibuimus apud *Collat.*, VI, p. 602.

Indulgentiæ noviter concessæ

1° Recitantibus precem pro propagatione pii usus communionis quotidianæ.

—

GEBED (1).

O allerzoetste Jezus, die op de wereld gekomen zijt om aan alle zielen het leven van Uwe genade te geven, en die, om in haar dat leven te bewaren en te voeden, hebt willen het dagelijksch hulpmiddel zijn van hare dagelijksche krankheid, en haar dagelijksch voedsel, wij smeeken U ootmoedig, door Uw Hert zoo brandend van liefde tot ons, van op alle zielen Uwen goddelijken geest uit te storten, opdat deze die ongelukkiglijk in doodzonde zijn, zich tot U zouden bekeeren en het leven der genade, dat zij verloren hebben, zouden terugvinden, en dat deze die, door Uwe genade, reeds dat goddelijk leven genieten, alle dage, indien het mogelijk is, godvruchtig tot Uwe heilige tafel zouden naderen, en alzoo, bij middel van de dagelijksche Communie, met alle dage het tegenvergift te ontvangen van hare dagelijksche zonden, en alle dage in haar het leven Uwer genade te voeden en alzoo zich altijd meer te zuiveren, eindelijk het gelukzalig leven met U mogen bekomen. Amen.

Die 30 Maii 1905, SS. D. N. Pius Pp. X, « cum ipsi maxime cordi sit ut usus quotidianæ Communionis

(1) Ex Italico versum. Gallice: O très doux Jésus. qui êtes venu au monde pour donner à toutes les âmes la vie de Votre grâce, et qui, pour conserver et nourrir cette vie en elles, avez voulu être le remède quotidien de leur quotidienne faiblesse, et leur aliment quotidien, nous Vous supplions humblement, par Votre Cœur si embrasé d'amour pour nous, de répandre sur toutes les âmes Votre divin esprit, afin que celles qui ont le malheur d'être en péché mortel, se convertissent à Vous et retrouvent la vie de la grâce qu'elles ont perdue, et que celles qui, par Votre grâce, vivent déjà de cette vie divine, s'approchent dévotement chaque jour, quand elles le peuvent, de Votre Sainte Table, en sorte que, par le moyen de la Communion quotidienne, recevant tous les jours le contrepoison de leurs péchés véniels quotidiens, et alimentant en elles chaque jour la vie de Votre grâce et ainsi se purifiant toujours davantage, elles parviennent enfin à obtenir la vie bienheureuse avec Vous. Ainsi soit-il.

tam salubris ac Deo acceptus, in christiano populo, Christo Domino adjuvante, ubique propagetur, omnibus Christifidelibus qui præfatam orationem devote recitaverint, *tercentum dierum* indulgentiam quotidie lucrandam ; eis vero, qui per mensem integrum id egerint, atque die, proprio arbitrio eligendo, sacramento pœnitentiæ expiati sacraque Communione refecti, publicum oratorium visitaverint ac juxta intentionem Sanctitatis Suæ oraverint, *plenariam* indulgentiam benigne concessit. Quas indulgentias Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturas declaravit ».

Ex Secretaria S. C. Indulg. die 3 Junii 1905 (1).

2° **Recitantibus jaculatorias in honorem SS. Cordis Jesu.**

a/ *Cœur Sacré de Jésus, j'ai confiance en vous* (2).

Omnibus fidelibus qui quotidie recitant, corde præsertim, illam invocationem, concessit die 27 Maii 1905 Pius X indulgentiam 300 dierum, singulo die, et plenariam singulo mense, modo confessi ac Sacra Communione refecti orent pro conversione peccatorum. Ex Secretaria S. C. Indulg. die 19 Augusti 1905 (3).

Nota hujusmodi indulgentias non declarari applicabiles defunctis; et verba *corde præsertim* non videri excludere necessitatem invocationis *oralis*.

b/ *Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum* (4).

Huic jaculatoriæ Pius IX die 25 Januarii 1868 adnexuit indulgentiam 300 dierum, sed *semel in die* lucrandam (*Raccolta*, ed. 1898, p. 203) ; nunc conceditur *toties quoties* lucranda. Pius X, 13 Septembris 1905. Ex Secretaria S. C. Indulg. die 15 Septembris 1905 (5).

H. Mahieu.

---

(1) Cf. *Analecta ecclesiastica*, 1905, p. 259.

(2) *Heilig Hert van Jezus, ik heb betrouwen in U.*

(3) Cf. *Anal. eccl.*, 1905, p. 347.

(4) *Jezus zachtmoedig en ootmoedig van Herte, maak mijn hert gelijk aan uw Hert; Jésus, doux et humble de Cœur, faites mon cœur semblable à votre Cœur.*

(5) Cf. *Anal. eccl.*, 1905, p. 414.

État des conseil et bureau

des fabriques d'église.

Les administrations fabriciennes ont l'obligation fréquemment rappelée (1), de transmettre à l'autorité diocésaine, dans la quinzaine qui suit le premier Dimanche d'Avril, un extrait du procès-verbal des élections faites à cette date, ainsi que *l'état complet du conseil et du bureau*.

I. Pour plus d'uniformité et d'exactitude, MM. les secrétaires se conformeront au tableau dressé à l'effet d'établir cet état, et dont nous reproduisons ci-contre un modèle en réduction. On peut se le procurer chez M. De Haene-Bossuyt, imprimeur de l'Évêché, au prix de 0,10 l'exemplaire.

II. Cet état doit être transmis à la date indiquée plus haut et mentionnée chaque année dans le *Calendarium liturgicum* du diocèse, en appendice parmi les Monita ad clerum diœcesis brugensis, sous la rubrique *de documentis Episcopo quotannis transmittendis*.

Conséquemment ce document ne peut être inséré parmi les pièces justificatives du compte, ce qui occasionnerait du retard dans l'envoi du dit état au Secrétariat.

(1) Epist. circul. 12 Febr 1892, 1 Febr. 1893, 26 Jan. 1894, 6 Febr. 1897, 5 Febr. 1903, cf. *Collectio epist. past*, T. XV, p. 272, 309, 361; T. XVI, p. 333; T, XVII. p. 339; *Collat. Brug.*, I, 207; II, 146; VIII, 203 etc.

BISDOM
VAN BRUGGE.

STAAT der leden van den Raad en van het Bureel der Kerkmeesters.

Parochie *voor het Dienstjaar 190 -190*

KERKRAAD						BUREEL DER KERKMEESTERS					
Namen der Leden van rechtswege	Namen der Leden die de meerdere en de mindere helft uitmaken	Datum hunner kiezing	Datum hunner aftreden	Hoedanigheid der leden	Datum der jaarlijksche kiezing als Voorzitter en Geheimschrijver	Lid van rechtswege	Namen der drij andere leden	Datum hunner benoeming	Datum hunner afteeding	Hoedanigheid der leden	Datum hunner jaarlijksche benoeming als Voorzitter, Schatbewaarder en Geheimschrijver
	Meerdere helft.										
MM. Pastor	MM.					M. Pastor	MM.			Voorzitter.	
Burgem.										Schatbewaarder.	
										Geheimschrijver.	
	Mindere helft.										
	MM.										

Aldus opgemaakt te , *den* *190*

De Voorzitter van den Kerkraad,

Consultationes

I

Quær. In administranda S. Communione infirmis, cubiculum ingressus et deposito super mensa SS. Sacramento, genuflectere soleo non utroque sed unico genu et absque mora. Verumne est me non recte agere?

Respondetur omnino probandus est ille modus agendi.

Nam juxta *regulam generalem* ab auctoribus traditam SS. Sacramento palam exposito utrumque genu flectendum est in primo accessu et in ultimo recessu tantum, non autem in simplici discessu a medio altaris aut reditu ad medium altaris infra sacram aliquam functionem (1). Quæ regula heic applicanda venit. Rituale Rom. (tit. IV, c. IV, n. 12) præscribit genuflexionem faciendam ratione discessus a mensa ad peragendam lustrationem infirmi et cubiculi; discessus autem ille non est definitivus ad finiendam functionem. Ergo simplex facienda est genuflexio (2), sicut ceteroquin infra eamdem cæremoniam in omni discessu et reaccessu ante mensam (3).

Nec objiciantur verba Ritualis (loc. cit.) « *genuflexus adorat* », quasi vox « *genuflexus* » notaret corporis habitum aliquatenus protactum, et verbulum « *adorat* » præscriberet specialem actum adorationis faciendum a celebrante dum genuflexus manet.

Nam eadem locutio pluries recurrit in rubricis Mis-

---

(1) Cf. *Coll. Brugen.*, t IX, p. 671; *Ephem. liturg.*, 1905, p. 694.

(2) Ita sentiunt De Herdt, *S. Lit. prax.* t. III, n. 191, 1; Kunz, *Die liturg. Verrichtungen des Celebranten*, p. 218; Lerosey, *Manuel liturg. Explication des rubr. Missel* etc. 1889, p. 403; Cavalieri, *De communione infirmorum*, dec. XI, n. 7.

Contrà utrumque genu esse flectendum putant *Nouv. Rev. théol*, 1905, p. 530; Ill. Van der Stappen, *De admin. sacram.*, q. 207. II, A, 2°; Baruffaldi, tit. XXVI, n. 160; Catalani, tit. IV, c. IV, § XIII, n 11.

(3) Cf. Ill. Van der Stappen, *De Sacram. admin.*, q. 207, II, A, 4°.

salis, ubi tamen nemini dubium est genuflexionem esse faciendam unico genu. Nec ulla mora requiritur, ut patet ex eo quod Missale indiscriminatim adhibet locutiones *genuflexus adorat*, *genuflexus veneratur*, *genuflectens adorat*, *adorat*, *genuflectit*. (1)

Ex quibus etiam liquet non requiri specialem actum adorationis diversum a genuflexione (2). Ipsa actio genuflectendi in honorem SS. Sacramenti designatur et specificatur nomine *adorationis* (3) « per quam, ut ait S. Thomas, aliquis suum corpus ad Deum venerandum exhibet » (4). Ceterum quando Rubrica vult ut sacerdos aliquanto tempore utroque genu genuflexus pauset vel adoret SS. Sacramentum, hoc explicitis verbis dicit, v. g. pro feria VI in Parasceve, in accessu coram Sanctissimo, « sacerdos genuflectit ante Sacramentum, *orat aliquantulum* »; similiter in lectione Passionis: hic genuflectitur et *pausatur aliquantulum* ».

C. CALLEWAERT.

II

Quær. Rituale Romanum, tit. VI, c. III *Exequiarum ordo*, n. 5, jubet ut, in exsequiis, Laudes officii defunctorum absolvantur oratione : « *Absolve quæsumus Domine animam famuli tui* ab omni... ut... *resuscitatus* respiret ». Nulla fit mentio mutationis admittendæ in hoc textu. Quæritur utrum liceat addere nomen et, data opportunitate, mutare genus masculinum in femineum et cantare : « *animam famulæ tuæ* N... *resuscitata* » ?

Resp. Censemus utrumque licere. Vide infrà sub I, 1°.

---

(1) Ubi *Ritus celebrandi* dicit *genuflexus* vel *genuflectens adorat*, pluries *Ordo Missæ* eamdem præscriptionem repetit solo verbo *genuflectit*.

(2) Ita *Ordo Missæ* ad designandam genuflexionem faciendam ante et post elevationem Hostiæ et Calicis bis repetit: « *genuflexus adorat*, surgit, ostendit populo... et *iterum adorat* ».

(3) Cf. *Nouv. Rev. Théol.*, 1878, t. X, p. 209.

(4) *Summa theol.*, 2-2, q LXXXIV, in proæmio.

Juvabit autem ex integro tractare quæstionem de liceitate mutandi quædam in orationibus pro defunctis, quia ansam præbere solet multis dubitationibus (1). Et conabimur omnia reducere ad quasdam regulas generales unde singula dubia resolvi possint.

I. Prænotamus quædam facta ex ipsis libris liturgicis.

1° Oratio *Absolve quæsumus... respiret,* de qua fit quæstio et quæ non habet litteram N. in citato *Exequiarum ordine,* repetitur in Missali (*Ritus celebrandi,* tit. XIII, n. 4) et in Pontificali (lib. III, De officio post miss. solem. pro defunctis): et in utroque loco invenitur littera N. Item inter *Orationes diversas* pro defunctis in fine recentioris Missalis defunctorum rursus occurrit cum proposita mutatione « ... animam *famuli tui N.* (vel *famulæ tuæ N.*) ... ».

2° In eodem *Exequiarum ordine* de quo quæritur, tres recitandæ prostant orationes pro defuncto cujus celebrantur exequiæ: prima (n. 5) in fine Laudum: *Absolve, quæsumus... respiret;* secunda (n. 10) post absolutionem: *Deus cui proprium est...;* tertia (n. 14) in fine ritus sepulturæ: *Fac, quæsumus...* Jamvero in prima non additur littera N., nec ulla insinuatur variatio facienda; in secunda, adjecta littera N., expresse conceditur ut possit dici pro sacerdote: « pro anima famuli tui N. [*sacerdotis*] »; in tertia tandem, addita rursus littera N., mutatio generis masculini in femineum indicatur in ipso orationis textu.

3° Præfata secunda oratio *Deus cui proprium* repetitur in Rituali (tit. VI, c. IV, n. 3) pro Officio defunctorum in ipsa die depositionis celebrando: heic autem, tacita mutatione in gratiam sacerdotis, adjungitur in ipso textu orationis mutatio pro genere « pro anima *famuli tui N.* (vel *famulæ tuæ*) ». Eadem oratio tandem recurrit in Missa in die obitus, quin ulla fiat mentio alicujus mutationis inducendæ, sed additur littera N.

4° Oratio pro die 3°, 7°, 30° depositionis, quæ in Missali inseritur in solo genere masculino, in Rituali ad Vesperas defunctorum concipitur in genere masculino et feminino.

---

(1) Cf. v. g. *Nouv. Rev. théol.* 1876, p. 33; 1889, p. 226; 1897, p. 611; 1898, p. 656; 1900, p. 537; *Ephem. liturgicæ,* 1899, p. 109, 111; 1901, p. 718.

5° Orationes pro uno defuncto *Inclina Domine* et pro una defuncta *Quæsumus Domine* inveniuntur in Missali, post missas defunctorum, absque littera N. et in Rituali ac Breviario, ad vesperas officii defunctorum, cum præfata littera.

6° Idem dicendum est de oratione dicenda in anniversario *Deus indulgentiarum Domine*. In Missali, in missa pro anniversario, et in Breviario omittitur littera N., quæ tamen inseritur in eadem oratione in anniversario *unius* defuncti vel defunctæ recitanda, prout exstat in Rituali ad vesperas defunctorum.

7° Pro quamplurimis ex orationibus quas habent tum Rituale ad vesperas defunctorum tum Missale ad et post missas pro defunctis vel ad absolutionem pro defunctis, indicantur, in ipso textu vel in adjectis rubricis, mutationes quæ pro opportunitate fieri possunt.

8° Tandem ipsum Rituale tit. VI, c. v, n. 2, in fine absolutionis absente corpore defuncti, tradit principium quod in hac materia servandum est. Post orationem *Absolve... absterge*, in qua indicantur mutationes quæ permittuntur, additur statim rubrica : « Vel dicatur oratio quæ dicta est in Missa, *vel alia conveniens* ». Et ulterius, n. 3 : « Si officium fuerit pro pluribus defunctis, oratio et versus dicantur *in plurali numero :* si fuerit mulier, *in genere feminino :* si fuerit sacerdos vel episcopus, in oratione exprimitur *nomen dignitatis, etc.* ».

II. Ex his aliisque similibus, necnon ex pluribus S. R. C. decretis, merito, ut videtur, concludunt auctores mutationes in orationibus pro defunctis non ideo esse prohibitas quia non expresse in Rituali aut Missali proponuntur; imo plures esse liturgiæ menti et votis conformes; ideoque nonnullas vel ex ipsis rubricis vel proprio marte proponunt faciendas (1), quas longum esset hic enumerare.

Scopus autem quem intendit sacra liturgia in multiplicandis orationibus pro defunctis vel in earum textu mutando est ut hæ orationes melius congruant : *a/* vel *diei aut circumstantiæ* in qua celebratur, v. g. : quam

(1) Cf *Ephemerides liturgicæ*, t. XIII, 1899, p. 109 et 101 ; Ill. Van der Stappen, *Rubricæ Missalis Romani*, qq. 321 et 322 ; Coppin et Stimart, *S Liturgiæ compendium*, n. 344 ; *Nouv. Revue Théol.* 1900, p. 529, 536.

hodie de hoc sæculo migrare... — cujus *depositionis diem tertium* vel *septimum* vel *trigesimum*... — *anniversarium depositionis diem* commemoramus (1); *b*/ vel *dignitati ecclesiasticæ* personæ pro qua celebratur : summi pontificis, cardinalis, episcopi, sacerdotis (2); *c*/ vel tandem *qualitati* defunctorum juxta genus et numerum (pro uno, una, pluribus, omnibus defunctis) et relationem cum celebrante (patre et matre, patre vel matre, pro fratribus, propinquis et benefactoribus, pro his qui in cœmeterio requiescunt (3).

III. Quibus omnibus juxta auctorum doctrinam et S. C. R. decreta inspectis, sequentes regulæ generales statui posse videntur pro orationibus in missa et officio defunctorum.

1° Non licet proprio marte mutare textum orationum ut magis adaptetur *diei in qua recitanda est oratio*.

Hæc regula eruitur non tantum ex silentio Ritualis in præcitato textu t. VI, c. v, n. 2-3, sed etiam ex duobus decretis S. R. C. Ex decreto enim *Labacen.* 28 April. 1902, ad 2, « in anniversariis stricte sumptis laicorum quæ fundata sunt *extra diem vere anniversariam* ab obitu vel depositione » sumenda est oratio *Deus indulgentiarum Domine*, prout jacet, licet non verificentur verba: *quorum anniversarium depositionis diem* commemoramus (4). — Ex decreto in *Lincien.* 6 febr. 1892, n. 3764 ad 4 « in missa de requie pro defuncto in loco dissito, cum primo nuntius mortis accipitur » recitanda est oratio *Deus cui proprium* prout est in Missali (in die obitus) non omisso verbo *hodie*, licet illa vox non verificetur in verbis « quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti », quando, ut solet, defunctus jam a pluribus diebus vel hebdomadibus est sepultus.

---

(1) In Missali illæ inveniuntur in ipsis Missis pro defunctis.

(2) In Missali sunt 1ª, 2ª, 3ª et 4ª inter *Orationes pro defunctis* post quatuor missas defunctorum.

(3) In missali sunt sequentes (5-12) inter *Orationes pro defunctis*.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 392 et 396. Vide etiam dec. S. R. C. 21 febr. 1890, *Pacen.* n. 3722, 8.

2° Ratione *dignitatis ecclesiasticæ* defuncti generatim licet orationem, de cetero melius ipsi congruentem, adaptare dignitati sacerdotali, episcopali et cardinalitiæ.

Hoc erui nobis videtur ex regulis et exemplis tum Missalis, *Orationes diversæ pro defunctis*, tum Ritualis, *Exequiarum ordo* n. 10; ad vesperas defunctorum et in fine absolutionis absente corpore n. 3 (1).

3° Inspecta *qualitate* defunctorum generatim licet mutare *numerum* et *genus* (2).

Verba tamen *famulorum famularumque tuarum* mutare non licet in hæc: *famuli tui et famulæ tuæ* (3) aut alia similia, sed oportet servare, pro opportunitate, *famulorum famularumque tuarum,* aut simpliciter *famularum tuarum* si sint plures feminæ, aut *famulorum tuorum* si una defuncta et unus aut plures defuncti. Ratio videtur esse quod ubi sufficit omittere unum verbum non oportet recurrere ad mutationem totius locutionis.

Insuper in prima oratione absolutionis corpore præsente *Non intres in judicium cum servo tuo Domine,* nunquam licet variare verba *servo tuo,* ut decrevit S. R. C. 21 jan. 1741, n. 2355. Ratio est quia hæc verba desumpta sunt ex S. Scriptura (Psalm. 142, v. 2). Ubi eadem ratio non militat, nihil obstat quominus opportuna fiat mutatio, ut videre est in ultima oratione

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 195; Ill. Van der Stappen, *op. cit.*, q. 321, B, 2. Mutationes ratione dignitatis faciendas non restringi ad eas solas quæ expresse proponuntur in Missali aut Rituali patet ex dec. S. R. C. 23 Sept. 1883, *Rhemen*, n. 3642, 4, quo statuitur pro Cardinale Presbytero, qui est Episcopus, dicendum esse: « *Deus qui inter... famulum N. Presbyterum Cardinalem* pontificali *fecisti dignitate vigere* ». Hæc autem formula non assignatur in libris liturgicis.

(2) Plurima vide exempla ap. Ill. Van der Stappen, *op. cit.*, q. 321, A, 2; 3; 4; B, 2; 4; 7; q. 322; Id., *De admin. sacram*, q. 270, n. 12; *Nouv. Rev. Théol.*, t. XXIX, 1897, p. 612-s., ubi tamen reformandum est responsum ad V, juxta decretum mox citandum.

(3) Ex decreto S. R. C. 14 Junii 1901, ad 9. Cf. Ill. Van der Stappen, *Rubr. Miss. Rom.*, q. 321, A, 4; 6.

ritus sepulturæ: *Fac quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo defuncto* (vel *famula tua defuncta*) misericordiam...

4° Tandem, quod ad *nomen* attinet, regula quâm auctores tradere solebant nitebatur et concipiebatur prioribus verbis decreti S. R. C. 19 junii 1875, *Nucerina paganorum*, n. 5612, ad 5, 6, 7: « Orationes in quibus littera N. non invenitur tam in Missa quam in Officio sine nomine legendæ, et dentur decreta in una Viglevanen., diei 7 aprilis 1832 et in una S. Marci, diei 22 martii 1862 ».

Verum tria hæc decreta (sub nn. 4687; 5318, ad 17 et 5612, ad 5-7 in antiqua collectione Gardelliana) ex nova collectione authentica expuncta sunt. Qua suppressione nobis videtur S. R. Congregatio concedere rationabilem quamdam libertatem, quæ plane congruit cum principio supra ex Rit. Rom. (tit. VI, c. v, n. 3) citato, in quo enumeratio mutationum permissarum non est limitativa, ut patet ex addito verbo *etc*. Hæc sane libertas moderanda est juxta exempla et spiritum rubricarum.

Quibus omnibus inspectis censemus, nomen baptismatis pro sæcularibus, vel religionis pro religiosis:

a/ addi debere ubicumque occurrit littera N.;

b/ non posse addi ubi celebratur pro pluribus (1): nullum enim hujuscemodi exemplum exhibent libri liturgici. Nec mirum, si inspiciatur v. g. difficultas retinendi plura nomina.

c/ posse addi in omnibus orationibus quæ recitantur pro una unove defuncto in die obitus, in die tertia, septima, trigesima et anniversaria, nisi *forte* excipienda esset oratio missæ in anniversario. Ratio regulæ nobis est quod in omnibus hujuscemodi orationibus in uno aliove loco notatur littera N.; ratio autem exceptionis pro *missa diei anniversarii* est quod exulat a missali; sed valde dubia nobis est illa exceptio quia inscritur

(1) Nisi celebrandæ essent exequiæ simul pro duobus defunctis.

littera N. in Rituali pro officio et absolutione anniversarii et non apparet discriminis motivum (1).

d) in missa tandem quotidiana in orationibus *Inclina Domine* pro uno defuncto et *Quæsumus Domine* pro una defuncta non debet addi nomen, quum littera N. non notetur. Ratio videtur esse quia sæpius ignoratur nomen illius pro quo illa oratio dicitur (2).

Probabiliter tamen addi posset, quum omnia decreta hoc prohibentia (3) in ultima collectione suppressa sint.

Quæ fusius et in specie exposuimus et probare conati sumus, summatim reduci posse videntur ad sequentem regulam generalem.

Deficiente in libris liturgicis oratione quæ perfecte aut satis determinato modo exprimat personam in cujus refrigerium celebratur missa aut officium, sumat celebrans illam orationem quæ melius congruit cum adjunctis et intentione ac, pro opportunitate, determinet *dignitatem ecclesiasticam*, mutet *genus et numerum* (servatis tamen restrictionibus expositis sub n. III, 3°) et, pro una unove defuncto addat *nomen* ejus, maxime in die obitus aut die tertia, septima, trigesima vel anniversaria. Cetera vero intacta servet.

C. CALLEWAERT.

Libri dijudicantur.

Petite bibliothèque chrétienne. **Pieuse explication des principales prières du chrétien** *proposée à la jeunesse chrétienne par* J.-B. MALOU, *évêque de Bruges.* 3e édition. Bruxelles, Vromant, 1905. In-18, 304 p. Prix : 1,50.

Bien des chrétiens ne se doutent guère de la beauté réelle de leurs prières usuelles. A quoi cela tient-il?

(1) Ceterum Decreta olim prohibentia insertionem nominis in oratione anniversarii *Deus indulgentiarum*, nn. 5318, ad 17 et 5612, ad 5, ut jam notavimus, in nova collectione suppressa sunt.

(2) Ut patet, in oratione pro patre et matre, non additur nomen, quia ex natura rei persona defuncti est satis determinata.

(3) Numeris 4687; 5318, ad 17; et 5612, ad 6 et 7, in antiqua collectione Gardelliana.

Tout d'abord à l'obscurité de ces prières, qui provient d'une triple cause, la profondeur de l'Écriture sainte qui y est employée, le symbolisme des expressions qu'on y rencontre et la brièveté substantielle de certaines formules ; il y a ensuite l'habitude où nous sommes de réciter ces prières sans trop y réfléchir, sans doute parce que nous les récitons dès l'enfance par un simple effort de mémoire. Pour pénétrer cette espèce de mystère, pour rendre cette inadvertance moins habituelle, il faut méditer de temps en temps ces prières. Dans ce travail de méditation, l'opuscule de feu Mgr Malou sera pour la jeunesse studieuse et en général pour tous les chrétiens quelque peu instruits un guide précieux. Le pieux Prélat s'est attaché à commenter les principales prières du chrétien: le signe de la Croix, l'Oraison dominicale, la Salutation angélique, les actes de Foi, d'Espérance, de Charité et de Contrition, le bénédicité et les grâces, les litanies de la sainte Vierge. Il a ajouté dans la seconde édition une suite de réflexions sur le sacrifice en général, et sur le sacrifice de la Messe en particulier.

Il y a lieu de féliciter la direction de la *Petite bibliothèque chrétienne* d'avoir préparé une nouvelle édition de cet excellent opuscule : ce choix judicieux ne peut que contribuer à augmenter la faveur dont jouit cette bibliothèque. On le sait, cette œuvre, entreprise en 1875 par le Père Van der Speeten, S. J., a pour but de vulgariser la lecture spirituelle, en mettant à la portée des fidèles des écrits ascétiques complètement inconnus de la plupart des lecteurs chrétiens, ou composés en des langues étrangères, ou épuisés en librairie, ou enfin perdus dans de grandes collections. Ces opuscules sont édités par livraisons mensuelles ; le prix de l'abonnement annuel est de 3 fr. pour la Belgique (10 fr. pour quatre ans). Pour tout ce qui concerne l'œuvre, s'adresser au Père Dutremez, S. J., ancienne abbaye, Tronchiennes.

Ajoutons que, pour assurer à la *Pieuse explication* une plus large diffusion, l'éditeur l'a mise aussi à la disposition des personnes non abonnées à la *Petite bibliothèque chrétienne*.

H. Mahieu.

ANALECTA ASCETICA.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XI, pag. 5).

In divino officio non sis piger et fastidiosus sed coge corpus spiritui servire, et sta reverenter et psalle alacriter coram angelis qui ibi presentes juxta te sunt. Inclina devote, non circumspicias hinc inde nisi necesse fuerit. Risus et verba inutilia penitus detestare, ubi coram oculis divine majestatis cum metu et reverencia assistere debes. Verba psalmodie distincte et integre pronuncia. Non leviter discurras per chorum. Ante finem horarum non exeas nisi oporteat. Priusquam incipiatur divinum officium, prevenire studeas, ut cor tuum ad aliquam devocionem excitas, antequam incipiatur officium. Ideo tam desides et tam tepidi sumus in divino officio, quia non fuimus ante in aliqua devocione excitati, et ita eximus, sicut intravimus, frigidi et dissoluti corde. Stude in ipso inicio cogitaciones vanas abicere, et intendere hiis que psalluntur, alioquin tumultus earum vix poteris evadere. Post officium eciam stude te servare in devocione quam concepisti, nec statim te effundas ad inania. Si autem non habes devocionem interius, saltem serva disciplinam, si potes, et morum gravitatem humiliter exterius, propter reverenciam Dei et aliis ad exemplum.

De disciplina servanda *in choro.*

Capitulum V. *De sollicitudine in divino Officio habenda.*

In divino Officio non sis piger nec fastidiosus, sed coge corpus spiritui servire et sta reverenter et psalle

alacriter in ecclesia et devote coram Angelis, qui ibi juxta te sunt præsentes. Inclina te [1] devote et non circumspicias hinc inde, nisi quantum necesse fuerit. Risus et verba inutilia penitus detestare, ubi coram Domino Majestatis cum metu et reverentia debes assistere. Verba psalmodiæ distincte et integre pronuntia. Non leviter discurras per chorum nec ante finem Horarum exeas, nisi oporteat. Priusquam incipiatur Officium, prævenire studeas, si potes, ut cor tuum ad aliquam devotionem sit coaptatum, [2] quando Officium inchoatur. Ideo enim tam desides et tepidi sumus in divino Officio, quia ante non fuimus in aliqua devotione exercitati, et ita eximus, sicut intravimus, frigidi et dissoluti corde. Stude in ipso initio Officii cogitationes vanas abjicere et intende [3] his, quæ psalluntur, alioquin tumultus earum vix poteris evitare. Post Officium etiam stude te servare in devotione, quam concepisti, nec statim te ad inania effundas. Si autem non habes devotionem interius, saltem conserva disciplinam et morum gravitatem humiliter exterius propter reverentiam Dei et aliorum exemplum. In choro [4] non multum loquaris, nisi valde utile sit, et hoc humiliter et mansuete.

---

[1] Noster: *inclina,* neutraliter sicut sta, genuflecte. Ita solet etiam dicere schola devotorum.

[2] Apud nostrum *excitas,* lege *excites.*

[3] Melius, sicut noster, *intendere,* eo vel magis quod quæ sequuntur: « alioquin tumultus » etc. propius referuntur ad « abjicere ».

Cæterum nemo non videbit illico magis concinne hoc capitulum proponi in textu nostro.

[4] Codex noster multo melius hoc refert ad capitulum et legit: In capitulo non multum loquaris etc. Sane mira est hæc additio ad cap. V, et vix locum suum congrue invenit agendo de choro, valde autem bene et congrue initium refert disciplinæ in capitulo servandæ.

* * *

In Capitulo non multum loquaris, nisi valde utile sit, et hoc humiliter et mansuete. Culpam tuam humiliter dic et correptus valde humiliter et mansuete responde et non excuses te quando corriperis. Si de consilio interrogatus fueris, libere et humiliter dic quod tibi videtur expedire. Si autem non requiritur consilium tuum, non sit tibi cure nec velis pertinaciter defendere vel tenere sentenciam tuam; sufficit tibi satisfecisse conscientie tue. In accusationibus tuis sis anxius, dic tantum quod scis esse factum contra regulam et ordinis statuta, sine odio aliquo, et verbis mansuetis et vultu placido. Et quod non scis non teneris dicere. Noli opinando accusare, quia opinio sepe fallit. Ille qui dixit tibi, quod ipse scit dicat per se, si presens est, et si presens non sit tunc nec tu poteris probare cujus testem non habes. Non graveris pro accusationibus tuis, sed humiliter dic culpam tuam, sive magna sive parva, quia major consurget tibi confusio si procaciter te excuses, quam si humiliter confitearis. Si vero gravia essent et non vera et maxime quæ possent alios scandalizare, tunc humiliter petita audiencia indica eis paucis verbis et modestis quod non sis tibi conscius de quibus accusaris. Servus Dei non debet timere confusionem ab hominibus, ubi conscientia coram Deo non accusat, sed sustinere debet pacienter quidquid eum Dominus voluerit sustinere.

De servandis *in capitulo*.

Consuesce ubicumque a seniore corriperis, sive in capitulo sive extra, quod statim flexis genibus humiliter culpam tuam dicas. Hec est enim lex antiqua religionis a sanctis Patribus tradita. Unde et tu debes studere ut, sicut tibi ordo a superioribus traditus est, ita et tu tradas

De *correptione* suscipienda.

De *traditione* servanda.

eum eciam posteris tuis, quantum in te est, verbo et exemplo. Nec aliquam non bonam consuetudinem inducas vel discas, nec aliquam bonam consuetudinem vel utilem ex negligencia vel incuria dilabi permittas, nec in te nec in aliis quibus cum modestia persuadere potueris. Quicumque enim aliquod exemplum aliis relinquit, sive bonum sive malum, particeps imitatorum suorum erit, sive in supplicio, sive in premio.

De *exemplo* dando.

CAPITULUM VI. *De disciplina in Capitulo servanda.*

1. In Capitulo culpam tuam humiliter dic et correctus humiliter responde, nec excuses te, quando corriperis, sicut Adam, qui refudit culpam in Deum dicens: *Mulier, quam dedisti mihi, decepit me* [1]. Si de consilio interrogatus fueris, libere et humiliter dic quod tibi videtur expedire. Si autem tuum consilium non requiritur, non sit tibi curæ nec velis pertinaciter defendere sententiam tuam; nam sufficit tibi satisfecisse conscientiæ tuæ.

2. In accusationibus non [2] sis anxius, dic tantum quod scis factum contra rationem et Ordinis instituta, et dic sine odio alicujus et cum verbis mansuetis et placido vultu; et quod nescis non teneris dicere. Noli opinando aliquem accusare, quia opinio sæpe fallit. Ille, qui dixit tibi quod nesciebas, dicet ipse, si verum est et si præsens erit; si autem præsens non fuerit, tunc et tu non posses probare causam, cujus testem non habes. — Non graveris pro accusationibus tuis, sed tantum dic humiliter culpam tuam, licet magnæ sint vel parvæ [3], quia major tibi surget confusio, si procaciter te excuses, quam si humiliter confundaris. Si vero graves essent et non veræ, maxime quæ possent alios scandalizare, tunc humiliter, petita licentia vel audientia, indica eis paucis verbis et modestis, quod non sis tibi conscius, de quibus accusaris. Servus Dei non timet confusionem coram hominibus, ubi eum coram Deo

conscientia non accusat, sed sustinet patienter, quidquid Deus voluerit eum sustinere.

3. Consuesce [1] ubique, dum a superiore corriperis, sive in choro sive extra, quod statim genibus flexis humiliter dicas culpam tuam. Hæc est lex antiqua Religionis a beatissimo Patre Benedicto et etiam a sancto Francisco et aliis [3] sanctis Patribus tradita. Unde et tu debes studere, ut, sicut Ordo a superioribus tuis tibi traditus est, ita et tu tradas eum posteris tuis, quantum in te est, verbo et exemplo. Nec aliquam non bonam consuetudinem inducas vel discas, nec aliquam bonam consuetudinem et utilem neglectam per incuriam dilabi permittas in te et in aliis, quibus cum modestia persuadere poteris. Quicumque enim aliquod exemplum aliis relinquit sive bonum sive malum, particeps est imitatorum suorum sive in supplicio, sive in præmio.

---

[1] *Sicut Adam* etc. pro glossemate habemus, eo vel magis quod in edit. 1596 quoque abest.

[2] Malumus legere cum nostro *sis anxius* seu strictus, quam cum altero *non* sis; intelligendo, non quidem de anxietate quadam animi, sed de angore ipsius accusationis, nempe quando tu accusas, prout explicat Auctor: Dic tantum quod scis esse factum contra *regulam* (melius quam *rationem*). — Noli opinando accusare. — Ille qui dixit tibi, dicat ipse, etc. Cæterum, infra Auctor de anxietate animi non habenda quando *accusaris* loquitur, dicens: *Non graveris* etc.

[3] Apud nostrum: *sive magna sive parva* (sint), intellige neutro genere, sicut infra: *Si vero gravia essent,* etc., scil. ea, de quibus culpam tuam dicis.

[4] Noster hæc speciali capitulo, non sine ratione, proponit, ut argumentum ipsum indicat; quod quidem occasione dictorum in præcedenti capitulo, immediate post hoc inserit. Unde etiam intelliges legendum in initio: « sive in *capitulo* sive extra », non vero: sive in *choro*.

[5] Hæc per meram interpollationem inserta habemus. Sic ed. 1596, cujus codex Fr. David tribuit opus, solum Franciscum addidit.

*
* *

De disciplina servanda *in mensa.*

In mensa noli hincinde circumspicere, ita ut videas quis in latere tuo sedeat et quid faciat et quid coram se habeat. Tibi soli et Deo esse debes intentus et lectioni. Cum disciplina comede, non cum impetu gule quasi non possis saturari. Nec effundas te totum super cibum, sicut canis famelicus qui non potest saturari. Nec vagis oculis et inquieto corde circumspicias quid in mensa sit delicacius. Nec queras ante satiare oculum quam palatum, sed cum omni graciarum actione sufficiat tibi quod habere potes, et semper vel penuriam potius sustinere quam plus habundare. Nec spernas quod tibi apponitur, nec indigneris si aliquis defectus est in condimento vel sale vel coctura, sed semper cogita quod multi meliores et religiosores te vilioribus et paucioribus sunt contenti, cum quod tu abicis pro magnis deliciis acceptarent. Paupertas, familiaris amica Christi, placeat tibi in omnibus, et ipsam quam summo conatu amplectere, in cibis, in vestibus, in mensis, in utensilibus, in libris, in edificiis, in omnibus. Vides quam humiles gestus pauperes habent, quam simplex responsum, quam pavidum animum. Nunquam audiatur aliqua querimonia a te, pro aliquo defectu in cibo et in vili vestitu tuo. Semper computa te indignum hiis que habes. Quia defectus exterior crescit in augmentum interioris gratie et in divicias bone consciencie, et e converso exterior habundancia interioris inopiam generat.

De mensura comedendi.

De mensura comedendi difficile est dare certam regulam, nisi quod inter ista duo hoc medium teneas: ne ita parum sumas, ut in viribus deficias et a communi labore frangaris; item ne ita mul-

tum sumas, ut propter cibum aut potum non possis orare vel legere vel agilis esse ad ea que injunguntur et dicuntur. Inter ista duo propria experientia melior est magistra.

CAPITULUM VII. *De disciplina servanda in mensa.*

In mensa noli hinc inde respicere, ita quod nescias, quis sedeat apud te in latere tuo, vel quid faciat vel quid coram se habeat, sed tibi soli et Deo sis intentus vel lectioni. Cum disciplina, timore et silentio comede, non cum impetu gulæ, quasi non possis satiari, nec effundas te totum super cibum sicut canis famelicus nec vagis oculis et inquieto corde circumspicias, quid sit in mensa delicatius, nec ante quæras satiare oculum quam palatum, sed cum gratiarum actione sufficiat tibi habere quod potes. Et semper velis penuriam aliquam potius sustinere, quam plus abundare. Nihil spernas, quod tibi apponitur, nec indigneris, si aliquis defectus inest condimento vel salis vel cocturæ, sed cogita, quod multi meliores te vilioribus et paucioribus cibis sunt contenti, qui quod tu abjicis pro magnis deliciis reputarent. Paupertas Christi familiaris et amica placeat tibi in omnibus, et ipsam cum summo conatu amplectere in mensis, cibis et potu, in vestibus, in utensilibus, in libris, in ædificiis et in omnibus. Videmus, quam humiles gestus pauperes habent, quam simplex responsum, quam pavidum animum. Nunquam audiatur aliqua querimonia de te pro aliquo defectu tuo in cibo vel potu vel vestitu. Reputa, te indignum esse his, quæ habes, quia defectus exterior crescit in augmentum gratiæ interioris et in divitias conscientiæ bonæ, econtra exterior abundantia inopiam generat interiorum. De mensura vero comedendi difficile est dare certam regulam, nisi quod inter duo extrema semper medium teneas, videlicet ne ita parum sumas, ut in viribus deficias et in communi labore frangaris; similiter nec ita multum

sumas, ut propter multum cibum sumtum non possis orare vel legere vel agilis esse ad ea, quæ tibi præcipiuntur. In istis propria experientia cum devota voluntate melior est magistra.

De singulis variantibus lectionibus singulas annotationes scribere necesse non est: jam sufficienter lector, sicut in præcedentibus, adverterit præstantiam textus nostri præ editione Quaracchi.

*
* *

De disciplina servanda *in dormitorio.*

In dormitorio esto quietus, ne per te aliquis aliquo modo inquietetur sive orans sive legens vel dormiens. Quotiescumque evigilaveris, statim occurrat tibi memoria Dei cum graciarum actione, quia ipse vigilat super nos, quando nos dormimus, ut custodiat nos. Quando dormire vis, prius debes intendere Deo orando vel aliquid boni meditando, et tunc eciam erit tibi sompnus dulcior et puriora erunt tibi sompnia et evigilabis devocior et surges alacrior et facilius redibis ad eandem devocionem in qua ante sompnium fuisti. Et licet dormientibus non imputandum esse videatur, quando nescii faciunt vel paciuntur, tamen indecens est valde homini religioso ita totum obrutum esse sompno sicut pecus, et jacere, disjectis manibus et membris, incomposite, et manibus in sinu retractis; cum propter hoc maxime jaceamus cincti et vestiti, ut non habeamus potestatem circumducendi manus hac et illac in nudo corpore, sed ut magis parati simus ad surgendum ad oracionem.

De somni quantitate,

De sompni quantitate tene sicut supradictum est de mensura cibi. Ut membra et sensus ex quiete reficiantur sompni, et ut ex nimio tor-

pore sompni, corporis non reddatur pigricia et animus tepidior et sensus obtusior.

Nam diuturna quies viciis alimenta ministrat.

Virtuti tamen vicinius est, cum non potes semper in talibus modum custodire, si ex bone voluntatis fervore necessitati corporis aliquid interdum amplius subtrahitur, quam si ex torpore cordis carnis vitia, quasi sub discrecionis pallio impugnato corpore, nutriantur; juxta illud: « melior est iniquitas viri quem benefaciens mulier. » Hoc est: melior est qui per celeste desiderium accensus carnem, eciam necessaria ei subtrahendo, affligit, quam qui, per carnalem affectionem resolutus, per omnia quæ commoda sunt ei satisfacere contendit. Et licet hoc bonum sit et ad profectum spiritualem, attamen caute hoc faciendum est ne corpus deficiat in via, antequam perveniat ad metam, ut possis sequi conventum sine murmure destructi corporis et communem ordinis rigorem cum ceteris tenere. Qui post te veniunt ad ordinem, non attendunt quid ante eos in ordine laboraveris, sed solum respiciunt quale exemplum eis preferas in presenti, in laboribus, in vigiliis, in cibis et in aliis observanciis ordinis, in quibus volunt sibi seniores se preire. Alioquin aut scandalizantur in ipsis, aut imitari eos incipient parcendo corpori plus quam oporteat vel expediat. Non enim attendunt quid intus boni promeruerint sed tantum quid exterius rigoris ostenderint. Devocionem Deo debes intrinsecus, bonum exemplum proximo exterius. Ut ista utraque congrue possis exhibere, utrobique discrecio necessaria est, per quam et prudenter corpus castiges, ne sub sarcina corruat et spiritualem intellectum pre

et generatim de *discretione* in satisfaciendo *necessitatibus corporis.*

nimia debilitate impediat ; et rursum discrete foveas, ne adversus spiritum rebellet.

CAPITULUM VIII. *De disciplina servanda in dormitorio.*

1. In dormitorio esto quietus, ne aliquis per te aliquo modo inquietetur sive orans, sive dormire volens. Quoties autem evigilaveris, statim occurrat tibi memoria Dei et ejus passionis [1] cum gratiarum actione, quoniam ipse evigilat super nos, quando dormimus, ut custodiat nos. Quando vis ire ad dormiendum, prius intende Deo orando vel meditando et ita in hac occupatione dormi ; tunc somnus erit tibi dulcior et puriora somnia somniabis et evigilabis devotior ; sic surges alacrior et facilius redibis ad eandem devotionem, in qua ante somnum fuisti. Et licet dormienti non imputandum esse videatur, quod nescius facit vel patitur, indecens tamen est Religioso, obrutum esse in somno sicut pecus et jacere, distentis vel disjunctis membris incomposite et manibus in sinu retractis, cum propter hoc maxime vestiti dormiamus et cincti, ut non habeamus potestatem circumducendi manus hinc inde in nudo corpore, et ut magis simus parati ad surgendum ad orationem. [2] De quantitate somni tene te secundum illam regulam, quæ dicta est superius de mensura cibi, ut membra et sensus ex quiete somni reficiantur, et ne ex nimio torpore somni corpus reddatur pigrius, [3] animus tepidior et sensus obtusior. Unde Cato [4] :

« Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat ».

2. Non potest tamen medium semper in talibus custodiri, sed virtuti vicinius est, si ex bonæ voluntatis fervore necessitati corporis aliquid interdum subtrahitur, quam si ex tepiditate cordis carnis vitia quasi sub discretionis pallio, impinguato [5] corpore, nutriantur, juxta illud : *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens*, hoc est, « melior est qui per cæleste desiderium accensus, carnem ei necessaria subtrahendo affligit,

quam qui per delectationem resolutus, circa omnia, quæ necessaria sunt, [6] ei satisfacere contendit ». Et licet hoc bonum et aptum sit ad profectum spiritualem, tamen caute faciendum est, ne corpus *deficiat in via*, antequam ad metam perveniat, ut possit [7] sequi conventum sine murmure destructi corporis et communem Ordinis rigorem cum ceteris tenere; quia qui post te ad Ordinem veniunt non attendunt, quid ante eos laboraveris, sed solum aspiciunt, quale eis exemplum præferas in præsenti: in laboribus, vigiliis, in cibis et aliis observantiis Ordinis, in quibus vellent sibi seniores suos præire; alioquin aut scandalizantur de ipsis, aut imitari eos incipiunt parcendo corpori plus, quam expediat. Non enim attendunt, quid intus boni promeruerint, sed tantum, quid exterius rigoris ostendant. Devotionem Deo debemus intrinsecus, sed proximis bonum exemplum extrinsecus. Ut autem ita congrue utrique possis exhibere te, discretio necessaria est, per quam et corpus prudenter castiges, ne adversus spiritum rebellet, et rursum discrete foveas, ne sub sarcina corruat et spiritualis vitæ profectum præ nimia debilitate impediat. [8]

---

[1] *Et ejus passionis* fuisse aliena manu, minus opportune, addita non dubitamus; in editione 1596, quæ additis scatet, quoque desunt.

[2] Sequentia textus noster, ut vidimus, distincto capitulo addit, jure quidem merito, eaque in altero textu saltem sub n. 2 reponenda fuissent; melius tamen novo capitulo, cum in iis agatur, quemadmodum in notis marginalibus indicavimus, non tantum de somno sed et de mensa et generatim de necessitate corporali, cui quomodo cum discretione sit satisfaciendum exponitur.

[3] Primo intuitu alter textus præferendus nostro forte videbitur. Penitius vero rem inspiciendo, præstat noster, quamquam paulo difficilior, quem ita interpretamur, ut *pigritia* sit in ablativo, nempe: ut ex nimio torpore somni, per corporis non reddatur pigritiam et animus tepidior et sensus obtusior.

[4] *Unde Cato*, dubitamus valde utrum ad textum primævum pertineat, cum potius hic phrasim abrumpat secus optime profluentem per *nam* etc., et aliunde non soleat, ut pluries jam vidimus, allegare Auctor scriptores, quorum textus citat aut ad quos alludit; quod heic eo meliori jure omiserit, quod disticha istius Catonis omnibus notissima erant, utpote quo omnes tamquam *auctore* latino in primis scholis usi fuerant.

[5] Noster habet *impugnato* quod facile in manuscripto cum *impinguato* confundi potest; quamquam hæc altera lectio primo intuitu eligenda videtur, illa tamen quoque explicari potest, nempe nimis laxe seu quasi sub discretionis pallio tantum impugnato corpore.

[6] Hæc desumuntur citata e libro *de spiritu et anima*, c. XI, quem aliquando at falso tribuerunt Augustino. Atqui ibi legitur: *per omnia quæ commoda sunt,* sicut in textu nostro, non vero: *per omnia quæ necessaria sunt.* V. Migne, tom. XL, p. 787.

[7] Melius noster *possis:* si enim legis: *possit,* mirum dicis: ut possit corpus... *sine murmure destructi corporis.* Editio a. 1596 habet quidem *possit,* sed omittit verba *destructi corporis,* et legit: « possit sequi conventum sine murmure, et communem ordinis rigorem cum ceteris. »

[8] Aptius et elegantius, pro more, in nostro textu: « Ut ista utraque congrue possis exhibere, utrobique discretio necessaria est. » Item et cætera aptius proposita sunt: quod enim noster videatur invertere dicta: castiges, ne sub sarcina corruat; foveas, ne adversus spiritum rebellet, adverte valde concinne dicta, insistendo nempe in discretione, quam necessariam voluit, hinc quidem castiges *prudenter,* ne corruat, inde vero foveas *discrete,* ne rebellet; etenim, castigando indiscrete, non fovendo, corruere potest, et e converso indiscrete fovendo, non castigando, rebellare.

Quanto tandem aptius dicitur *spiritualem intellectum... impediat,* quam: *spiritualis vitæ profectum.*

***

De laboribus communibus.

AD labores communes et humilitatis officia esto paratus: in coquina et aliis officinis et maxime ad illa obsequia, quæ alii pro sua vilitate

quasi abhorrent, scilicet ligna portare, domum scobare, ollas et alia utensilia purgare, paleam ubi necesse fuerit deferre et fratrum tunicas excutere et pedes lavare; et super omnia infirmis libenter servire.

CAPITULUM IX. *De disciplina in labore manuum servanda.*

Ad labores communes et ad humilitatis officia esto paratus, ut in coquina, in ecclesia [1] et in aliis officinis et maxime in illis obsequiis, quæ alii pro sua vilitate abhorrent, ut ligna portare, domum scopare, ollas mundare aliaque utensilia purgare, pedes lavare et Fratrum tunicas excutere. [2]

---

[1] *In ecclesia* (et aliis officinis) merito omittit noster, cum videatur incongrue reponi ecclesia inter coquinam et alias officinas.

[2] Contra, quæ hic omittit alter textus, an primitus scripta fuerint, necne, difficile quidem dictu est, convenienter vero in nostro proponi manifestum est; ubi adverte: *et super omnia infirmis libenter servire*, non simpliciter connumerari cum cæteris: *scilicet ligna portare* etc., sed, pro more Auctoris, ut pluries notavimus, ex generali suo proposito mente retento, nempe, debes communes labores et humilia obsequia libenter obire, finem imponunt dictis, utpote præcipuum obsequium: *et super omnia* etc.; ad quod apte transit per ultimum enumeratum: « *pedes lavare;* » quod in altero textu certo fuit inversum cum sequente: « tunicas excutere », cum sine dubio legendum sit: « Fratrum tunicas.... et pedes... »

NOTA. Deinceps, ne forte alterius textus repetitio lectori tædium pariat, solum textum nostrum ineditum proponemus, in notis subjiciendo quæ notabiles visæ fuerint variantes lectiones. Etenim jam satis judicare potuerit lector ex supra relatis capitulis de indole textus a RR. PP. collegii Bonaventuriani, Ad claras Aquas, editi.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Martii

—

I

Interpretare Jo. XVI, 7-11.

II

An et cur in Christo-homine admittenda est scientia naturaliter acquisita?

III

Determina modum quo accidentia panis et vini existunt in SS. Eucharistia absque substantia panis et vini.

IV

An et quare accidentia panis et vini possunt immutare corpora ambientia atque ab eis immutari?

V

Expone modum quo Christus desinit esse præsens in SS. Eucharistia.

VI

Quid est delictum ecclesiasticum?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

—

I

Q. *Interpretare Amos V, 24-27.*

R. I. **Prænota.** Ut notum est, libri Amos argumentum integrum versatur in castigandis populi regni Israel sceleribus, divinisque pœnis ei prænuntiandis. Locus explicandus V, 24-27 sequitur judicium Domini contra populum latum (V, 16 ss.), et immediate connectitur cum pericopa 21-23, ubi propheta cæremonias cultus, externo tantum habitu peractas, nulli subsidio vel munimento contra instantia pericula fore pronuntiat.

II. **Argumentum.** Amos in hoc loco V, 24-27 Israelitarum prædicit exilium babylonicum, a quo immunes esse non poterunt per multiplicata sacrificia, sicut sacrificia in deserto oblata non impediverunt quominus per 40 annos in deserto erraverint.

III. **Interpretatio.** V, 24. *Et revelabitur quasi aqua judicium, et justitia quasi torrens fortis.* Duplex hujus v. interpretatio proponitur. Alii autumant hunc v. in oppositione ad cæremonias cultus externi (21-23) exhortationem esse ad justitiam colendam quæ sola Jehovam placare possit, vertuntque hoc modo: « Jus velut aqua scaturiat, et justitia ceu fons uberrimus » i. e. justitia tua coram omnibus late hominibus prodeat, ceu fons uberrimus, amnisque aquis dives.

Verùm contra hanc interpretationem merito objicitur (1) orationem vv. 21-23 minime sub forma exhorta-

---

(1) Ità Van Hoonacker, *Revue Biblique,* Paris, 1905, p. 176, qui post Nowack, *Die kleinen Propheten,* Göttingen, 1904, p. 153, observat: « Hitzig a objecté contre cette interprétation que si Jahvé peut *promettre* de pro-

tionis qua cultus mere externus immutetur proponi, sed modo absolutæ et positivæ reprobationis exhiberi, quin hujusmodi formæ orationis immutatio ullo modo innuatur. Præterea « torrens fortis » *(nahal êtân)* potius torrentem perpetuum adeoque præcipitem et rapidissimum significat; ergo non tam virtuti morali hominum quam judicio Dei vindicativo designando inservit, ità ut sequenti interpretationi calculum adjiciamus: « Judicium (Dei condemnatorium contra populum reum) volvetur quasi aqua, et justitia (Dei vindicativa) quasi torrens perennis seu fortissimus (secum trahens quæ inciderint et nemini parcens) ». Apposite Van Hoonacker: « Il est inutile de rappeler que *mischpath* (judicium) et *sedakah* (justitia) s'emploient souvent du jugement et de la justice vindicative de Jahvé. Le contexte s'oppose-t-il à l'interprétation proposée? Il semble au contraire qu'il la recommande. Aux versets 21-23 Jahvé proclame qu'il ne se laissera pas fléchir par les manifestations d'un culte purement extérieur, qu'il déteste les fêtes, qu'il n'accueille pas les sacrifices, qu'il n'écoute pas les cantiques.... Quoi de plus naturel que de donner à la phrase qui *continue* ce discours le sens qui de soi lui convient parfaitement, d'une conclusion en forme de menace? La suite aux vv. 25 ss. n'est pas davantage contraire à cette explication » (1).

25. *Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?* — Plures interpretes hanc interrogationem velut *negationem* habent: non mihi hostias et sacrificium obtulistis, etc. Ità augetur, aiunt (2), scelus Israel, ex eo quod populus longa

---

curer lui-même le règne d'une justice qui couvre la terre comme les eaux (*Is.* XI, 9), il s'abstiendra d'*exiger* une justice abondante comme les eaux d'un fleuve; son exigence se borne à demander la pratique de la justice, purement et simplement. Cette observation est juste, d'autant plus que en un passage comme celui-ci, une formule enonçant une plus grande exigence affaiblit indirectement le grief à charge des inculpés ».

(1) *Ibid.* p. 177.

(2) Knabenbauer, *Commentarius in Prophetas minores*, Parisiis, 1886, p. 295.

jam generationum serie officia sua erga Deum neglexerit et, contra leges latas, nulla sacrificia in deserto obtulerit. At hæc interpretatio contextui manifeste repugnare videtur, cùm Jehovah vv. 21 ss. sacrificia, qualia a Judæis offerebantur, aperte reprobet ac rejiciat.

Alii auctores sensum istum negativum hoc modo proponunt: Sicut antea in deserto hostias et sacrificium non obtulistis mihi, domus Israel, ità nunc, oblatione sacrificiorum vobis favorem meum conciliare non poteritis. Cui interpretationi obstat imprimis prophetam tunc apud coævos suos hanc communem supponere persuasionem: nulla sacrificia cruenta vel incruenta Jehovæ in deserto fuisse oblata, quæ communis persuasio summe improbabilis apparet (1). Præterea prophetæ, et in specie Amos (2), peregrinationem in deserto *per quadraginta annos,* non favorem a Deo concessum, verò duram calamitatem reputant, ità ut hujus *calamitatis* recordatione Amos inculcare noluerit *favorem divinum* absque sacrificiorum oblatione esse implorandum.

Sensus igitur negativus (3) part. *numquid* (hebr. *he*) huic contextui minime congruit. Quare recentiores quidam v. 25 legunt *sensu affirmativo: Nonne* obtulistis (4) mihi etc. Qui sensus — a quo part. hebr. *he* non abhorret (5) — contextui omnino conveniens deprehenditur. « Ira et vindicta Jehovæ averti non poterunt cultu mere externo, mente simulata exhibito vv. 21-24. Sicut olim, non obstantibus vestris sacrificiis, per quadraginta annos aditus terræ promissæ vobis præclusus fuit (v. 25), ità nunc sacrificia vestra impedire non poterunt quominus exilio e terra promissa expellamini (vv. 26-27) ». Dicta interpretatio non tantum apte contextui congruit,

---

(1) Cf. Van Hoonacker, *ibid.*, p. 178 s.

(2) II, 17; XII, 10.

(3) Cui tamen plures versiones antiquæ favent.

(4) *Gallice:* M'en avez-vous offert, des sacrifices et des oblations, dans le désert, maison d'Israel?

(5) Cf. *I Sam.* II, 27; *I Reg.* XXI, 19.

sed præterea historiâ populi judaici commendatur, quippe qui absque dubio sacrificia in deserto obtulit (1).

26. *Et portastis tabernaculum Moloch vestro et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.*

Et portastis propter parallelismum (2) cum v. 27 *migrare vos faciam,* non de tempore quo Israelitæ in deserto erraverunt, sed de futuro tempore captivitatis intelligendum apparet, eo vel magis quod idola assyro-babylonica statim enumerentur, quæ Israelitæ non tempore exitus de Ægypto adorabant (3), sed postquam commercium cum Assyriis habuerant (*IV Reg.* XVII, 16). Loco *tabernaculum (Sikkut) Moloch vestro* hebraice potius legendum est: *Sakkut regem vestrum.* Reliqua verba juxta textum LXX ordinanda sunt et legenda: καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαιφάν (potius (4) Καίφαν) τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε: *et astrum Dei vestri Kaivan, imagines (idolorum) quas fecistis. Kaivan* autem *Saturnus* esse perhibetur, seu divinitas assyriaca Adar quæ etiam *Sakkut* vocatur (5).

---

(1) Cf. *Exod.* V, 1, 3; XXIV, 5 ss.

(2) Hebr. bis habetur perfectus consecutivus. Cf. Nowack, *l. c.*; Van Hoonacker, *ibid.*, p. 180.

(3) Hæc verba *Amos* V, 25-27 occurrunt in oratione S. Stephani *Act.* VII, 42-43. S. Stephanus ex hoc loco arguit ut ostendat Israelitas a Deo traditos esse ut servirent « militiæ cœli », ad quem finem dictus textus rite adducitur cùm Sakkut-Kaivan apud Assyrios esset divinitas siderea (Saturnus). Stephanum autem loqui de idololatria in deserto commissa non potest ex ejus verbis concludi; imo (ut recte observat Ceulemans, *Commentarius in Actus Apostolorum,* Mechliniæ, 1903, p. 94), eum loqui de idololatria postea commissa in terra Canaan ex ultimo inciso (*Et transferam vos trans Babylonem*) potius est colligendum.

(4) Schrader, *Keilinschriften u. Altes Testament,* 2ª ed. p. 442 s.; Knabenbauer, *o. c.*, p. 296; Nowack, *l. c.*; Van Hoonacker, *ibid.* p. 181. — *Act.* VII, 43: *Rempham* idem ac LXX: Ῥαιφαν.

(5) « Ῥαιφαν déformé de Καίφαν? et Syr. Kaivânâ.. est le nom connu en arabe (Kaïvân) et en assyrien (Ka-ai-va-nu), de la planète Saturne. Ka-ai-va-nu désigne d'ailleurs en assyrien le dieu Adar, auquel s'applique aussi le nom de Sak-kut.... Les deux noms divins Sakkut et Kaiavanu figurent l'un à côté de l'autre dans une incantation assyrienne publiée par Zimmern et reproduite par Condamin (Rev. Bibl. 1901, p. 358). » Ità Van Hoonacker, *l. c.*

27. *Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus; Deus exercituum nomen ejus. Trans Damascum.* Illa verba S. Stephanus *Act.* VII, V, 43 interpretatus est: *trans Babylonem.* Israelitæ enim translati sunt non solum trans Damascum, sed etiam trans Babylonem, in Assyriam et civitates Medorum (1).

Deus exercituum copias hostium tanquam suæ vindictæ administras mittet: eo *nomine* Dei quasi sigillo vaticinium obsignatur et confirmatur; experientur sc. Deum non frustra tali nomine vocari.

IV. **Paraphrasis.** V, 25. Et volvetur quasi aqua judicium (Dei condemnatorium), et justitia (Dei vindicativa) quasi torrens fortissimus (abripiens vos a terra vestra et transferens in exilium). 25 Nonne victimas et hostias (sacrificia cruenta et incruenta) obtulistis mihi quadraginta annis in deserto, domus Israel? (Certe obtulistis mihi sacrificia, et nihilominus propter infidelitates vestras quadraginta annis in deserto errastis. Similiter nunc sacrificia vestra non liberabunt vos a statuto exilio). 26 Et portabitis (vobiscum in exilium) Sakkut regem vestrum, et astrum Dei vestri Kaivan (*seu* Deum vestrum sidereum Kaivan), idola quæ fecistis vobis (ad adoranda ea *Act.* VII, 43). 27 Et migrare vos faciam (exilio) trans Damascum (in Assyriam) dicit Dominus, cui nomen Deus exercituum.

A. Camerlynck.

II

Q. *Explica cur hominum satisfactio pro peccatis non sit supervacanea licet Christus adæquate, imo superabundanter, satisfecerit pro omnibus hominum peccatis.*

R. *Licet Christi satisfactioni nihil augmenti addi possit, vult tamen Deus ut homo adultus pro suis personalibus*

---

(1) *IV Reg.* XVII, 6, 23.

peccatis opera satisfactoria eliciat; illi autem actus satisfactorii, qua revera tales sunt, sunt effectus tum satisfactionis, tum meriti Christi.

Explicatur. 1. *a/* Christi satisfactio, quia a *divina* procedit persona, est infiniti valoris, tum ratione ipsius actus, quatenus valor ejus *honorificus* est infinitus, tum etiam ratione objecti, circa quod versatur, quatenus nempe pro omnibus in indefinitum peccatis valet. Christus igitur adæquate, imo superabundanter, satisfecit pro omnibus hominum peccatis, sive mortalibus, sive venialibus, quæ in qualibet temporis differentia committuntur.

b/ Non ideo tamen voluit Deus ut homines salvarentur quin, ante mortem, *singuli* redderentur participes vitæ supernaturalis gratiæ quam Deus propter *satisfactionem* et *meritum* (1) Christi iterum concedit humano generi lapso. Non enim Deus restituit dona supernaturalia, ad salutem necessaria, *naturæ* humanæ, sed singulis *individuis* dummodo quædam verificarentur conditiones (2). Hoc constat ex necessitate *baptismi*. Præterea *adulti,* illi nempe qui usum rationis sunt adepti, debent propriis operibus operari ad ipsorum salutem: non inviti enim, nec inscii finem ultimum attingere valent, sed *recte* operantes et libere, ac in præsenti Providentiæ ordine, sub influxu gratiæ. Hæc

---

(1) Bene notemus formalem differentiam inter rationem *satisfactionis* et rationem *meriti*. *Satisfactionis* ratio est compensatio pro læsione honoris illatà alicui: inde effectus directus satisfactionis est *ablatio reitatis; meriti* vero ratio est dignitas operis ad *præmium* seu *mercedem*. Meritum *de condigno* est vera *exigentia* operis ad mercedem; meritum vero *de congruo* est congruitas seu convenientia quæ operi inest ad mercedem. Inde effectus directus meriti, in actu secundo, est *elargitio boni* tamquam mercedis. Non repugnat actum esse tantum satisfactorium, et non meritorium; et esse meritorium, quin sit satisfactorius: potest enim quis mereri apud alterum quin hunc offenderit et consequenter egeat satisfacere; potest etiam quis alteri compensationem præbere pro illata offensa quin apud illum aliquam mercedem exspectare possit.

(2) Cf. Illmus ac Revmus WAFFELAERT, *Meditationes Theologicæ,* in *Collat. Brug.*, T. II, p. 120.

generalis necessitas operationis ad salutem exprimitur a S. Paulo: « Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis (h. e. *ad opera bona*), quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus » (1).

Porro inter illa bona opera sunt et opera *satisfactoria* pro peccatis personalibus. Etenim si adultus peccaverit mortali peccato, *reatus culpæ* necessario in ipso remanet quamdiu ipse non detestatus fuerit peccatum, illudque retractaverit actu contrario: in hac autem detestatione consistit *prima compensatio* Deo offerenda pro illata Ipsi injuria. Deinde ad omne peccatum sequitur connaturaliter *reatus pœnæ,* h. e. obligatio ad subeundam pœnam: pœna autem duplex est, *damni* scilicet et *sensus:* etenim in omni peccato mortali duo attenduntur: « scilicet conversio ad commutabile bonum, quæ materialiter se habet in peccato, et aversio a bono incommutabili, quæ est formalis et completiva ratio peccati » (2). Porro duplici inordinationi correspondet duplex pœna: inordinationi aversionis a Deo correspondet pœna damni, inordinationi conversionis indebitæ ad creaturam, pœna sensus (3). Igitur ut homo hac in terra pro peccato mortali satisfaciat, etiam inadæquate, non sufficit ut se amore convertat ad Deum, detestando peccatum et obsequium Deo præbendo, sed requiritur insuper ut per opera *afflictiva* ordinem restituat qui fuit læsus per nimiam ad creaturas conversionem seu fruitionem earum: qui enim *nimis* appetitui suæ voluntatis indulsit, ordinem restituere debet abstrahendo aliquid eorum quæ voluntas appetit (4). Ergo ex natura peccati sequitur quod homo debeat ipse, actu, se iterum ad Deum *convertere*,

---

(1) Ephes. II, 10; cf. Tit. II, 14; III, 8.

(2) S. Thomas, II-II^{æ}, Q. CLXII, a. 6; cf. Billot, *De natura et ratione peccati personalis,* Romæ, 1894, p. 39.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, T. III, p. 81.

(4) Cf. S. Thomas, in IV, D. XV, a. 4, sol. 1. Opera illa pœnalia ad tria reducuntur: eleemosynam, jejunium, orationem: cf. ibid. sol. 3.

amando Ipsum et honorando, detestandoque peccatum, et ulterius operibus *pœnalibus* compensationem præbere. Jamvero, in præsenti Providentiæ ordine, hæc necessitas non tollitur per hoc quod Christus semel adæquate satisfecerit pro omnibus hominum peccatis: hæc enim necessitas ex ipsa rerum natura seu essentia consequitur, quam Deus sapientissimus servavit (1).

2. Sed hoc est attendendum quod, post Adami peccatum, nullus jam homo, utpote omni gratia privatus, poterat ullum actum elicere qui acceptabilis foret Deo. Illud autem principium agendi requisitum, gratia nempe, nobis datum fuit per Christum: Christus enim *satisfecit* et sic ab humano genere abstulit reitatem peccati; deinde *meruit,* et sic fecit ut nobis restitueretur complexus gratiarum quo capaces evaderemus agendi *sicut oportet* coram Deo. A Christo igitur venit ut possimus nunc satisfacere pro peccatis (2). Inde recte dicitur actus nostros satisfactorios esse *effectus* tum *satisfactionis,* tum *meriti* Christi: nam actus nostri satisfactorii in tantum valent in quantum fiunt *ex gratia;* gratia autem nobis non datur nisi per satisfactionem et per meritum Christi: inde objectum satisfactionis et

---

(1) Quæ hucusque diximus de *mortali* peccato, sunt, proportione servata, dicenda de *veniali* peccato, in quo etiam duplex invenitur inordinatio: retardatio a fine ultimo et nimia adhæsio creaturæ. Inde etiam requiritur aliqua retractatio et aliqua pœna ut satisfactio præbeatur pro veniali peccato. Sed, ut suprà, p. 25, exposuimus, purus homo, gratia donatus, de condigno satisfacere potest pro reatu *culpæ venialis*.

(2) Nullus merus homo potest, etiam si gratia sit donatus, satisfacere *de condigno* pro reatu *culpæ mortalis*; sed quum, sub gratiæ influxu, homo contritione perfecta vel debita sacramenti susceptione acceperit a Dei misericordia condonationem ipsius offensæ et consequenter *æternæ* pœnæ remissionem, potest tunc, per opera pœnalia, adæquate satisfacere pro reatu *pœnæ temporalis,* h. e. tantum pati quantum sufficit ad solvendum debitum pœnæ taxatæ in foro Dei, imo sæpe Sancti pro suis peccatis ita egerunt pœnitentiam ut *ultra* debitum passi sint: illæ superabundantes satisfactiones in Ecclesiæ thesauro conduntur e quo conceduntur hominibus *indulgentiæ*.

meriti Christi nobis applicatur in illis nostris satisfactoriis operibus (1). Notemus non solum requiri gratiam, quam nobis meruit Christus, ut opera nostra reddantur supernaturalia, sed etiam ut excitemur et adjuvemur ad operandum.

Doctrina exposita docetur in *Concilio Tridentino* his verbis: « Neque vero ita nostra est satisfactio hæc quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum; nam ut ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo autem cooperante, qui nos confortat omnia possumus: ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo Jesu est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri et per illum acceptantur à Patre » (2).

Adnotatio. In catechismo nostro, Lect. VIII, q. 8, legitur: « Is het van noode dat wij nog lijden aangezien dat Christus voor ons voldaan heeft? — Ja, het is Christus' wil dat wij door ons lijden zijner verdiensten deelachtig worden ».

Sensus obvius, ut videtur, hic est: an requiritur ut nos *patiamur formaliter* in ordine ad *satisfaciendum* pro peccatorum nostrorum *pœnis*. Et responsio: affirmative, nam Christi, principaliter qua Deus est, voluntas est ut nostra passione, Christi-hominis fiamus participes meritis, objective sumptis, h. e. objecto seu bono quod nobis meruit Christus. — Et sane in tantum satisfacere pro peccati pœna valemus, in quantum hac intentione patiamur *sub influxu gratiæ:* inde opera nostra satisfactoria, qua talia, sunt effectus gratiæ quam meruit nobis Christus, et ulterius removent im-

(1) Inde mors Christi quà satisfactoria et meritoria recte dicitur causa *universalis* et *primaria* nostræ salutis; actus vero nostri satisfactorii et meritorii, ex gratia facti, sunt imprimis *effectus* illius causæ universalis; deinde sunt causa *proxima subordinata* salutis uniuscujusque nostrum.

(2) Sess. XIV, c. 8. V. DENZINGER, *Enchiridion*, n. 783.

pedimentum obtinendæ gloriæ æternæ, quæ etiam est bonum quod Christus nobis meruit.

Inde assertum sequens: « Door het woord *lijden* verstaat hier de Catechismus alle werken van boetveerdigheid en ook *alle goede werken;* en het is niet zonder reden dat alle goede werken onder dit woord verstaan worden, aangezien wij in alle goed werk eenigen last of eenig lijden vinden » (1), intellige hoc sensu quod in omni opere bono aliquod *pœnale* inveniri potest; sed non necessario, in omnibus individuis, quodlibet opus bonum est afflictivum; præterea ut opus bonum sit *satisfactorium* requiritur ut, intentione operantis, ordinetur ad satisfaciendum pro peccato et sit non solum materialiter, sed formaliter, pœnale (2).

Notemus tandem, satisfaciendo pro peccatis nos ipsum *imitari* Christum, qui pro nostris satisfecit peccatis, et sic assurgere ad hanc perfectionem quam Ipse nobis acquirendam proposuit et ad quam nos movet: inde apparet quam nobis *conveniens* sit ut satisfaciamus pro peccatis nostris (3), quamque *Deo* sint *acceptabilia* opera illa facta in unione cum Christo.

J. Van der Meersch.

---

(1) Lambrecht, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus,* Gent, 1881, B. I, bl. 155.

(2) « Opus autem bonum, ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid, sed magis perficit ipsum (hominem); unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit. Et ideo ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei sit; et pœnale ut aliquid peccatori subtrahatur » S. Thomas, in IV, Dist. XV, Q. I, a. 4, sol. 1.

(3) Cf. S. Thomas, *Summa contra Gentiles,* L. IV, c. 55, §§ « Quamvis autem Christus pro peccato originali..... ».

III

Q. *An, quandonam et quare baptizari possunt* infantes *parentum* infidelium *et* hæreticorum?

Respondetur.

I/ Quoad infantes **infidelium:**

A/ **Invitis vel insciis parentibus,** *baptizari nequeunt hujusmodi infantes* (1), *excepto mortis articulo, in quo caute sunt abluendi.*

Explicatur: 1°/ Quod *regulariter* extra mortis periculum non sint baptizandi infantes parentum infidelium, insciorum vel invitorum, « hujus ratio est *duplex,* uti docet S. Thomas, 2ª-2ᵃᵉ, qu. 10ª, art. 12, *una* quidem *propter periculum fidei:* si enim pueri nondum usum rationis habentes Baptismum susciperent, postmodum, cum ad perfectam ætatem pervenirent, de facili possent a parentibus induci ut relinquerent quod ignorantes susceperunt; quod vergeret in fidei detrimentum; *alia* vero ratio est quia *repugnat justitiæ naturali:* filius enim naturaliter est aliquid patris... et ita de jure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris; unde contra justitiam naturalem esset si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus » (2). Quæ tamen altera ratio, supponit Ecclesiam, cum nulla auctoritate polleat in parentes, utpote infideles, non posse urgere parentes ut Baptismum procurent

---

(1) Restringitur quæstio ad solos *infantes,* seu illos qui rationis usum non sunt adepti nec adeo sui compotes existunt. Hisce æquiparantur perpetuo amentes; item tales censentur, regulariter loquendo, qui septennium nondum compleverunt, licet possit contingere ut ante illam ætatem puer sufficienti sit præditus ratione, ac satis jam intelligat quidnam sit baptizari, et quemadmodum sit professio christianæ legis: quo casu habendus est, licet nondum septennis, ut non infans sed quodammodo adultus, juxta decr. S. C. de P. F. 1703, et Instr. Ben. XIV, *Postremo mense,* apud *Collectan.,* n. 550 et 561.

(2) Cf. 3ª P., qu. 68, art. 9; Quodlib., II, art. 7°, simul ac responsa ad objᵉˢ 2ᵐ et 4ᵐ in 2ª 2ᵃᵉ, l. c.

prolibus nec a fortiori eam posse sese substituere illis eorumque loco proles abluendas curare.

2°/ Quod excipiatur *periculum mortis,* inde est quod *ex una parte* deest omnis injuria parentibus irroganda: « sicut enim in extrema necessitate corporali omnia bona sunt communia, ita in extrema necessitate spirituali sub cujuslibet cura et providentia constituitur infans; quare ordo juris naturalis non perrumpitur, si absque consensu parentum, imo et contra expressam voluntatem eorum, baptizetur » (1); ex alia autem parte evanuit proximum periculum perversionis ac inde consequentis profanationis sacramenti.

Quod utrumque assertum, sub 1° et 2°, explicita confirmat Ecclesiæ doctrina, quam luculentam reperies in laudata Instr. Ben. XIV, necnon in Instr. S. C. de P. F., 17 Aug. 1777, apud *Collectan.,* n. 571.

Porro ad constituendum periculum seu articulum mortis, quæ voces promiscue adhibentur (2), non requiritur ut mors immineat nec ut certum sit mortem brevi secuturam, sed sufficit periculum, imo probabile periculum, quod mors succedat (3). Quinimo baptizari possunt hujusmodi parvuli « quando non est spes eos denuo revisendi » (4), vel quando sunt « quolibet valetudinis vitio affecti... quo prudenter decessuri credantur antequam annos discretionis attingant » (5). Notandum tamen non sufficere « periculum illud com-

---

(1) Billot, *De Sacramentis Ecclesiæ,* I, p. 250. Quod obvio illustrat exemplo Van Noort, *Tractatus de Sacramentis,* Amstelodami, 1905, n. 235: « Finge puerum existere in loco ubi vita ejus multum periclitetur, v. g. ambulando super caniculum mox explosurum; finge patrem periculum ignorare, aut etiam bona fide non æstimare; nonne infantem e loco auferre possum invito etiam et contradicente patre? Atqui si ita est ubi puer periclitatur vita temporali, quare aliter esset si periclitatur vita æterna ».

(2) *Collectan.,* n. 571, sub VI; decr. C. S. O. 18 Julii 1892, ad 1^{m}, apud N. R. th., XXIX, p. 95.

(3) Litteræ S. C. de P. F. 15 Febr. 1781, apud *Collectan.,* n. 574.

(4) Decr. C. S. O. 1892, ad 2^{m}.

(5) *Collectan.,* n. 567, collato decr. 1892, ad 3^{m}.

mune et vagans quod sanis etiam hominibus in illis locis impendet, qui populari morbo affliguntur », sed requiri « proprium ac certum in quo sunt quos mali tabes inficet, aut qui quocumque modo in præsens vitæ discrimen adducuntur » (1).

Additur 3°/ : *caute* esse procedendum in baptizandis infantibus periclitantibus, contradicentibus vel insciis parentibus infidelibus, ita nempe « ut scandalum vitetur, nec proinde majus quoddam infidelium odium in christianam Religionem atque in christianos sævitia concitetur » (2).

Quocirca advertit R. P. Michel (3): « Il va de soi que le scandale, dont il vient d'être parlé, n'existe plus, si le baptême est conféré en secret et avec une discrétion si parfaite que les infidèles ne puissent soupçonner en cela un rite religieux chrétien ».

B/ **Consentientibus parentibus,** vel sponte offerentibus, *non possunt parvuli, secluso mortis periculo, baptizari nisi in quantum deest proximum periculum perversionis vel gentilis educationis.*

Dictum nempe periculum abunde sufficit ut, remota licet omni parentum injuria, illicita reddatur Baptismi administratio ; divino namque ac naturali præcepto interdictum est sacramentum manifesto profanationis periculo exponere, ac sancta dare canibus et projicere margaritas ante porcos.

Quod periculum sedulò præcavendum instanter urgent S. Sedis decreta, signanter suprà invocatæ Instructiones Ben. XIV et S. C. de P. F., in qua altera Instructione expresse monetur sacerdos, ad Baptismum in casu conferendum, « necessarium esse ut probabilem spem concipiat fore ut hujusmodi puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui ; quod si nulla via

(1) *Collectan.*, n. 571, sub VII.

(2) *Collectan.*, n. 571, sub VII.

(3) *Questions pratiques sur le Baptême et la Confirmation dans les missions*, 3e ed., Maison-Carrée, 1904, n. 87.

possit hujusmodi spem moralem habere, deberet certe potius a Baptismo abstinere ». Cf. etiam decr. C. S. O. 1867, ad quod provocat C. S. O. in decreto 6 Sept. 1899, apud N. R. th., XXXII, p. 390 ss.

Porro hujusmodi discrimen proximum gentilis educationis, fundatam spem christianæ instructionis evacuans, passim aderit pro infantibus qui relinquendi sunt in potestate parentum infidelium (1); nec plerumque (2) efficaciter removeri censetur « etiamsi detur promissio filios, cum adoleverint, de suscepto Baptismo certiores faciendi eisque permittendi exercitium religionis christianæ (3) ».

Facilius autem periculum proximum recessisse judicabit missionarius quando unus parentum est catholicus, alter vero infidelis consentit in Baptismum, signanter si hic etiam consentit in christianam educationem prolis, qui consensus semper exigitur ab Ecclesia dispensante super disparitate cultus; quocirca cf. decr. C. S. O. 18 Nov. 1745, (*Collectan.*, n. 560), cum cautelis quæ ibidem providè suggeruntur. Item, uti sponte intelligitur, quando parentes, licet infideles, et ipsi Baptismum desiderant. Cf. decr. C. S. O. 11 Dec. 1850, ad 4^{m}, apud *Collect.*, n. 585.

Nota infantes ab infidelibus *derelictos* posse, etiam extra periculum mortis, baptizari, modò provideatur eorum educationi christianæ (4).

---

(1) Cf. *Instr.* Ben. XIV, ubi advertitur: « si baptizatus infans non ad parentes infideles rediret, sed christiano cuipiam committeretur, is baptizari deberet ».

(2) Possunt tamen esse casus in quibus possit confidi promissioni sic factæ, ita ut queant ad Baptismum admitti parvuli, licet in potestate infidelium relinquendi, præsertim si constat eos ad Baptismum fuisse oblatos non superstitionis causa nec eo fine ut temporalia bona acquirantur: de quo, in singulis eventibus, prudenter judicet oportet missionarius, audito, si potest fieri, Ordinario. Cf. N. R. th., XXXII, p. 390 ss.; *Acta Conc. Amer. Lat.*, anni 1899, n. 493.

(3) C. S. O. 23 Julii 1840, apud *Collectan.*, n. 580.

(4) « Si item eveniret ut puer aliquis (infidelis) projectus esset, atque a parentibus derelictus, communis omnium sententia est, pluribus quoque

II/ Quoad infantes **hæreticorum**, vel schismaticorum (1):

Jure quidem baptizantur, etiam parentibus contradicentibus, sed, excepto mortis periculo, non sunt baptizandi nisi in quantum deest proximum periculum perversionis.

Explicatur: 1°/ Jus baptizandi proles hujusmodi, contra voluntatem parentum hæreticorum, nititur in ipso Baptismate a parentibus suscepto, vi cujus ineluctabiliter subditi sunt effecti, subditique manent Ecclesiæ, hujusque auctoritati obnoxii: unde jus habet Ecclesia et potestatem cogendi hæreticos parentes ut obligationem qua astringuntur proles baptizandi exequantur, et id negligentibus sese substituendi eorumque loco Baptisma conferendi (2).

Atvero 2°/ ratio est habenda periculi perversionis, quod si adsit proximum, jus suum non urgebit Ecclesia, nec infantes ad Baptismum admittet ne quidem in casu quo consentiant parentes.

Quousque autem periculum illud proximum adsit vel recesserit, judicandum est juxta dicta sub II, ubi generatim notatur urgere dictum periculum proximum, quousque non effulgeat fundata spes fore ut puer postea christiane educetur; quæ spes passim non aderit, uti monuimus, si parentum utrimque hæreticorum curæ ac educationi est relinquendus (3).

---

confirmata judiciis, eum baptizari oportere ». Bened. XIV, *Postremo mense,* Parvum Bullarium, T. V, sub § 9

(1) Supponuntur valide baptizati.

(2) « Certum est quidem penes Ecclesiam jus esse baptizandi infantes filios hæreticorum vel schismaticorum ac præpedire ne parentum erroribus imbuantur: neque de hoc Ecclesiæ jure ulla dubitatio moveri potest ». *Collectan.*, n. 571.

(3) « Nemo non videt filios ex parentibus hæreticis genitos, qui suorum genitorum curæ ac educationi permittendi sunt, cum primum ad discretionis ætatem pervenerint, in qua suorum actuum compotes esse possint, paternis erroribus fore imbuendos; et fidem catholicam quam per sponsores in Baptismo profiteri debent, sacrilege ejuraturos ad majorem sui condemnationem, et catholicæ Ecclesiæ, in qua regenerati sunt, graviorem contemptum. Hac itaque de causa non licet eos in infantili ætate extra

Quodsi contingat prolem hæreticorum posse baptizari « curandum omnino ut patrinus vel matrina, iique catholici habeantur ». Cf. N. R. th., XVII, p. 604.

Nota: 1°/ Benigniorem valde sese ostendit Ecclesia in permittendo Baptismate conferendo filiis parentum baptizatorum non hæreticorum, licet medios inter infideles vel hæreticos vivant, ac parentes gentilibus superstitionibus indulgeant, aut ignavi sint ac in omni religionis cultu segnes et socordes. Huc spectat decr. C. S. O. 24 Aug. 1703, apud *Collectan.*, n. 553 (1). Cf. etiam *Collectan.*, n. 577, et R. th. fr., 1897, p. 210 s.

2°/ Quomodocumque infantes, sive infidelium sive hæreticorum, fuerint rite baptizati, constituuntur, ratione ipsius characteris baptismalis, subditi Ecclesiæ, ejusque jurisdictioni obnoxii, ac sub ejus cura et tutela positi. Habet proinde Ecclesia jus et officium procurandi eorum educationem christianam, etiam, si aliter fieri nequit, per violentam subtractionem regimini parentum (2), uti, anno 1858, noscitur contigisse, jussu S. P. Pii IX, cum Edgaro Mortara.

---

mortis periculum baptizare, et ministri catholici contra fidelis dispensatoris officium peccant, qui eosdem ad suscipiendum Baptismum admittunt. Nullatenus ergo moveantur missionarii ad procurandum prædictis filiis Baptisma, quamvis futurum sit ut hoc sacramento perpetuò careant errore parentum, qui illud minime necessarium arbitrantur ad æternam salutem consequendam. Equidem nec illis prodesse potest Baptismus, apostatis a catholica fide, usu rationis accepto, mox futuris, nec sanctitas sacramenti patitur ut cum manifesto profanationis periculo eisdem conferatur ». Instructio C. S. O., apud *Collectan.*, n. 566.

(1) Quærenti utrum baptizare liceat infantes infidelium vel barbarorum qui, licet baptizati, nullum fere religionis actum exercent, et superstitiones gentiles sequuntur, quorumque filii, cum adoleverint, imitatores fiunt, respondit C. S. O., 24 Aug. 1703: « Non licere si sint filii *infidelium*, et in eorum potestate relinquendi, secluso tamen mortis imminentis periculo; licere vero si sint filii barbarorum *baptizatorum*. Curandum tamen per missionarios ac per ipsosmet parentes, ut, cum ad annos discretionis pervenerint, a se vel ab aliis instruantur ». *Collectan.*, n. 553.

(2) In hac collisione jurium, juris scilicet Ecclesiæ et juris parentum, cedit jus parentum coram jure Ecclesiæ, utpote altioris ordinis. Cf. Van Noort, o. c., n. 236. Ita etiam Suarez, *De Baptismo*, Disp. XXV,

Ad hujusmodi tamen violentam subtractionem vix unquam aut ne vix quidem, nostris saltem temporibus, opportune recurretur; curandum tamen est, in quantum fieri potest, ut educationi provideatur, prævie consulto Episcopo; quocirca providè monent *Acta* Concil. Amer. Latinæ, n. 494: « parochi et missionarii qui... imprudenter et inconsiderate baptizaverint infantes infidelium filios, tenentur per se vel per alios, quantum fieri potest, illos instruere, cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam cæteris parochis et missionariis, ad quorum parochiam vel districtum forsan accesserunt, imo et Episcopo, quatenus opus fuerit. Quod monitum æque spectat parochum qui in sua parochia repererit hujusmodi infidelium prolem, quæ in infantia fuerit baptizata, puta a familiari persona, ob periculum mortis imminens.

IV

Q. *Describe effectus sacramenti Confirmationis.*

Respondetur.

Primus effectus est **res et sacramentum** seu **dispositio prævia,** charactere indelebili obsignata, quæ dispositio prævia consistit in deputatione seu potestate morali accepta *ad sacra seu divina defendenda ex officio* (1); adeo ut confirmatus per dictam deputationem constituatur religionis ac fidei catholicæ defensor et propugnator ex officio, ad modum quo miles, cum in militiam suscipitur, accipit potestatem pugnandi contra hostes, non quidem physicam sed moralem et legalem, ita ut

---

Sect. III: « hoc ipso quod infans baptizatur, potest Ecclesia, si oportuerit, ad tuendum honorem suscepti sacramenti, et ut semel baptizatus in fide suscepta instruatur ac perseveret, potest, inquam, eum a patria potestate eripere; nam hoc jus acquirit ex vi characteris baptismalis ». Cf. etiam Billot, o. c., p. 249 s, ubi solvuntur nonnullæ objectiones.

(1) Cf. S. Thom., in III P., qu. 72, art. 5°: « In Confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei ».

præ aliis constituatur coram lege tanquam bellator ex officio (1). Cf. *Collat. Brug.*, III, p. 572, quo loco etiam expositum reperies qua ratione deputatio ad sacra passim adscribatur characteri, licet proprie competat dispositioni præviæ, charactere sigillatæ.

Alter effectus est **res** seu **gratia**, ad quam res et sacramentum titulus existit exigitivus; quæ gratia, id exigente descripta dispositione prævia, est gratia *roborativa* (2): ut enim valeamus explere munus acceptum confessoris et defensoris fidei, indigemus gratia nos roborante ad pugnam.

Porro gratia illa roborativa est gratia sanctificans, cum virtutibus et donis connexis, per se secunda (3), quæ, quatenus specialis est et propria, ordinem dicit infallibilem ad gratias actuales abundantiores et intensiores, ad hoc ut roboretur et confirmetur chrismate inunctus ad fidei agonem fortiter sustinendum.

Per hanc gratiam, tum ratione adaucti habitus, tum ratione gratiarum actualium specialium ad quas ordo est infallibilis, excrescunt fideles ex modò genitis infantibus in viros fortes et perfectos. Ita docet Catech. Conc. Trid., *De confirmationis sacramento,* n. 5 et 20: « Baptismi gratia homines in novam vitam gignuntur, confirmationis autem sacramento, qui jam geniti sunt, viri evadunt, evacuatis quæ erant parvuli... Qui enim per Baptismum christiani effecti sunt, quasi infantes

---

(1) Alii quidem cives valent pro patria pugnare, sed ad hoc non sunt, sicuti milites, deputati et constituti ex officio; et analogice idem valet de confirmatis respectu non confirmatorum: ipsi soli præ aliis non confirmatis, ad hoc sunt deputati et constituti ut *ex officio* confessores existant et defensores fidei catholicæ.

(2) Dicit catechismus: « gratie en sterkte » id est: versterkende gratie.

(3) Est gratia secunda, seu augmentum gratiæ sanctificantis, cum supponatur vita spiritualis antequam confirmetur et roboretur. *Per accidens* tamen posse infundi gratiam primam communiter admittitur, nempe quando aliquis ad sacramentum accedit, reus quidem peccati mortalis, sed bona fide illius inconscius, et simul attritus de peccatis mortalibus.

modò geniti teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent, ac deinde chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus robustiores fiunt ».

Nota 1°/ Confirmatus obtinet, saltem plerumque, totalem vel partialem remissionem peccatorum venialium, non quod hæc remissio sacramentum Confirmationis consequatur tanquam effectus *immediatus ex opere operato,* quemadmodum apud *Collat. Brug.*, X, p. 592, vidimus pro Baptismo, sed quatenus remittantur, saltem ex parte, peccata venialia per fervorem charitatis, qui plerumque excitatur in augmento gratiæ sanctificantis : excitatur nempe, in incremento gratiæ sanctificantis, motus liberi arbitrii in Deum, seu fervor charitatis peccatum veniale *ex opere operantis* remittens (1).

2°/ Interdum inter effectus sacramenti confirmationis admuneratur cognatio spiritualis, matrimonium irritans, quam contrahit suscipiens cum confirmante ac patrino vel matrina; sed patet hoc nullatenus esse effectum sacramentalem, sed merum consectarium juridicum, vi positivæ juris dispositionis, susceptionem sacramenti consequens.

3°/ Passim in S. Scriptura et in litteratura ecclesiastica tanquam effectus speciali titulo tribuitur Confirmationi *acceptio Spiritus Sancti:* tum propter ubertatem gratiæ in hoc sacramento infundendæ, quæ gratia Confirmationis perficit et ad plenitudinem adducit gratiam

---

(1) Non est proinde per ipsum adauctum *habitum* gratiæ, quod venialia delentur cum hæc non opponantur charitati quoad habitum, uti, juxta S, Thomam, notavimus, *Collat. Brug.*, IV, 223 : V, 13, sed per *actum* fervidum charitatis, in augmento habitus plerumque excitatum; Quare Illustr. LAMBRECHT, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus*, p. 1284, in nota : « Het is zeer waarschijnlijk dat bij iedere instorting der heiligmakende gratie, in het ontvangen van al de sacramenten der levenden, de dagelijksche zonden waarover wij eenig leedwezen hebben, *uit hoofde onzer vermeerderde vriendschap met God*, vergeven worden », ita intelligi debet ut supponatur augmentum gratiæ plerumque excitare fervorem charitatis, quæ vera et proxima causa est remissionis venialium.

baptismalem, tum propter charismata quæ, initio Ecclesiæ, susceptionem sacramenti Confirmationis comitari solebant, ac infusionem spiritus sancti manifestabant.

V

Q. *An et quænam datur necessitas suscipiendi sacramentum Confirmationis?*

Respondetur.

Non datur necessitas suscipiendi sacramentum Confirmationis, neque necessitas *medii,* neque etiam necessitas *præcepti, per se et directe* obligantis, sed *per accidens* tantum : nempe ratione contemptus vel gravis scandali quod involveret sacramenti recusatio, vel ratione peculiaris indigentiæ in qua aliquem versari contingeret.

Explicatio et probatio.

I/ De necessitate medii non est cur litigetur, cum vix aliquis contendat sacramentum confirmationis esse necessarium necessitate medii, nequidem ad diu perseverandum in gratia. Est utique medium ad perseverantiam et salutis consecutionem illudque valde efficax, ast non est *medium necessarium,* sed utile dumtaxat, cujus defectui aliunde suppleri potest.

II/ Non datur ad Confirmationem suscipiendam necessitas præcepti *per se obligantis,* cum de existentia hujusmodi præcepti, sive divini sive ecclesiastici, nullatenus constet. Et revera

1°/ Non constat de præcepto *divino*. Nullibi namque in jure divino occurrit præscriptio *explicita,* nec *implicite* continetur, uti volunt adversarii, in lege qua jubemur fieri christiani plene et perfectè. « Nam, quod aiunt, requiri hoc sacramentum ad plenitudinem vel perfectionem hominis christiani, vel etiam ut simpliciter christianus dici possit, non potest intelligi de his quæ sunt de substantia, ut sic dicam, hominis christiani; hæc enim per Baptismum dantur; nec de plenitudine sufficientiæ... sed de plenitudine abundantiæ » (1).

---

(1) Suarez, in P. III, qu. LXXII, disput. 38, sect. 2ª.

Nimirum, uti diximus, *convenientius et securius* confirmati salutem consequemur, sed ad melius et convenientius non datur præceptum (1).

2°/ Non constat de præcepto *ecclesiastico*. Et sane frustrà opponuntur constitutio *Etsi Pastoralis,* Benedicti XIV (2), et Instructio S. C. de P. F., 21 Martii anni 1774 (3), quasi ex illis indubium præceptum deduceretur.

Quod a/ *primum* documentum attinet, in quo ab Ordinariis locorum monendi docentur Italo-græci, « eos gravis peccati reatu teneri, si cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt » ; deest in ipso omnis forma legis vel decreti controversiam authentice dirimentis, uti ex tenore liquet, signanter si comparatur cum aliis locis in quibus idem Pontifex legem condit vel quamcumque quæstionem dirimendam censet ; ibi namque magnifico verborum apparatu utitur (4), dum hic merè obiter et transeunter illam obligationem memorat, quemadmodum eam proponit, tanquam privatus doctor, *Institutiones ecclesiasticæ,* VI, n. 10 (5).

---

(1) S. Thom., P. III, qu. 65, art. 4 : « Necessarium respectu finis... dicitur aliquid dupliciter : *uno modo,* sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ, et hoc est simpliciter necessarium ad finem ; *alio modo* dicitur esse necessarium id sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter ; hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem ». Altero autem modo necessariam esse docet Confirmationem.

(2) *Parvum Bullarium,* I, p. 342 et seq.

(3) *Rit. Rom.*, in appendice. Fuit etiam hæc Instructio communicata a C. S. O. anno 1888. Cf. *Acta Conc. Am. Lat.*, in appendice, p. 463 ss.

(4) Ita v. gr., in limine hujus Constitutionis, ubi confirmat privilegia olim inducta in gratiam Italo-græcorum.

(5) Ibidem, n. 9, dicit contrarium sententiam non esse falsam, sed tenet opinionem faventem obligationi. Neque sententiam mutavit, uti nonnulli auctores, signanter D'Annibale, *Summula Theol. Moralis*, T. III, n. 283, in nota, Bucceroni, *Theologia moralis,* T. II, n. 490, deducunt ex posteriori Pontificis scripto, *De Synodo diœces.*, l. VII, cap. X, n. 9 : ibi nempe monet Episcopum « ne in sua constitutione quidquam dicat, quo insinuare videatur necessitatem seu præceptum suscipiendi sacramentum Confirmationis », sed illico addit : « in ea ætate et statu », scilicet in ætate infantili ante septennium, quando infantes versantur in statu periculi mortis.

Cæterum, uti notat LEHMKUHL, *Theologia moralis,* T. II, n. 103, peculiaris ratio erat Græco-Italos, quos, spectat laudata Constitutio, gravis reatus arguere, si Confirmationem nolebant suscipere e manu Episcopi latini. « Græco-Itali enim aliquando suo ritui inhærentes contra omne fas infantes a simplicibus sacerdotibus, quibus omnis facultas a RR. PP. desumpta erat, confirmandos curabant, neque induci poterant ut ab Episcopis latini ritùs, sicut Pontifices volebant, Confirmationem reciperent. Illi igitur, quando confirmationem, data occasione, renuebant atque negligebant, facile et scandalum præbebant, imo et contemptum vel contumaciam prodebant », unde per accidens tenebantur sub gravi sacramentum suscipere.

Quod *b/ alterum* spectat documentum (1), rursus, missa quæstione de potestate legifera penes S. C. de Pr. F., destituitur invocata Instructio omni *forma legis,* ac simpliciter refert opinionem Emin. Patrum. S. Congregationem tunc temporis constituentium. Quorum sententiam, etiam approbatione Pontificia corroboratam, amplecti non cogimur. Cæteroquin habemus documentum non minoris auctoritatis, Instructionem nempe C. S. O., 20 Junii 1866, apud *Collectan.,* n. 656, in qua contraria sententia vindicatur: « licet enim hoc sacramentum (Confirmationis) non sit absolute necessarium necessitate medii, tamen, ut docet S. Thomas, omninò periculosum esset si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret, *non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur* ».

III/ Potest aliquis ad susceptionem Confirmationis obligari **per accidens: vel**

1°/ ratione *peculiaris necessitatis,* licet hoc rarius con-

---

(1) « Missionarii non omittant populos sibi creditos etiam hortari ut Confirmationem debito tempore recipiant, necnon ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi ».

tinget: « Unicuique est præceptum naturale divinum ut, in periculo amittendæ fidei et salutis, quale urget tempore persecutionis aut gravium tentationum contra fidem, cui (periculo), propriæ infirmitatis conscius, jure timet succumbere, non negligat media divinitus instituta ad istud periculum propulsandum » (1);

2°/ ratione gravis scandali provocandi si renueret sacramentum suscipere, quod natum est frequentius obtinere, puta quando publice notum est aliquem non confirmatum nolle ad sacramentum accedere;

3°/ ratione *contemptus*. Quocirca advertunt SALMANTICENSES, *Tract. de confirmatione,* cap. IV, P. 4, n. 57: « Non est contemptus præcise nolle confirmari, etiam cum adest opportunitas, quæ postea non facilè habenda sit;... requiritur ad contemptum ut quis bonum opus omittat quia illud nihili facit, aut quia putat esse quid puerile et parum decens illud exequi: et qui hoc modo omitteret suscipere Confirmationem, sine dubio peccaret mortaliter; irrogaret enim gravem injuriam sacramento ».

Huic sententiæ favent, præter Auctores plurimos a S. ALPH., l. VI, n. 181, allatos, S. THOMAS, P. III, qu. 65, art. 4; qu. 72, art. 1, ad 3m et art. 8, ad 4m; SUAREZ, l. c.; SALMANTICENSES, l. c.; BILLUART, l. c.; BALLERINI-PALMIERI, *Opus morale,* T. IV, p. 575; LEHMKUHL, *Theol. moralis,* T. II, n. 103; BUCCERONI, l. c.; HAINE, *Theol. mor. elementa,* T. III, p. 493 ss.; PESCH, *Prælectiones dogmaticæ,* T. VI, n. 538 ss.; BILLOT, *De Ecclesiæ sacramentis,* T. II, p. 276 s.; GENICOT, *Theol. moralis,* T. II, n. 164; D'ANNIBALE, *Summula Theol. mor.,* T. III, n. 283; LAMBRECHT, *Verklaring van den Mechelschen Catech.,* T. III, p. 933; WERNZ, *Jus Decretalium,* T. III, n. 830; SASSE, *De Sacramentis Ecclesiæ,* Friburgii, 1897, T. II, p. 283 s.;

---

(1) BILLUART, *Summa S. Thomæ,* in III P., ad qu. LXXII, Dissert. I, art. 8, § II.

GHIR, *Les sacrements,* T. I, p. 421 ss.; NOLDIN, *De Sacramentis,* Œniponte, 1903, n. 92; VAN NOORT, *Tractatus de sacramentis,* Amstelodami, 1905, T. I, n. 265 (1).

Conclusio. Profectò inducendi sunt fideles ad sacramentum Confirmationis rite suscipiendum, extollendo eximia dona et gratias adeo copiose effundenda in hoc sacramento, ac ingratitudinem ostendendo erga Deum necnon incuriam propriæ perfectionis penes egregium hoc sacramentum negligentes, eo vel magis quod nostris diebus tot ac tanta sunt pericula pro fide, ac tantopere urget necessitas fidem fortiter profitendi et religionem propugnandi (2).

Attamen prudenter est abstinendum ab inculcanda generali obligatione gravi, licet caute addi possit nonnunquam Confirmationis neglectum, specialibus in adjunctis, peccatum lethale posse inducere.

Quodsi obviùs habetur fidelis nondum confirmatus ac, seposito contemptu et scandalo, renuens ad Confirmationem accedere, puta præ verecundia, ne ipse ætate provectior publice misceatur pueris confirmandis, non est cur hujusmodi fidelis gravis reatus arguatur illive absolutio sacramentalis denegetur; cæterum, cum Episcopus quocumque die ac loco hoc sacramentum

---

(1) Non desunt etiam Auctores qui, post S. Alph., l. VI, n. 181, benigniorem opinionem non audent sequi, propter utrumque S. Sedis documentum suprà allatum. Ita inter alios, GURY, *Compendium theol. mor.,* T. II, n. 270; AERTNYS, *Theol. moralis,* L. VI, Tr. III, cap. IV, art. 2; VANDERVELDEN, *Principia theol. moralis,* T. II, n. 109; MARC, *Institutiones Morales,* T. II, n. 1501; THEOL. MECHL., *De Sacramento Confirmationis,* n. 11; PASSERINI, in solutione casus practici coram Conferentiis Romanis, apud *Analecta Ecclesiast.,* 1900, p. 183 s.; MICHEL, o. c., n. 158 s.; Olim jam idem docuerat præ cæteris VITASSE, *Tractatus de Confirmatione,* apud MIGNE, *Theologiæ cursus completus,* T. XXI, p. 1113 ss.

(2) « Quamquam vero necessarium non est (Confirmationis sacramentum), a nemine tamen prætermitti debet; sed potius maximè cavendum est ne in re sanctitatis plena per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est ». *Catech. Conc. Trid.,* De Confirmationis sacramento, n. 16.

administrare possit, non erit plerumque cur hujusmodi verecundiæ causa sacramenti susceptio negligi debeat.

A. De Smet.

VI

Q. *Quomodo in baptismo parvulorum peragendæ sunt cæremoniæ* Ephpheta, *abrenuntiationis et inunctionis faciendæ oleo catechumenorum?*

R. I. **Ephpheta.** — *Sacerdos digito,* h. e. pollice, ut patet ex regula generatim in hujuscemodi admissa, ex *Ordine baptismi adultorum*, n. 38, et ex decr. S. R. C., n. 3368[5], *accipiat* paululum *de saliva oris sui.* Convenientior modus hunc ritum perficiendi est ut sacerdos pollicem dextrum inflectat ante mediam faciem internam manus ita ut os manu tegatur dum saliva accipitur.

Pollice saliva madido immediate, sed non in formam crucis, *tangat aures,* h. e. inferius lobulum dexteræ et deinde sinistræ aurium, *et nares*, h. e. summitatem vel utrumque latus nasi *infantis. Tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicat: Ephpheta — quod est adaperire; deinde tangit nares dicens: In odorem suavitatis.* Quo peracto subdit (1): *Tu autem effugare, diabole; appropinquabit enim judicium Dei.*

II. **Abrenuntiatio.** — *Postea interrogat baptizandum nominatim dicens: N. abrenuntias Satanæ? Respondet patrinus* (et matrina): *Abrenuntio,* etc.

Interrogationes et responsa nunquam omitti possunt in lingua latina. Sed in diœcesi Brugensi, vi indulti pontificii, de die 9 Aug. 1897 (2), conceditur ut « propositis antea latine solemnibus interrogationibus et responsionibus, eædem deinde, in faciliorem simplicium intellectum et commodum, vernacula lingua pro-

(1) Ita agendum esse liquet ex rubrica *Ordinis baptismi adultorum*, n. 38 et ex ipso verborum sensu.

(2) Quod videre est ap. *Collat. Brug.*, t. II, p. 601.

ferantur » juxta formulam traditam in foliis distinctis auctoritate Episcopi Brugensis approbatis et in Rituali insertis. Qua in re sic procedat sacerdos, quando patrinus et matrina linguam latinam non callent: proposita latine prima interrogatione, latine pariter respondet saminister vel cerdos; dein repetitur vernacula lingua eadem interrogatio, cui respondent eodem sermone patrinus et matrina; et eodem modo procedat pro secunda et tertia abrenuntiatione.

III. **Inunctio.** — *Deinde sacerdos intingit pollicem*, nullatenus autem virgulam, quæ, excepto casu necessitatis v. g. morbi contagiosi, proscribitur a S. R. C. (1), *in oleo catechumenorum,* ita ut sola summitas interna pollicis madefiat, *et infantem ungit in pectore* summo, non tamen in gutture, dicens: *Ego te linio ✠ oleo salutis;* dein ungit, in summitate dorsi, *inter scapulas* perficiens formulam: *In Christo Jesu Domino nostro ✠ ut habeas vitam æternam.* Utraque unctio fit *in modum crucis.*

Loca inuncta bombacio, quod v. g. ante unctionem assumpsit inter indicem et medium digitum, abstergit sacerdos sive post utramque unctionem (2), quod theoretice sane melius est, sive post singulam (3), quod generatim practice prævalet ne oleum sacrum vestibus adhæreat.

IV. **Cæremoniarum elucidatio.** (4) — Ut jam præmonuimus (5) universa præparatio catechumenorum

---

(1) Decr. S. R. C. *Toletana,* 31 Aug. 1872, n. 3276, ad 1, 2 et 3; et *Colimen.,* 12 Jul. 1901, ad 8.

(2) Ita Ill. Van der Stappen, *De administr. Sacram.,* q. 95.

(3) Ita Kunz, *Die liturgischen Verrichtungen des Celebranten,* p. 186.

(4) Cf. *Ordo Romanus* VII editus a Mabillon (*Musæum Italicum,* T. II, p. 77 ss. Lutetiæ Parisiorum, 1724): est textus ante mortem Caroli Magni jam compositus; L. Duchesne, *Origines du culte chrétien,* chap IX, Paris 1889; J. Corblet, *Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrement de baptême,* Paris, 1882 (2 vol.); F. Probst, *Sakramente und Sakramentalien,* Th. II, Kap. 1, Tübingen, 1872; A. Lerosey, *Histoire et symbolisme de la liturgie,* ch. VIII, a. 2, Paris, 1890.

(5) *Collat. Brug.,* t. X, p. 671.

seu electorum ad baptisma, quæ in antiquitate diuturna erat, præ se ferebat indolem luctæ contra diabolum ex anima baptizandi expellendum (1). Cujus luctæ intensitas acuitur quo propius acceditur ad baptisma, ut apparet ex cæremoniis de quibus egimus, quæque perficiebantur in ipsa die baptismatis, sed ante fontis benedictionem (2).

Inter duas exorcismi formulas (*Exorcizo te* (3) et *Tu autem effugare*) inducta fuit in Ecclesia latina cæremonia quæ dicitur *Ephpheta,* ad similitudinem modi agendi Christi Domini in sanatione surdi muti, quam narrat S. Marcus, VII, 32 ss. Hujus ritus significationem symbolicam jam sæculo IV exeunte apposite exponit (S. Ambrosius ?) auctor operis *De Sacramentis,* lib. I, c. 1: « Ideo ergo tibi sacerdos *aures* tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem et ad alloquium sacerdotis... et *nares* (4) ut bonum odorem accipias pietatis æternæ et ut dicas: *Christi enim bonus odor sumus Deo,* quemadmodum dixit apostolus sanctus, et sit in te fidei devotionisque plena fragrantia ».

Solutis et apertis organis statim electus baptizandus solemniter et expressis verbis *renuntiat* Satanæ ejusque operibus et pompis. Abrenuntiatio hæc, quæ in primitiva ecclesia fiebat jam in ritu admissionis ad catechu-

---

(1) Propter hanc rationem induit sacerdos *stolam violaceam* pro omnibus cæremoniis usque ad ingressum baptisterii seu ad professionem fidei quæ immediate præcedit baptismum.

(2) Ideo in hodierna liturgia peraguntnr post ingressum in ecclesiam sed ante accessum ad baptisterium, in quo perficiuntur tantum ea quæ olim fiebant post fontis benedictionem.

(3) Huic formulæ, in *Ordine bapt. adultorum,* n. 36, respondet alia *Nec te latet.*

(4) In narratione evangelica tetigerat Christus *linguam* muti: hic tanguntur *nares.* Qua de re notat L. Duchesne, *o. c.,* p. 292, nota 1: « Malgré les mots *In odorem suavitatis* de la formule, il n'est pas douteux que les narines n'aient été substituées ici à la bouche. L'auteur du *De Sacramentis* en donne la raison: Quia mulieres baptizantur » (I, 3). Si hoc verum sit, an ratio forte est quia mulieres debent tacere in ecclesia ?

menatum (1), et immediate ante baptismi collationem iterabatur, perantiqua est in Ecclesia: jam a Tertulliano ut antiqua traditio commemoratur (2). Pronuntiari solebat a baptizando converso ad Occidentem, ad locum tenebrarum, ubi sol occidit, quo figurabatur regnum Satanæ. Imo in nonnullis ecclesiis ad majorem despectum exprimendum emittebat baptizandus sputum contra Occidentem, contra diabolum (3).

Tunc se vertebat electus versus Orientem, regionem lucis, symbolum regni Christi, ut ostenderet se Christo adhærere, et statim a sacerdote ungebatur in pectore et in dorso ut, quasi athleta veri Dei, fortiter resistere posset omnibus aggressionibus dæmonis cui renunciaverat.

C. Callewaert.

---

(1) Hæc prima abrenuntiatio servata est in hodierno *Ordine baptismi adultorum*, n. 6, in quo multo minus contractæ fuerunt cæremoniæ antiquæ.

(2) *De corona*, c. 3 : « aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompæ et angelis ejus ».

(3) Cf. G. Morin, *La sputation, rite baptismal de l'église de Milan au IVe siècle*, ap. *Revue Bénédictine*, 1899, p. 144 ss.

Dissertatio

De tempore quo Actus Apostolorum conscripti sunt.

(Cf. T. X, p. 619 ss.)

—

§ II

Examen internum Evangelii S. Lucæ.

Jam inquirendum est utrum indicia in ipso Lucæ evangelio, ante Actus conscripto, reperta, conclusionem nostram ex Actuum libro deductam confirment vel ipsi potius contradicant.

Sequentia autem a nonnullis proponuntur indicia quæ tertium Evangelium (*primum sermonem* Lucæ, *Act.* I, 1) post a. 71 scriptum fuisse demonstrent.

I. Usus frequens apud Lc vocis ὁ κυρίος loco Ἰησοῦς (1), quæ designatio apud Mt et Mc vix apparet. Verùm huic argumento nulla inest vis, cùm S. Paulus, quem Lc assidue secutus fuerat, in epistolis ante a. 60 conscriptis Christum sæpius ὁ κυρίος appellaverit.

II. *Lc* III, 1-2 ubi, juxta Ramsay (2), Lc « annum quintumdecimum imperii Tiberii Cæsaris » computat a tempore quo Tiberius, lege per consules lata, provincias cum Augusto communiter administrare cœpit, non autem a morte Augusti (19 Aug. a. 767 U. C. vel 14 p. Ch.). Cùm talis computus apud Romanos nunquam usitatus fuerit usque ad Titum, cujus regnum incœpit 1 Julii a. D. 71 quando patri suo imperatori in

---

(1) PLUMMER, *A critical and exegetical Commentary on the Gospel according to S. Luke*. Edinburgh, 1901, p. XXXI. Cf. J. REID, *The Expository Times*, 1901, p. 425 ss.

(2) *St Paul, the Traveller and the Roman Citizen*, London, 1903, p. 386 s.

regimine consociatus est: hanc computandi methodum ad Tiberii regnum Lc transtulerit.

Attamen dictum argumentum nullatenus valere arbitramur. Etenim ex una parte, etiam antequam *Romani* methodum computandi a tempore consociationis usurparent, optime annos Tiberii hoc modo Lc, historiam *provinciæ* Romanæ describens, supputare potuisset. In provinciis nempe Tiberius ut imperatoris socius revera habebatur « ut provincias cum Augusto communiter administraret, simulque censum ageret » (1); « ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibusque esset » (2); « filius, collega imperii, consors tribuniciæ potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur » (3).

Ex alia parte, ipsum argumenti fundamentum ruere arbitramur, nam Lc annos Tiberii more Romanorum computaverit (4). Etenim neque scriptores Romani, neque Flavius Josephus alterum supputationis modum adhibuerunt, neque ullum illius computus vestigium repertum fuit, dum contrà numismata Antiochiæ (ubi Lucas natus est vel saltem vixit) excussa, annos regni Tiberii a morte Augusti numerant (5).

III. Tertium est indicium, multo majoris momenti, et quod multorum auctorum judicio post ruinam Jerusalem, adeoque post a. 70 evangelium Lucæ conscriptum *clare* demonstret (6). Desumitur ex sermone

---

(1) Sueton. *Tib.* XXI.

(2) Velleius Paterculus, II, 121.

(3) Tacit. *Ann.* I, 3, 3 coll. I, 11, 2 et III, 56, 2.

(4) Ramsay, *l. c.* ideo hunc computum apud *Lc* III, 1-2 rejiciendum ducit, quia Christum a. 30 cruxifixum esse autumat. Verùm, sententia longe probabilior Christum a. 33 mortem crucis subiise tenet. Cf. Ladeuze, *Revue d'histoire ecclés.* Louvain 1904, p. 894 ss.

(5) Cf. Plummer, *o. c.* p. 82; Turner apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, T. I, p. 406.

(6) Loisy, *Revue Biblique*, 1896, p. 173 ss., 335 ss.; Meyer-Weiss, *Die Evangelien des Markus und des Lukas*, Göttingen, 1901, p. 262 s.; Zahn, *Einleitung in das N. T.*, Tübingen u. Leipzig, 1901, p. 264 s.; Moffatt, *The historical N. T.* Edinburgh, 1901, p. 270 s. etc.

Christi apocalyptico *Lc* XXI, 5-36. Solus ex Synopticis, aiunt, Lc temporis intervallo ruinam Jerusalem a fine mundi perspicue secernit; solus pariter varia obsidionis Hierosolymarum adjuncta determinate indicat, imò clare describit, ita ut ejus evangelium aliquibus annis post eversam Judaismi metropolim exaratum ostendatur.

Cùm sententia communis evangelium Mc ante Lc exaratum esse teneat; cùm præterea Lc in suo evangelio conscribendo ipsum Mc (1) præ oculis habuerit, utriusque Lc et Mc textum, notatis differentiis, perspicuitatis gratia lectori subjicimus.

Mc XIII, 1 ss. (2)

1 Et cum egrederetur de tem-
lo, ait illi unus ex discipulis
ıis: Magister, aspice quales lapi-
es, et quales structuræ. **2** Et
espondens Jesus ait illi: Vides
as omnes magnas ædificationes?
on relinquetur lapis super lapi-
em, qui non destruatur. **3** Et
ım sederet in monte olivarum
ontra templum, interrogabant
um separatim Petrus, et Jaco-
us et Joannes, et Andreas: **4** Dic
obis, quando ista fient? et quod
gnum erit, quando hæc omnia
ıcipient consummari?
5 Et respondens Jesus cœpit
icere illis: *Videte ne quis vos sedu-*
ıt: **6** Multi enim venient in no-
ıine meo dicentes, quia ego sum:
multos seducent. **7** Cum audi-
ritis autem bella, et opiniones
ellorum, ne timueritis: **oportet**
nim hæc fieri sed nondum fi-
is. **8** Exurget enim gens contra
entem, et regnum super regnum,

Lc XXI, 5 ss. (2)

5 Et quibusdam dicentibus de
templo quod bonis lapidibus, et
donis ornatum esset, dixit: **6** Hæc,
quæ videtis, venient dies, in qui-
bus non relinquetur lapis super
lapidem, qui non destruatur. **7** In-
terrogaverunt autem illum dicen-
tes: Præceptor, quando hæc erunt,
et quod signum cum fieri inci-
pient?

8 Qui dixit: Videte ne seduca-
mini: multi enim venient in no-
mine meo, dicentes quia ego sum:
et tempus appropinquavit: nolite
ergo ire post eos. **9** Cum autem
audieritis prælia et seditiones,
nolite terreri: **oportet primum**
hæc fieri, sed nondum statim
finis. **10** Tunc dicebat illis: Sur-
get gens contra gentem, et re-

(1) Vel saltem fontem quemdam scriptum unde hausit Mc.

(2) Præcipuas sententias alterutri evangelistæ proprias italicis litteris, præcipuas formulas sermonem dispertientes litteris grandioribus excudi curavimus.

et erunt terræmotus per loca, et fames. **Initium dolorum hæc.**

9 Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante præsides, et reges stabitis propter me, in testimonium illis. **10** *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium.* **11** Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini: non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. **12** Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium: et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. **13** Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

14 Cum autem videritis *abominationem desolationis stantem, ubi non debet, qui legit, intelligat:* tunc qui in Judæa sunt fugiant in montes: **15** et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua: **16** et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

17 Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus. **18** Orate vero ut hieme non fiant. **19** Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam Deus usque nunc, neque fient. **20** Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro: sed propter electos, quos elegit, breviavit dies. **21** Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic,

gnum adversus regnum. **11** Et terræmotus magni erunt per loca et *pestilentiæ,* et fames terroresque de cœlo, **et signa magna erunt.**

12 Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et præsides propter nomen meum. **13** continget autem vobis in testimonium.

14 Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis: **15** ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri.

16 Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis. **17** et eritis odio omnibus propter nomen meum: **18** et capillus de capite vestro non peribit. **19** In patientia possidebitis animas vestras.

20 Cum autem videritis *circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus:* **21** tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes: et qui in medio ejus discedant: et qui in regionibus, non intrent in eam: **22** quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia, quæ scripta sunt.

23 Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus: erit enim pressura magna super terram, et pressura populo huic. **24** *Et cadent in ore gladii: et captivi ducentur in omnes Gentes: et Jerusalem calcabitur a Gentibus: donec impleantur tempora nationum.*

e credideritis. **22** Exurgent enim seudochristi, et pseudoprophe-e, et dabunt signa, et portenta l seducendos, si fieri potest, iam electos. **23 Vos ergo vide-e: ecce prædixi vobis omnia.**

24 Sed in illis diebus post ibulationem illam sol contene-rabitur, et luna non dabit splen-orem suum: **25** et stellæ erunt ecidentes et virtutes quæ in cœ-s sunt, movebuntur. **26** Et tunc debunt Filium hominis venien-m in nubibus cum virtute multa gloria. **27** *Et tunc mittet angelos os, et congregabit electos suos a qua-or ventis, a summo terræ usque ad mmum cœli.* **28** A ficu autem iscite parabolam. Cum jam ra-us ejus tener fuerit, et nata erint folia, cognoscitis quia in roximo sit æstas: **29** Sic et vos um videritis hæc fieri, scitote uod in proximo sit in ostiis.

30 Amen dico vobis, quoniam on præteribit generatio hæc, do-ec omnia ista fiant. **31** Cælum, terra transibunt, verba autem ea non transibunt.

25 Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura Gentium præ confusione sonitus maris, et fluctuum: **26** arescentibus hominibus præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi: nam virtutes cœlorum movebuntur: **27** et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate. **28** His autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.

29 Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, et omnes arbores: **30** cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.

31 Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei.

32 Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. **33** Cælum et terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

Difficultates ex utriusque textus comparatione deductæ, quæque plurium Auctorum judicio tertium evangelium (adeoque a fortiori librum Actuum) post a. 71 conscriptum evidenter ostendant, huc redeunt:

1° Lc clare distinguit cladem Hierosolymitanam inter et finem mundi in altero Christi adventu: sedulo notat utrumque eventum ordine temporis esse sejungendum ac utriusque eventus præsagia rite secernit. Hæc autem distinctio frustrà quæritur apud Mc, indeque derivanda apparet quod Lc, signis quibusdam ac eventibus nonnullis in ruina Judaismi jam completis, post a. 70

scripserit, et Christi prophetiam eventibus accommodaverit. Ità v. 9 dicens : « oportet *primum* hæc fieri sed nondum *statim* finis », procrastinationis parousiæ rationem reddere intendit. V. 11 non habet ut Mc v. 8 *initium dolorum hæc,* verùm v. 12 ponit: *sed ante hæc omnia* etc. ne præsagia finis mundi cum calamitatibus ruinam Hierosolymæ prænuntiantibus nimis arcte conjungat. Pariter v. 25 absolute pergit: *Et erunt signa* etc., dum Mc v. 24 nullum temporis intervallum notans, scribit: *sed in diebus illis, post tribulationem illam* etc. (Mt XXIV, 29: *statim* autem post tribulationem dierum illorum etc.).

2° Lc vv. 20-25 (coll. XIX, 43-44) adjuncta plura de obsidione et ruina Hierosolymarum tradit quæ non habet Mc (neque Mt) et quæ belli judaici a. 67-70 eventibus ità apte congruunt, ut illud ab auctore cognitum evidenter præsupponant.

3° Lc in eadem pericopa 20-25 plura omittit a Mc tradita v. g. vv. 15 et 18 Mc, maxime autem monitionem Mc v. 14 (et Mt XXIV, 15): « *qui legit intelligat* », unde apparet periculum ad quod Mc (et Mt) lectores attentos facit, tempore quo scripsit Lc, jam evanuisse.

*
* *

Antequam hæc puncta singillatim perpendamus, unam aliamve generalem animadversionem præmittimus.

A/ Lc, vir apprime historicus uti maxime ex Actis Apostolorum patet, evangelicam historiam a primordiis accurate investigavit, « multos » fontes scriptos adhibuit et ordinate, in pluribus a Mc recedens, evangelium conscripsit (1). Jamvero ex interno c. XXI examine liquet Lc, præter evangelium Mc (vel fontem ipsi et Mc communem), alium quemdam fontem scriptum adhibuisse, in quibusdam a Mc (vel utriusque fonte com-

(1) *Lc* I, 1-4 ap. *Collat. Brug.*, IX, p. 153 ss.

muni) recedentem (1). Quod a posteriori apparet, a priori haud improbabile videtur. Quæstiones enim apocalypticæ tempore Christi Judæos valde anxios tenebant, ità ut variis in adjunctis et a variis personis Christus de hac re politico-religiosa tam momentosa interrogatus, pluries tùm publice tùm privatim apud discipulos sermones apocalypticos protulerit.

B/ Notandum est præterea quæstionem utrobique eodem modo proponi Mc v. 4 et Lc v. 7: « quando hæc erunt, et quod signum cum fieri incipient? ». *Hæc* i. e. ruina templi et, juxta mentem inquirentium, finis mundi ac reditus Christi. Ad rem enim nostram diligenter observandum est in communi illius temporis opinione utrumque eventum chronologice fuisse connexum, ut præterea clare liquet ex quæsito apud Mt XXIV, 3: « Dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui et consummationis sæculi? ». Confuse ergo quæstio proponitur. Christus autem sapienti œconomia coævorum opinioni se accommodans, juxta quæsitum confuse etiam responderit, uti liquet ex Mc et Mt necnon ex primæva traditione christiana satis communi in qua

(1) Quædam hujus diversi fontis indicia notare juvat. Apud utrumque evangelistam (coll. *Mt* XXIV, 1 ss.) sermo Christi propheticus animadversione de templi magnificentia Jesu proposita provocatur. Sed statim quædam differentiæ in oculos incurrunt ad interrogantes quod attinet et locum quo interrogatio et responsio fieri videntur. Nota tamen interrogantes apud Lc v. 7 esse discipulos cum Jesus ut *Præceptor* compelletur. Talia sane Lc ex arbitrio non mutaverit. Pariter Lc v. 10, ubi primùm in responsione Jesu a Mc discrepat, formulam adhibet: *Tunc dicebat illis*. Nulla autem probabilis ratio apparet cur formulam citandi tam brevi intervallo (v. 8: *qui dicit*) repetat, nisi e novo quodam fonte haurire dicatur (Cf. Meyer-Weiss, *o. c.*, p. 615). Lc v. 11 signis a Mc v. 8 enumeratis addit *pestilentias*, verisimiliter eadem ratione ac v. 27 signis a Mc v. 24-25 descriptis adjungit « confusionem sonitus maris et fluctuum » sc. non arbitrarie sed auctoritate fontis cujusdam scripti. Pariter Lc v. 29 formulam introductoriam parabolæ de ficu immutat. Conclusio totius sermonis apocalytici apud Lc v. 33 ss. 38 diversa apparet, ut alia quædam statim infra examinanda taceamus. Quæ omnia indicia, utique simul sumpta, fontem scriptum a Mc diversum absque dubio revelant.

uterque eventus haud rite discernitur. Id eo facilius intelligitur quod sermones apocalypticos protulerit more prophetarum V. T., qui temporum intervalla variis eventibus interponenda, nedum accurate statuerent, potius negligere videbantur.

« Quod, ut jam suo tempore rite animadvertit Maldonatus (1), certo Eum (Christum) consilio atque divino fecisse arbitror, ne quis posset finem mundi cognoscere. Existimabant Apostoli hæc esse conjuncta finem templi et finem mundi; noluit Christus hunc illis errorem eripere, ne post templi eversionem in longum expectationem porrigentes securi essent. Diligentis tamen atque prudentis lectoris est quæ de Jerosolymitano excidio et quæ de fine mundi dicuntur, subtili conjectura distinguere » (2).

C/ Quodsi distinctionem inter utramque ruinam apud Mc (et Mt) ac Lc quæramus, utrumque evangelistam eumdem sequi ordinem (1° initia dolorum; 2° desolatio Judææ et ruina Jerusalem; 3° consummatio mundi) deprehendimus; pariter triplex prophetiæ pars utrobique triplici exhortatione morali discriminata apparet (3).

---

(1) *In Mt* XXIV, 5.

(2) Batiffol, *L'Enseignement de Jésus,* Paris, 1905, p. 257 ait. « Nous aimons mieux penser que la tradition rédactionnelle a créé la confusion en bloquant en un seul discours tout ce qu'elle possédait de paroles de Jésus sur l'avenir ». Hæc sententia, nostro judicio, nullatenus probabilis videtur. Non quidem negandum est in sermone apocalyptico dicta quædam Jesu jam alibi in Evangeliis relata, reperiri. Sed, si Christus distincte de utroque eventu et de utriusque præsagiis sermocinatus fuisset Judæorum ac discipulorum mentes hic prophetandi modus ità perculisset, ut confusio ista tam brevi spatio enasci non potuisset. Evangelium enim Mc (et Lc? ac Mt) conscriptum fuit 30 circ. annis postquam Christus fata nationis Judaicæ propalaverat, et ipsa evangelia evidenter jam alios fontes scriptos præsupponunt. Quæ cum ità sint, prædicta confusio impossibilis ostenditur.

(3) Prima exhortatio moralis Lc v. 14-15, jam suprà occurrit X, 11-12; Lc secundam exhortationem moralem Mc v. 21-22 (et v. 5-6) traditam initio v. 8 non repetit; invenitur præterea apud Lc XVII, 21 ubi de parousia quæstio fit. Exhortatio finalis apud Lc v. 34 ss. est magis generalis quam apud Mc v. 33 ss.; Mt in ultima exhortatione c. XXV, duas

At statim quæritur utrum Mc et Lc ipsi eam distinctionem ab interpretibus S. S. communiter statutam, clare indicent. Et sic ad difficultates propositas seorsim examinandas gressum facimus.

1° **Distinctio ruinam Hierosolymitanam inter et alterum Christi adventum in fine mundi.**

a/ Dictam distinctionem a Lc vv. 9, 11-12 et 25 clarius quam apud Mc vv. 7-8 et 24 (et Mt XXIV) proponi, nemo negabit.

Etenim Lc v. 9 formulæ a Mc v. 7 (Mt XXIV, 6) scriptæ: « oportet enim hæc fieri, sed nondum finis » substituit hanc aliam « oportet *primum* hæc fieri, sed nondum *statim* finis ». Clarius ergo notat — quod tamen etiam indicat Mc — bella et seditiones non immediate cum fine mundi et parousia connecti. Ratio tamen quam plures adducunt (1) ut ostendant Lc procrastinationem finis mundi et reditus Christi explicare voluisse, haud satis probanda videtur. Bella, aiunt, seditionesque Lc evangelium conscribens jam pluries viderat et tamen Christus redire tardabat: ideo clarius finem mundi et Christi reditum ab hoc præsagio sejungere studuerit. — Verùm Mc et, a fortiori Mt (græcus) XXIV, 6-8, hujusmodi bella seditionesque cognoverunt. Unde proposita ratio stringens non videtur.

Lc quidem v. 11 non dicit ut Mc 8 (Mt XXIV, 8) « initium dolorum hæc », verùm v. 11 s. signis a Mc enumeratis addit « pestilentias, terroresque de cœlo et signa magna » (2) ac

---

refert parabolas (de decem virginibus et de talentis servorum) quarum Mc secundam compendiose refert v. 34-36 et quas Lc XII, 35 ss. (coll. XIX, 12 ss.) tradit et cum parousia connectit (XII, 40). Lc igitur istas parabolas a magno sermone Christi apocalyptico adhuc independentes invenerit in documento quodam scripto, quod ambo reliqui synoptici pariter præ oculis habuerint. Mc forsan, propter earum cum altero Christi adventu affinitatem, eas per modum exhortationis moralis, in fine sermonis apocalyptici descripserit, quæ compendiosa relatio Mt (græco) forsan ansam præbuerit easdem parabolas in extenso referendi in exhortatione finali de vigilantia.

(1) Schanz, *Evangelium des h. Lukas*, p. 487; — Loisy, *Revue Biblique*, 1896, p. 181.

(2) « *Signa magna* » cogitanda sunt signa in cœlo, ut patet ex collatis formulis v. 11 et 25.

pergit « sed ante hæc omnia injicient » etc. Inde liquet præsagia v. 12 ss. descripta ordine temporis præcedere, ruinamque Jerusalem signis suprà indicatis esse postponendam. Signa magna v. 25 resumit Lc et, temporis intervallo v. 24 notato, absolute pergit: « Et erunt signa ». Illa signa ultima Mc v. 24 ruinam urbis esse subsecutura pariter affirmat, cum dicat: « In illis diebus, post tribulationem illam ». Utrum verba « in illis diebus » de temporis indeterminata duratione more prophetarum intelligi debeat, haud satis constat (1). Sat longum temporis intervallum innuere videtur Mc 10 (Mt XXIV, 14): « Et in omnes gentes primum oportet prædicari evangelium » (2); verùm hoc intervallum mediis in signis ruinam Jerusalem prænuntiantibus occurrit.

b/ Sed statim oritur quæstio utrum distinctio ruinam urbis inter et finem mundi, clarius notata apud Lc, certò et evidenter inde derivanda sit, quod Lc post præsagia nonnulla et eventus quosdam in ruina Judaismi completa scripserit. Jamvero hæc consequentia nullo modo evidenter ex antecedenti sequitur, eo quod et alia explicatio probabilis menti occurrit.

Etenim, licet Lc prædictam distinctionem in fontibus suis scriptis clare notatam probabilius non invenerit (3), eam tamen, etiam absque speciali revelatione (4), cognoscere et in Evangelio suo consignare potuit. Nam Lc ex una parte non tantum ex aliis synopticis conjicere

---

(1) Cf. *Mt* XXIV, 29: *statim* autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur etc.

(2) Quod Lc v. 24 post urbis eversionam alio modo exprimere videtur (cf. statim infrà).

(3) Quia, ut modo diximus, hoc temporum signorumque discrimen, si fuisset a Christo traditum, latere non potuisset auctores fontium scriptorum quos Mc et Mt ad manum habebant.

(4) Ad hanc enim recurrere in præsenti casu, cùm positive probari nequeat, effugium videri posset. Supervacaneum est observare charismati inspirationis non obstare quominus antecedenter ad influxum supernaturalem Dei auctor humanus quavis via naturali vel supernarali scribenda cognoscat, quominus omni diligentia humana et magno quandoque studio et labore scribenda præparet. Cf. Ill^s ac Rev^s WAFFELAERT, *Collat. Brug.*, VIII, p. 143.

potuit (1), sed a magistra suo S. Paulo didicerit tempus sat longum ante finalem mundi consummationem esse futurum; ex alia parte e fontibus suis evangelicis plures hausit Christi prædictiones de pœna a Deo populo judaico ob incredulitatem irroganda antequam generatio quam Christus alloquebatur, morte extingueretur.

Utrumque assertum breviter demonstramus.

Quidquid S. Paulus de altero Christi adventu in prioribus suis epistolis cogitaverit (2), certum est eum

---

(1) Id quod apud synopticos maxime eminet est incertum et incognitum parousiæ tempus (*Mt* XXIV, 36; *Mc* XIII, 32; *Lc* XII, 35-46). Quodsi hujusmodi incertitudo nonnunquam innuere videatur reditum esse imminentem, ex alia tamen parte cum textibus videtur concilianda quæ moram longiorem præsupponunt. Perpendere velis *Mt* XIII, 31-33; *Mc* IV, 26-29; *Mt* XXI, 41, 43; XXVIII, 18-20 etc. Ac in ipso sermone Christi apocalyptico *Mc* XIII, 10 (*Mt* XXIV, 14): « Et in omnes gentes oportet primum prædicari evangelium », quod signum Lc a præludiis ruinæ Hierosolymitanæ sejunxit et XIV, 24 alio modo expressit: « donec impleantur tempora nationum ». Tempora enim illa, juxta interpretationem magis probatam, (Cf. PLUMMER, *o. c.*, p. 483) significant epocham ad Gentilium conversionem requisitam et qua durante Gentiles Judæis dominabuntur.

(2) Neminem latet doctrinam S. Pauli apocalypticam haud facile expendi posse, cùm plura epistolarum loca huc spectantia intellectu sint ardua, cùmque in locis quibusdam Apostolus se inter eos, qui usque ad alterum Domini adventum vivent, numerare videatur, dum alibi se jam prius obiturum affirmet. Nostrum non est singula loca interpretari et invicem conferre, nam ad præsentem quæstionem quod spectat, hæc generalia statuere sufficit. Christus (ut notavimus sub B), noluit manifestare Apostolis momentum temporis quo ipse secundo venturus esset, neque hoc S. Lc ignoravit, ut liquet ex *Act.* I, 7: « Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate ». Apostoli proinde nihil de hac re *certi* potuerunt tradere Ecclesiæ, quæ cæteroquin testatur se nihil de hac epocha certi tenere ex traditione apostolica. Sed hoc ipso quod promissus erat adventus, et ignotum tempus, licebat fidelibus et ipsis Apostolis illum sibi augurari et sperare vicinum, seu licebat exprimere meram possibilitatem et spem proximi adventus Christi. S. Paulus autem imprimis clare incertitudinem parousiæ docet (*I Thes.* IV, 14-V, 6; *I Tim.* VI, 15). Eum in prioribus suis epist. (*Gal. I* et *II Thes.*) spem fovisse et possibilitatem parousiæ imminentis multi auctores catholici tenent. Ità CORLUY, *Spicilegium*, T. I, p. 341; BEELEN, *Het Nieuwe Testament*, in I Thes. IV, 14; PALMIERI, *Comment. in ep. ad Gal.*, Galopiæ, 1886, p. 225; SCHÆFER, *Der erste Brief Pauli an die Corinther*, Münster, 1903, p. 335; LEMONNYER, *Epîtres de S. Paul*, Paris 1905, T. I, p. 40 ss. etc. Eorum sententiæ ut probabiliori adstipu-

docuisse tempus parousiæ esse incertum; eum jam II Thes. II, 1 ss. præmunivisse fideles contra persuasionem de instanti omnino reditu Christi, docendo ante hunc reditum magnam christianorum apostasiam a fide et apparitionem « hominis peccati » esse futuras. Ubique hierarchiam instituit et communitatum regimen in epistolis pastoralibus ità instituendum monet quasi Ecclesia Christi in terris diu adhuc duratura foret. Est præterea in ep. ad Rom. XI, 25 (1) locus summi momenti pro præsenti materia: in quo S. Paulus solemni modo (2) proponit « mysterium » seu arcana consilia divinæ Providentiæ in christiana salute dispensanda. « Quia cæcitas, ait, ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret ». Mysterium ab Apostolo revelatum, uti patet ex textu et contextu, non tantum in eo est quod Judæi aliquando sunt convertendi, sed præsertim in ordine et tempore conversionis: quod nempe *prius* universitas Gentium (i. e. omnes et singulæ nationes ethnicorum qua nationes) in Ecclesiam intrabit, ac *deinde* gens Judæa (qua populus) etiam ad Christum convertetur. *Non antea ergo quam utrorumque conversio facta fuerit, sæculi consummatio eveniet.*

Hanc autem Pauli doctrinam Lc ignorasse contendet nemo. Non enim dubitandum est fidelem Apostoli comitem qui « diligenter omnia a principio assecutus » fuerat, et in rebus christianis maxime versatus apparet, magistri sui de fatis Judaismi et christianæ religionis sensus indagavisse et rite cognovisse. Ex Actis autem

---

lamur. In epp. seqq. *I* et *II Cor.* hujusmodi sollicitudo de vicino forsan Christi reditu evanescere videtur (cf. tamen *I Cor.* XV, 51 ss.): S Paulus jam non videtur spem fovere se tempore parousiæ adhuc victurum esse (*II Cor.* V, 3); imò se accenset iis qui tempore reditus Christi jam defuncti erunt (*I Cor.*, VI, 14; *II Cor.* IV, 14). In ultimis epp. (*Col. Eph. Phil.* et *Pastoral.*) dicta spes jam nusquam deprehenditur, ità ut *II Tim.* IV, 6-8 instantem suam mortem intueatur.

(1) Collatis integris capp. IX, X, XI.

(2) « Nolo autem vos ignorare fratres, mysterium hoc ».

et epp. pastoralibus novimus Lc apud Paulum in ultima hujus apostolici curriculi parte Romæ degisse.

Ex alia parte novimus Lc e fontibus suis evangelicis plures hausisse *Christi prædictiones de dira pœna populo Judæo infligenda ob pertinacem ejus incrudelitatem.* Ità XIII, 5: « Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis ». Deinde XIII, 34-35.... « ecce relinquetur domus vestra deserta » (ἀφίεται). Adhuc e fonte proprio (1) desumpsit XIX, 41-44: « Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidém in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te; et circumdabunt inimici tui vallo, et circumdabunt te, et coangustabunt te undique; Et ad terram prosternent te, et filios tuos qui sunt in te; et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ ». — *Hæc autem pœna nationi incredulæ irroganda apparet antequam generatio quam Christus alloquebatur, morte extinguatur.* Ità Lc XI, 51: « dico vobis: requiretur ab hac generatione », i. e. a generatione vivente tempore quo Christus loquitur. Neque alio sensu « generatio » (ἡ γενεὰ αὕτη) intelligenda est Lc XIX, 32: « Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant »: est enim sensus obvius vocis ac in S.S. omnino consuetus (2). « Hæc omnia » v. 32 significant idem ac « omnia » in v. 31, adeoque, uti patet ex similitudine (3) signa seu præsagia « regni Dei » i. e. regni Messianici per urbis ac templi eversionem firmiter constituti. Quo eodem sensu Lc IX, 27 scribit: « Dico autem vobis vere: sunt aliqui de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei » (4).

---

(1) Uti liquet ex contextu et coll. Mt et Mc.

(2) Cf. ZAHN, *Das Evangelium des Matthäus,* Leipzig, 1903, p. 662.

(3) Necnon ex quæstione quæ v. 7 proponitur et eadem directe respicit; pariter e *Mc* v. 7 et *Lc* 9 (oportet hæc fieri, sed nondum finis): ubique *hæc* distinguuntur a *fine* ac signis finem proxime nuntiantibus.

(4) Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Evang. S. Lucæ,* Parisiis, 1896, p. 311.

Jamvero tempore quo Lc cum Paulo Romæ degit (61-63), licet Apostoli Christo jam testes fuissent, « usque ad ultimum terræ » (*Act.* I, 8) « plenitudo Gentium » nondum intraverat in Ecclesiam ; et ex alia parte, nedum signa conversionis populi Judaici qua talis apparerent, potius gens ipsa pertinaciter incredula manebat, et Christi discipulos, maxime S. Paulum, acriter persequebatur, quod ipse Lc in Actis egregie ostendit.

Si hoc tempore conscripsissit Lc evangelium, nonne, juxta doctrinam S. Pauli et propria nixus persuasione ac experientia, rite distinguere inter ruinam judaismi ac ruinam mundi finalem, et temporis intervallum inter utrumque eventum ponere potuisset?

Hæc explicatio ad minus solide probabilis apparet. Unde apparet distinctionem claram quæ apud Lc cladem Hierosolymitanam inter et alterum Christi adventum cernitur, non sufficere ut dicamus tertiam Evangelium esse *certo* post bellum judaicum et ruinam urbis conscriptum.

2° **Ad obsidionem Jerusalem ejusque expugnationem** quod attinet, haud quidem negandum est Lucam plura eaque magis definita quam Mc proponere adjuncta ; verùm et hæc ipsa non sunt ità peculiaria, et certe hujusmodi sunt quæ in quacumque civitatis obsidione et captura accidere solebant quæque Judæi ipsi jam pluries experti fuerant. Ità *a*/ exercitus urbem circumdat (v. 20) ; *b*/ inimici eam circumdant vallo et coangustant undique (XIX, 43) ; *c*/ non relinquunt lapidem super lapidem (XIX, 44) ; *d*/ incolæ cadunt in ore gladii et captivi ducuntur (v. 24) ; *e*/ calcatur Jerusalem a Gentibus (v. 24). Illa omnia non semel experti fuerant Judæi. Imo integer contextus sermones propheticos V. T. redolet et pleraque adjuncta textibus V. T. ità sunt parallela ac cognata (1), ut in quibusdam editioni-

(1) *Is.* XXIX, 3 ; XXXVII, 33 ; *Jer.* VII, 34 ; XX, 4 ; *I Reg.* VIII, 46 ;

bus (1) velut citationes V. T. italicis literis exprimantur. — Præterea ipse Mc XIII, 2 (et Mt XXIV, 2) prædicunt fore ut de templo lapis super lapidem non relinquatur. Dein, ut omittamus Christum cognovisse et potuisse etiam in uno alterove sermone explicite dicere (2) quod iis locis apud Lc legitur, quodque Lc e peculiari fonte depromere potuit, jam ex illis ipsis quæ apud Mc XIII, 14 (Mt XXIV, 25) Dominus dicit, necessario concludi debuit fore ut urbs ab hostili exercitu cingatur et expugnetur.

Nam sermo est de abominatione desolationis dicta a Daniele propheta. Jam de tali abominatione Daniel loquitur duobus in locis IX, 27 et XI, 31; in utroque autem de hostili incursu et oppugnatione sermo est. Porro dicitur: fugiant in montes et fugiant celerrime; jam fuga in montes et absconsio in speluncis et cavernis, uti ex libris historicis V. T. patet, fieri solebat in hostili invasione. Porro Christus jam antea clare locutus est in parabola de illis qui invitationem regis spreverant: missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit (Mt XXII, 7). Unde optime intelligi poterat abominabilem desolationem Judææ et Jerusalem ab invasione exercitus hostilis iri effectum (3). Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Evang. sec. Lucam,* Parisiis 1896, p. 9.

Is V, 5; *Zach.* XII, 2; *I Mac.* IV, 60; *Ps.* CXXXVI, 9; LXXIX, 1; *Dan.* VIII, 10. BATIFFOL, *L'Enseignement de Jésus*, Paris, 1905, p. 283 ait: « Je ne serais pas éloigné de croire que, Jésus ayant été très réservé sur les modalités de la ruine de Jérusalem aussi bien que sur les modalités de la parousie, des traits empruntés à l'Ancien Testament ont pu préciser et corroborer les expressions générales dont Jésus s'était servi ». At profectò Jesus ipse ad modum et juxta imagines prophetarum V. T. vaticinari potuit, et modo judaico vaticinatus fuerit.

(1) v. g. WESTCOTT and HORT, quoad *c/* et *e/*.

(2) JACQUIER, loquens de integra argumentatione qua auctores nonnulli Lc scripsisse post urbis ruinam probare conantur, rite observat (*Hist. des Livres du N. T.*, T. II, Paris 1905, p. 483): « Cet argument n'est d'ailleurs péremptoire que si l'on dénie à Jésus la connaissance de l'avenir et, par suite, le don de prophétie; il n'a donc pour nous aucune valeur ». Cf. PLUMMER, *o. c.*, p. 451 s.

(3) Cf. RACKHAM, *Journal of theological studies,* London, 1899, p. 86 s.

Demum, si Lc sermonem Christi propheticum juxta belli judaici eventus interpretatus fuisset, nonne clarius ipsam *urbis* ac *templi destructionem* indicasset. « Desolatio » quidem de qua in v. 20 Jerusalem a paganis expugnatum iri satis innuit, quam expugnationem conculcatio v. 24 a Gentibus perpetranda pariter supponit. Verùm, ne verbo quidem alludit Lc ad obstinatam Judæorum propugnationem, ad bella ipsorum intestina, ad horrendam obsessorum famem, et maxime ad *destructionem templi, de cujus destructionis præsagiis Christum v. 5 Apostoli interrogaverant.* Ac rursùs, cur Lc prophetiam eventu fuisse completam explicite non notat, quod tamen de prophetia Agabi notavit (*Act.* XI, 28).

Interpretes aliqui maxime ex eo moventur quod Lc XIX, 43 dicat « circumdabunt te inimici tui vallo (χάρακα) », quod, aiunt, Titus in urbis obsidione revera fecit. At vero hic v. clare alludit ad Is. XXXIX, 3: καὶ κυκλώσω ἐπὶ σὲ καὶ βαλῶ ἐπὶ σέ χώρακα, καὶ θήσω περὶ σὲ πύργους: « Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, et jaciam contra te aggerem, et munimenta ponam in obsidionem tuam ». Præterea hujusmodi circumvallationes in obsidionibus sæpe adhibebantur a Romanis, ut antiqua documenta testantur (1).

3° **Ad omissiones** vv. 15 et 18 Mc. apud Lc quod spectat, eas omiserit Lc probabiliter quia fons judæo-christianus has monitiones hoc loco non habebat. Ità quoad v. 15, hanc admonitionem Lc XVII, 31 jam tradiderat, in sermone sc. de altero Christi adventu glorioso, in quem utique melius quadrare videtur. Quoad v. 18: « Orate vero ut hieme non fiant », non videmus cur Lc, scribens post urbis eversionem, hoc monitum

(1) Cf. Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*, Leipzig, 1901, T I, p. 628. Cf. Marquardt, *Römische Staatsverwaltung*. T. II (1876) p 509. Ità J Cæsar obsidionem Alesiæ narrans (*Bell. Gall.* VII, 69) ait: « fossamque et maceriam sex in altitudinem pedum præduxerant; ejus munitionis quæ a Romanis instituebatur, circuitus undecim millium passuum tenebat ».

omisisset, cùm Jerusalem in æstate expugnata fuerit, adeoque prophetia hac ex parte potius adimpleta apparuisset. Verum quidem est in fine obsidionis magnos solis æstus tormenta Judæorum adauxisse (1). At verba Christi Mc 18 non ad universum obsidionem, verùm potius ad *fugam* Mt XXIV, 20 referenda sunt (2) Mc, scribens pro christianis ethnicis extra Palæstinam degentibus, omiserit verba (3) *in sabbato* (4), servat autem verba *in hieme,* quia in regione montana Palæstinensi tunc temporis viæ sunt valde difficiles propter frequentes pluvias et torrentes inde exortos.

Denique ad verba Mc 14: « *Qui legit intelligat* » a Lc omissa quod refert, ea nullo modo probant Lc post eversam Jerosolymam scripsisse uti plures Auctores (5) immerito autumant: quasi apud Mc (et Mt XXIV, 15) hæc monitio christianos contra instantia pericula præmuniret, a Lc verò ut superflua omissa fuerit quatenus, tempore quo scripserit, dicta pericula jam evanuissent.

Etenim apud Mc, monitum istud verbis Christi rite insertum apparet: lectores evangelii attentos reddit prophetiæ Danielis verbis plus minus ænigmaticis propositæ (6). Lc verò locutioni lectoribus suis parum intelligibili verba clara substituit (vide suprà 3°), ità ut omnes de ruina Jerosolymæ sermonem fieri perspicerent ac formula monitoria velut superflua omissa fuerit (7).

---

(1) Cf. CONDER, apud HASTINGS, *Dictionary of the Bible,* Edinburg, II, p. 588 s.

(2) Cf. MEYER-WEISS, *Die Evangelien des Markus und Lukas,* Göttingen, 1901, p. 201 s.

(3) Fontis antiquioris ipsi cum Mt *l. c.* communis.

(4) Quo die magnum iter facere non licebat secundum legem Mosaicam, et scrupuli religiosi fugientes cohibere potuissent. Cf. VAN STEENKISTE, *Comment. in Matthæum,* Brugis 1903, T. II, p. 751.

(5) Sic etiam PLUMMER, *o. c.,* p. XXXI opinari videtur.

(6) Juxta *Mt* XXIV, 15 monitum istud potuit a Christo ipso proferri qui legentes prophetiam Danielis hoc modo ad futuram ejus impletionem attentos reddere voluerit.

(7) Cf. BEBB apud HASTINGS, *o. c.,* III, p. 163.

Conclusio § II. Varia indicia interna ex Evangelio S. Lucæ deprompta et quæ, juxta multorum sententiam, *certo* demonstrant tertium Evangelium (adeoque Actuum librum) post ruinam Jerusalem fuisse conscriptum, rem non conficère videntur.

Remanet ut paucis traditionis testimonium inquiramus.

(Sequetur).

A. Camerlynck.

Jurisprudence des Tribunaux

Tribunal civil de Liége (1e CH.) (1)
31 Mai 1905.

Fabriques d'église. — Fourniture de confessionnaux commandés par le curé, sans délibération du conseil de fabrique, ni exécution de celle-ci par le bureau des marguilliers. — Exigibilité du payement.

JANSE, — C. FABRIQUE D'ÉGLISE D'OUPEYE.)

JUGEMENT.

LE TRIBUNAL; — Attendu que l'action a pour but le payement d'une somme de 2,100 francs pour fourniture de deux confessionnaux faite, en juin 1903, à la défenderesse;

Attendu, comme le prétend la défenderesse, que, pour réussir dans son action, le demandeur doit établir que cette dépense extraordinaire a été autorisée par une délibération du conseil de fabrique de l'église d'Oupeye, conformément à l'article 12, § 4, du décret du 30 décembre 1809, et que le bureau des marguilliers a été chargé de l'exécution de cette délibération, conformément à l'article 24 du même décret;

Attendu que cette preuve n'est ni faite ni offerte; que le demandeur ne produit, en effet, aucun document administratif en vertu duquel la commande des confessionnaux litigieux aurait été régulièrement et légalement décidée par l'autorité compétente; qu'il paraît, au contraire, résulter de la procédure que c'est M. le curé d'Oupeye qui, de sa propre autorité, a demandé la fourniture dont il s'agit; que, dans ces conditions, la fabrique se refuse, à bon droit, à payer la somme réclamée, le curé d'une paroisse, bien que membre du conseil de fabrique et du bureau des marguilliers, n'ayant pas qualité pour engager ceux-ci;

Attendu que ce moyen suffit, à lui seul, pour repousser la demande, sans qu'il soit besoin de rechercher la valeur de

(1) *Pas.* III, 322.

l'argument tiré de l'impossibilité légale pour une fabrique d'église de faire, sans l'autorisation de l'autorité compétente, une dépense non portée au budget approuvé ;

Attendu que, vainement, le demandeur soutient que la fabrique d'Oupeye est devenue propriétaire des confessionnaux litigieux, parce qu'il est de principe que les meubles et ornements qui se trouvent dans son église lui appartiennent ;

Attendu que c'est là une pétition de principe ; qu'en effet, s'il n'est pas discutable que tout ce qui se trouve dans l'église appartient au conseil chargé de gérer ces biens, c'est à la condition que ces biens s'y trouvent légalement ; or, la défenderesse soutient, précisément, qu'elle n'a pas commandé les confessionnaux dont il s'agit et que, partant, à moins qu'ils n'aient fait l'objet d'un don, ils sont illégalement dans l'église parce qu'aucune des formalités administratives n'a été remplie pour leur acquisition ;

Par ces motifs, rejetant toutes conclusions contraires, de l'avis conforme de M. Ségard, substitut du procureur du roi, donné en audience publique, donne à la défenderesse l'acte par elle postulé ; ce fait, déclare le demandeur non fondé en son action, l'en déboute et le condamne aux dépens.

Observations.

1° En général, l'acquisition des meubles d'église n'est soumise à aucune autorisation spéciale. Cependant, par une interprétation abusivement extensive de l'article 2 de l'arrêté royal du 16 Août 1824, l'achat de meubles placés dans les édifices du culte, à perpétuelle demeure, comme celui d'objets mobiliers de grande dimension, qui sont de nature à changer l'ordonnance architecturale des bâtiments, doit être autorisé par arrêté royal, préalablement à l'inscription au budget, de crédits de cette nature (1).

L'acquisition de nouveaux confessionnaux exigerait donc en jurisprudence, l'observation de ces formalités.

2° Pour que le payement d'une dépense extraordinaire soit à la charge de la fabrique, il faut non seulement, qu'un crédit ait été inscrit à cet effet au budget

(1) *Collat. Brug.*, III, 290 s.

approuvé, ou que l'ouverture d'un crédit spécial non porté au budget ait été autorisée par l'autorité compétente; mais aussi, que conformément au § 4 de l'article 12 du décret de 1809, toute dépense extraordinaire de l'importance que la loi détermine, ait été soumise comme telle à la délibération du conseil de fabrique. C'est lui, qui autorise la dépense, sous la réserve de l'approbation de l'autorité supérieure. Cette délibération se fait en règle générale dans la séance spécialement consacrée à l'examen et au vote du budget. Si toutefois, une dépense de ce genre n'avait pas été comme telle portée au budget, il y aurait lieu pour le conseil de fabrique de prendre une délibération spéciale, dans le courant de l'exercice.

De plus, cette dépense régulièrement *décidée* par le conseil et légalement *autorisée,* doit être mise à exécution par le bureau des marguilliers, conformément aux articles 24 et 28 du décret de 1809.

Or dans le cas, aucun crédit n'avait été porté au budget pour l'acquisition de deux confessionnaux; aucune autorisation d'ouvrir un crédit extraordinaire n'avait été demandée; et de plus, cette dépense extraordinaire n'avait été ni décidée par le conseil, ni exécutée par le bureau. Le curé avait agi de son propre chef; par conséquent, il n'avait pu engager la fabrique, et n'était point fondé à être indemnisé par celle-ci pour les engagements personnels qu'il avait contractés (1).

3° Nous relevons dans le jugement une expression qui manque d'exactitude. Un considérant attribue la propriété de tout ce qui se trouve dans l'église au conseil chargé de gérer ces biens. Les conseillers ne sont que des administrateurs légalement institués pour la gestion du patrimoine de chaque fabrique, propriétaire immédiat des biens ecclésiastiques.

A. De Meester.

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, t. II, n° 1046, p. 337.

Fabriques d'église

Séance du premier Dimanche de Mars

L'objet principal de la séance du mois de Mars est l'examen et la clôture du compte annuel du trésorier (1).

I. Nous croyons opportun de reprendre ici une des observations pratiques consignées jadis dans les *Collationes Brugenses* (I, 86), relative à l'article 52 (*dépenses rejetées du compte antérieur*) des dépenses extraordinaires du compte.

Les sommes rejetées du compte de 1903, sujettes à rappel et conséquemment inscrites comme telles à l'article 61 des dépenses du budget pour l'exercice 1905, doivent être portées à l'article 52 du compte de 1905.

Si les sommes ont été rejetées parce qu'elles concernaient des dépenses dépourvues de mandats réguliers et quittancés (2), il faut régulariser ces pièces justificatives et les joindre à nouveau au compte de 1905. Si au contraire, il s'agit de sommes rejetées parce que les allocations budgétaires ont été dépassées, et que d'ailleurs les mandats étaient dressés dans les formes voulues et dûment acquittés, il suffit d'inscrire simplement ces sommes au compte de 1905, en y joignant ces mêmes mandats comme pièces justificatives; on suppose du reste que ces sommes rejetées du compte de 1903, ont été régulièrement inscrites au budget de 1905.

II. Divers arrêtés royaux pris en cette matière, ont statué comme suit:

1. Certains crédits portés au compte et supprimés

---

(1) Voir *Collat. Brug.*, I, 81 ss.; II, 90 ss., 590 ss.; IV, 109 ss.; V, 194 s.; X, 173 s.

(2) *Collat. Brug.*, I, 84; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, t. II, n° 1044, p. 336 s.

par arrêté de la Députation permanente, ont été maintenus par l'autorité supérieure. Notamment : les allocations inscrites à l'article 11 *(chauffage des sacristies)* (1), à l'article 50c *(adoration et confessions pascales)* (2), à l'article 61b *(confection de plans et devis d'un maitre-autel)* (3) des dépenses du compte.

2° Un arrêté royal du 5 Mars 1905 (4) rejette le recours du conseil de fabrique de l'église de Saint Etienne à Vottem, contre l'arrêté par lequel la Députation permanente du conseil provincial de Liége a approuvé le compte pour l'exercice 1903, sous la réserve que le conseil de fabrique capitalise la somme de 187 fr. 21 c. formant la différence entre le montant d'une emprise (5) et la somme déja placée.

Cet arrêté royal constitue une application de l'article 63 du décret de 1809, qui prescrit aux fabriques d'employer conformément aux lois, les deniers disponibles, provenant de n'importe quelle source. Cet emploi des capitaux doit être constaté dans les écritures, y compris les budgets et les comptes (6).

A. De Meester.

(1) A. R. 11 Oct. 1905, *Monit.*, p. 5355.
(2) A. R. 11 Sept. 1905, *Monit.*, p. 4846.
(3) A. R. 12 Oct. 1905, *Monit.*, p. 5425.
(4) *Monit.*, p. 1131.
(5) Aliénation d'une propriété, à la suite d'une expropriation pour cause d'utilité publique.
(6) Moulart, *Des fabriques d'églises*, 9e édit., p. 543 ss.; Leroy, *Instructions sur la comptabilité et l'administration des fabriques d'églises*, p. 195 ss.; *Collat. Brug.*, II, 574.

E Sacra Congregatione Indicis

Decreto d.d. 13 Decembris 1905 in Indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera:

ONIELLO LIZZOCCI, *Nuovi orizzonti filosofici, ossia avviamento a nuovi studi di filosofia*. Pistoia, G. Flori e C., 1904.

Dr FRANCO MAGGIONI, *Questione delicate*. Roma, Forzani e C., 1904.

ANTONIUS VOGRINEC, decreto S. Congregationis, edito die 3 Junii 1904 (1), quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subjecit.

Consultationes

I

Quæritur utrum verba consecrationis debeant *legi* ex tabella aut missali an vero possint memoriter pronuntiari?

Respondetur nullum hac de re inveniri præceptum in libris liturgicis aût decretis. Nonnulli tamen auctores, merito ut videtur, suadent ut celebrans, pro posse, ea legat ex tabella quo attentius et securius proferre possit verba quæ pronuntiari debent « *secrete*, *distincte et attente* ».

II

Quæritur utrum in laudibus SS. Sacramenti, tum infra benedictionem, tum ante et post incensationem, facienda sit *inclinatio corporis profunda* ab iis qui genuflexi sunt?

Respondetur *negative*, sed tantum profunda *capitis* inclinatio est facienda, ut liquet expresse, saltem

(1) *Collat. Brug.*, IX, 549.

quoad incensationem, ex decr. S. R. C. *Tarnovien.*, 26 mart. 1859, n. 3086[5].

Ceterum est mera applicatio **regulæ generalis** juxta quam *corpus* **nunquam** est inclinandum ab iis qui sunt genuflexi.

Ratio est quia ipse situs genuflexionis est maxima corporis depressio et corporalis reverentia. Quodsi specialis tamen quædam reverentia sit exhibenda, ea fit non jam corporis sed solius capitis inflexione Cf. *Ephem. liturg.* 1905, p. 551 ss., et laudatosque ibidem auctores.

III

Quæritur quid significent verba « *infra actionem* » quæ rubro colore leguntur in canone *Ordinis Missæ* immediate ante orationem *Communicantes*.

Respondetur esse meram notam pro memoria, ut celebrans melius attendat in sequenti oratione quædam mutanda vel addenda esse in nonnullis festis et octavis quæ habent, ut aiunt, *Communicantes* proprium.

Nomine *actionis* olim vocabatur missæ canon, quasi actio per excellentiam. Jamvero *Communicantes* propria a multis jam sæculis solent in Missali poni post præfationes proprias et congruas, cum adjecta nota « *infra actionem* » cujus sensus est: sequentia sunt recitanda non statim post præfationem præcedentem, sed infra actionem seu canonem. Deinde, ad memoriam et attentionem juvandam, eadem nota, in revisione Missalis a Pio V (1) inserta fuit in ipso canone *Ordinis Missæ*.

C. Callewaert.

(1) Ante hanc revisionem nota illa non solebat addi in canone, sed tantum post præfationes vel etiam in proprio Missarum de tempore aut de Sanctis, ut videre est in pluribus antiquis missalibus manuscriptis aut typis impressis quæ in nostro Seminario asservantur.

Libri dijudicantur.

DOM P. BASTIEN O. S. B. **Directoire canonique à l'usage des Congrégations à vœux simples.** Abbaye de Maredsous, 1904, in-8, XVII-442 pp. F. 5.

Felicis recordationis Leo XIII, Bulla « *Conditæ a Christo* », data die 7 Decembris 1900, incertam hucusque Institutorum votorum simplicium juridicam conditionem determinavit. Paulo post, die 28 Junii 1901, in lucem prodierunt *Normæ secundum quas S. C. Episc. et Regul. procedere solet in approbandis novis Institutis votorum simplicium* (1), et quæ forma clara et concinna, authenticam istius Congregationis styli vigentis significationem nobis exhibent. Inde ab hoc tempore jam ampla circa hanc materiam præsto est litteratura. Documenta tum retrospectiva, tum periodica, ad omnium utilitatem in unum coegit R. P. VERMEERSCH (2). Sub respectu doctrinæ, præter optimum quem idem auctor conscripsit et supplementis adauxit tractatum generalem *de religiosis* (3) et prælectiones juris regularis R. P. Piati, quas in compendium reduxit R. P. VICTORIUS AB APPELTERN (4), memoranda veniunt præcipue opera specialia conscripta ab ARNDT S. J. (5),

---

(1) Romæ, typis S. C. de Prop. Fide, 1901, 59 p.

(2) *Tractatus de religiosis institutis et personis*, tomus alter, supplementa et monumenta, ed. 3, Brugis, Beyaert, 1904 ; *de religiosis institutis et personis* supplementa et documenta periodica. Prima series 7 numeris completur, Brugis, Beyaert, 1904-1905.

(3) *Tractatus de religiosis etc.* Tomus prior in usum scholarum, Brugis, 1902 ; opera superius citata (2).

(4) *Compendium prælectionum juris regularis* R. P. PIATI MONTANI, Tornaci, Casterman, 1903, cf. *Coll. Brug.*, T. IX, p. 223 s.

(5) *Die kirchlichen Rechtsbestimmungen für die Frauenkongregazionen*, Mainz, 1901.

NERVEGNA (1), BATTANDIER (2), BOUDINHON (3) etc.

Ante duos annos R. P. BASTIEN laudatum commentarium in C. *Conditæ* ediderat (4); nunc vero opus incœptum complendo, typis mandavit directorium canonicum in usum Congregationum votorum simplicium, quod in *vade mecum* Superioribus religiosorum dedicavit.

Liber est valde affinis illi quem publici juris fecit Ill^mus^ Battandier. Dum hic auctor, apprime versatus in jurisprudentia et stylo Curiæ Romanæ, sequens ordinem logicum constitutionum alicujus Instituti, methodo codificationis, docte et practice librum exaravit qui dux existeret pro conficiendis constitutionibus et pro definiendis relationibus Institutum inter et Sanctam Sedem; R. P. Bastien, decisionibus SS. Congregationum et doctrina probatorum auctorum nixus, eâdem methodo, tractatum canonico-moralem edidit de Institutis tum diœcesanis, tum non diœcesanis, tum virorum, tum mulierum. Sequitur exinde quod unum opus alterum complet.

Directorium canonicum R. P. Bastien dividitur in tres partes. Prima agit de vita religiosa et ejus obligationibus, et conficitur triplici libro: primus tractat de fundatione et approbatione Congregationum, de earum constitutionibus et suppressione; secundus de ingressu in Congregationem religiosam et de novitiatu; ultimus de professione et obligationibus inde exsurgentibus. In

---

(1) *De Institutis votorum simplicium religiosorum et monialium.* Opuscul. Roma, 1904.

(2) *Guide canonique pour les constitutions des Instituts à vœux simples,* 3e éd., Paris, 1905. Opus est præclarum, solidæ doctrinæ et practici momenti, sub respectu documentorum jurisprudentiæ S. C. EE. et RR. pretiosissimum.

(3) *Canoniste contemporain,* T. XXV, 1902, p. 353 ss. — T. XXVIII, 1905, p. 654 ss. (sequetur).

(4) *Constitution « Conditæ a Christo » de Léon XIII sur les Instituts à vœux simples et leurs relations avec l'autorité diocésaine.* Texte et commentaire, Bruges, 1902, cf. *Coll. Brug.*, T. VIII, p. 362.

secunda parte sermo est de externo regimine Institutorum, cujus regiminis partes habent Romanus Pontifex, Congregationes Romanæ, Cardinalis Protector, præcipue vero Ordinarius in rebus temporalibus et spiritualibus. Postremo, in tertia parte, constitutio et regimen internum Congregationum evolvuntur. Utiliter adjunxit eruditus auctor huic methodicæ tractationi plures appendices : in prioribus disserit de variis Institutis quæ in C. *Conditæ* non comprehenduntur, nempe de Associatione Puellarum charitatis (les filles de la charité de S^t^.-Vincent), et de monialibus antiquiorum Ordinum, quæ simplicem tantum emittunt professionem ; in posterioribus vero affert textum variarum Constitutionum ad Instituta votorum simplicium spectantium et versionem gallicam aurei opusculi Em. Card. Gennari : *Sulla communione frequente e sul decreto « Quemadmodum »*. Indices alphabetici in fine apponuntur. En habes totum complexum hujus momentosæ tractationis, ex qua Superiores religiosorum, Directores conventuum, omnesque juri canonico addicti, rectam et planam juris vigentis expositionem, prudentem quæstionum difficilium solutionem, multarumque rerum pro praxi utilium cognitionem mutuari valebunt.

Quin immorer in singulis ordinis adhibiti et generatim logice evoluti divisionibus discutiendis, quædam opponi posse videntur contra methodum codificationis usque modernam, ab auctore usurpatam. Sane hæc methodus pro legibus concise et clare formulandis (1) valde opportune adhibetur, sed id periculi secum affert, ne in tractatu quodam haud sufficienter principia generalia et notiones didacticæ exponantur; dein, si pro parte canonica pleno jure in usu venit, pro quæstionibus moralibus tractandis minus apta dicenda videtur. Quoad materiam tractatam, plerumque recte et clare exponitur

(1) Auctor non semper forma satis concisa et pressa singulas dispositiones scribit. v. gr. a. 11 et seq., a 46 ss., a. 234 ss., a. 262 et 264 etc.

jus Ecclesiæ et cum magno fructu leguntur ea quæ scripsit R. P. circa certas quæstiones difficiliores : circa libertatem clerici ingrediendi religionem, circa munus Cardinalis Protectoris, circa statum juridicum monialium antiquiorum Ordinum etc. Sed, ut mihi quidem videtur, non satis attendit scriptor ad documenta jurisprudentiæ sacræ, anteriora *Normis*, quæ multum juvant ad earum interpretationem et illustrationem, et præterea varia attingunt objecta quæ his *Normis* non comprehenduntur. Perlustranti laudatum opus Ill^mi Battandier, hoc clare patebit. Et ut jam ad quædam specialia transeamus quæ minus arrident : quid sibi volunt hæc verba auctoris agentis de valore juridico Normarum : « De plus, ce document n'a pas d'effet rétroactif, ce n'est donc pas une loi », (p. 2, note 1); a. 118 opinatur R. P. obligationem tendendi ad perfectionem, eamdem esse ac obligationem servandi vota et constitutiones, sed argumenta adducta lectori plenam fidem non faciunt, eisque jam adæquate respondit R. P. Vermeersch (1); a. 239 examinat R. P. quæstionem acriter controversam, num possit religiosus Instituti votorum simplicium statuere ut patrimonii sui fructus ipsis bonis accrescant, et ratione responsi S. C. EE. et RR. 21 Nov. 1902 eam in sensu negativo, addita tamen restrictione sat notabili resolvit (2) : nihilominus, attentis differentiis inter formulam Bizzari et textum *Normarum,* attentis praxi, et via privata qua innotuit prædictum documentum, profecto ratio habenda erat eorum quæ in sensum benigniorem circa illud responsum annotaverunt R. P. Vermeersch (3) et *Revue théolog. française* (4); quæ scribit

(1) *Op. cit.*, T. I, nº 224 ss., p. 134 s.; T. II, p. 668.

(2) Quando scribit Bastien, l. c.; « Cette affectation de revenus n'est autre chose qu'un acte de propriété et d'usage *interrompu* », legendum est *ininterrompu* cf. *Can. Contemp.*, T. XXVII, 1904, p. 39. Hoc in articulo, memorandum erat, ni fallor, jus speciale Belgii et Neerlandiæ.

(3) *Supplementa et Monumenta periodica,* 1e Sér., nº 5. p. 122; *Coll. Brug.* T. X, p. 682 ss.

(4) T. IX, 1904, p. 396.

a. 240, circa modificationem dispositionis de administratione, usu et usufructu, jam mutanda sunt juxta Responsum S. C. EE. et RR. 2 junii 1905 (1); a. 239 dicitur quod non possent *directe* præcipi a superioribus actus mere interni, possent vero *indirecte:* illa distinctio non fundata videtur, nec consentanea est verbis de Lugo citatis ap. Vermeersch (2); a. 531 ait auctor: « Il est probable qu'il n'est pas défendu (aux religieux) de prendre des actions dans les sociétés soit commerciales, soit industrielles.... mais sous une triple condition: *a.* de ne pas prendre un grand nombre d'actions; *b.* de ne pas s'ingérer dans l'administration des sociétés; *c.* de ne pas prendre d'actions dans les sociétés non encore constituées. » Sententia est a Bouix (3) propugnata. Sed primo notetur quod nec de prima conditione nec de tertia mentio fiat in recentioribus actis A. S.; quinimo, qui magnam partem actionum emit alicujus societatis, utique vocabitur ad conventus generales societatis, sed non adesse tenetur, nisi fortasse in casu exceptionali, quo quidem, interventus ille considerari poterit ut actus bonæ administrationis et conservationis bonorum; relate vero ad tertiam conditionem, distinguendum erat inter socios fundatores et socios contribuentes (membres fondateurs et souscripteurs).

A. De Meester.

---

(1) *Nouv. Rev. théolog.*, T. XXXVII, 1905, p. 619; *Coll. Brug.* T. X, p. 682 s.

(2) *o. c.*, T. I, n. 293.

(3) *Rev. des sciences ecclésiastiques*, T. XI, p. 444.

Collationes Brugenses

ANALECTA ASCETICA.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XI, pag. 77).

De ministrando ad *missas.*

Ad missas libenter ministra, quia hoc est officium angelicum, ipsi enim ubique Domino suo devotissime ministrant. In hoc enim ministerio multiplex fructus est: primo, operis boni exercitium; secundo, opus caritatis est [1]; tertio, opus devocionis, quia Deo propinquas in oratione; quarto, opus angelicum est, qui ibi Deo presente ministrant sicut et tu. Ex hoc enim familiariores erunt tibi angeli sancti, quia eorum cooperator es ibi. Ex hoc non solum sacerdos tenebitur orare pro te, cui ministras, specialiter, sed et omnes circumstantes quorum vicem geris; immo tota ecclesia ubique terrarum, quia tu vicem geris omnium fidelium, qui Domino suo de celo venienti cum devotissima graciarum actione deberent ministrare, si possent adesse. Et vix potest fieri quin Deus aliqua speciali gracia remuneret eum in presenti, qui libenter et devote ministrat ad illud Sacramentum, quo nihil est sanctius, nihil melius in celo et in terra. Et est quodammodo [2] divine dignacionis et dilectionis precipuum indicium. Nihil enim minus videtur Deus facere in eo quod cotidie dignatur de celo descendere super altare, quam cum de celo descendens naturam humanam homo factus assumpsit. Et ideo reliquit nobis hoc in memoriale totius dilectionis sue, et quasi quodam compendio omnium beneficiorum suorum

inclusit nobis memoriam, incarnacionis, redempcionis [3], glorificacionis, justificacionis [4], sicut patet hiis qui diligenter considerant hujus sacramenti institucionis, celebracionis et participacionis fructum. Unde salubre est sepe communicare, ei scilicet qui cum devocione et studio virtutum et custodia sui non solum a magnis peccatis sed etiam a levitatibus verborum, operum et cogitacionum se studet refrenare [5]. Licet omni tempore debeamus esse solliciti de omnibus que bona sunt, maxime tamen convenit, cum ad suscepcionem corporis Christi nos preparamus vel susceptum nobiscum habemus.

---

[1] Additur in edit. Quaracchi: « et promovens proximum in bonum », quæ videtur explicatio a mente auctoris aliena, qui aliud non intendit nisi quod inservire sacerdoti litanti opus est charitatis.

[2] Alter textus habet: « quod est admodum præcipuum indicium divinæ dignationis », quod minus bene congruit cum explicatione addita, quæ insinuat incarnationem esse admodum præcipuum indicium dilectionis divinæ, cui æquiparari videtur mysterium eucharisticum, adeoque et ipsum esse *quodammodo* præcipuum dilectionis indicium. Nostro mns. consonat ed. a. 1596.

[3] Addit alter « resurrectionis », quod, nulla mentione facta passionis Christi, et inter « redemptionis » et « glorificationis » beneficia positum, videtur superfluum.

[4] In eadem edit. Q. additur: « atque eorumdem figuram inclusit. »

[5] Edit. Q. habet: « a levitatibus.... se abstinet, et studet ad hoc se aptare. »

***

De tempore et modo *confitendi*.

SEPE confiteri debes ad minus ter in ebdomada et simpliciter sicut angelo qui sciret secreta cordis. Nec adducas velamen excusacionis vel alleviacionis, et non implices ita quod confessor

non intelligat quid notes, sed dices ei quid feceris. Historias et facta aliorum noli recitare, sed singulos articulos, quos recolis te fecisse a tempore quo nuperime confessus es, hoc dic breviter et pure, et noli texere longum tractatum cujusdam generalis confessionis, quia generat tedium confessori. Ista in oracione cotidie potes [1] confiteri et defectus tuos ei exponere quos sentis et ab eo postulare curationis remedium. Parum valet confessio, nisi proponas tibi de cetero cavere in hiis quæ confiteris.

Hæc eadem fere, minus concinne expressa, habes in edit. Q. — [1] Hic forte supplendum verbum *Deo,* quod habet reapse alter textus in utraque editione, tum Q. tum a. 1596.

***

Quomodo in *cella* degendum.

In cella libenter esto, et aliquid semper in ea age quod edificet te, vel quod a majore tibi injungitur. Tam voluntarius ad obedienciam esse debes, ita quod in omni hora, si tibi injungeretur aliquid, facere deberes et libenter acceptares; et quod in tantum tui juris non esses, quod nec verbum loqui nec aliquas necessitates proprias [1] sine licentia proprium haberes arbitrium. Sicut olim legimus sanctos in Egypto vixisse et alios, quorum si cupimus gloriam adipisci, imitemur virtutem.

---

[1] Videtur hic verbum omissum. In utraque edit., Q. et Augustæ Vindel. a. 1596, habetur: « *ad* aliquas necessitates proprias *ire.* »

***

De lectione. [1]

Lege Sanctorum vitam et doctrinam, ut in comparacione eorum humilieris et instruaris, ut accendaris ad devocionem, ut provoceris ad

studium, ut informeris in intellectu Scripturarum, ut illumineris ad fidei intellectum, ut scias discernere verum a falso, bonum a malo, vicium a virtute, remedia viciorum et temptacionum occasiones discernere. [2] Non legas nec causa curiositatis, nec legas que non edificant, quia vana lectio vanas generat cogitaciones et extinguit mentis devocionem [3].

---

[1] Hic titulus litteris rubris eadem manu in manuscripto nostro exaratus invenitur, sicut et sequentis capituli: *De custodia sui.* Præter hos, non est nisi unus, atramento scriptus infra.

[2] Addit edit. Q.: « Ut possis intelligere, legas, non ut doctior videaris, nec causa curiositatis. »

[3] Post hæc quæ sub num. 1 conclusit, addit eadem editio sub n. 2, 3 et 4 sat longum tractatum: *Non affectes fieri prædicator et confessor*, quem editio a. 1596 speciali capitulo quoque proponit, noster vero omnino omittit. Quem licet et nos exorbitare in hac institutione novitiorum merito censeamus, et haud parum speciem commentarii redolere, hic tamen subjicimus oculis lectoris:

2. Non affectes fieri prædicator et confessor, quia, si dignus fueris, Dominus ad hoc te vocabit; si autem indignus et non idoneus, erit tibi confusio major, quod te ingesseris. Inde est, quod aliquando parum consequimur fructum vel honorem de prædicationibus nostris vel confessionibus; quia non vocati a Deo veniunt, et non missi currunt, prius volentes facere fructum in aliis, quam in se fixerint radices virtutis. Et ideo fructus eorum non est durabilis, quia immaturus producitur.

3. Hinc est, quod in Levitico legimus: *Quando ingressi fueritis terram et plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum; poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino. Quinto autem anno comedetis, congregantes poma, quæ*

proferunt. Arbor plantata in Religione est homo, qui fructum salutis debet proferre in se et in aliis tempore opportuno. Si autem intempestivos fructus protulerit, immundi reputantur et inutiles ad profectum spiritualem propter præsumtionem. Primus annus est vera pœnitentia de peccatis præteritis; secundus est perfecta conversio ad statum emendationis; tertius annus est longus jam usus bonæ consuetudinis; quartus est pro bono opere laudes et humanos honores contemnere et fastidire et quærere solius Dei gloriam et salutem animarum. Quicumque autem ante hunc annum se ingerit, nec fructum animarum profert nec Deo erit acceptum nec sibi meritorium propter vanitatem et levitatem, immo nec aliis erit proficuum. Post vero hunc annum, id est quinto anno, puræ caritatis comedet fructus et congregabit poma, quia tunc ejus prædicatio erit fructuosa in aliis et sibi meritoria, ut congreget fructus in vitam æternam.

4. Hoc dixi, ut videas, quibus etiam sacra Scriptura consulat subire officium prædicationis. Stude ergo te ipsum componere prius exterius in bonis moribus, interius sanctis affectionibus et cogitationibus ordinare; tunc demum utiliter procedes ad alios et confidenter, habens sanam doctrinam, quia nemo præsumit docere artem aliquam, quam non prius didicerit.

***

De custodia sui.

NUNQUAM sis ita securus vel absconsus, quin ita disciplinate et caste te habeas in omnibus, in visu et in tactu et in aliis motibus tuis, ac si videaris ab aliquo, quia sancti angeli, qui semper nobiscum sunt, vident omnia que facimus, quorum aspectum debemus vereri et presenciam revereri. Videt nos Deus et judex noster [1]. Videt nos eciam consciencia nostra, testis eorum que

facis et accusatrix. Qui autem magis veretur aspectus hominum quam Dei et consciencie proprie et sanctorum angelorum, non est castus amator veri boni, quia non declinat malum amore veri boni, sed ex timore detrimenti temporalis honoris; et talis non est amator veri boni, [2] qui ad huc hominibus magis placere cupit quam Deo. [3] Cui enim plus deberes [4] displicere, illi affectas magis placere. Sed nemo potest duobus dominis servire.

Hæc rursum minus concinne et quasi evaporato vetustatis odore per insertas particulas et phrases, in editione Q.

[1] Sic post: « Deus et judex noster », additur: « qui est ubique præsens scrutans corda et renes, id est carnales affectiones et cogitationes », quam reapse interpretationem non valde accuratam a tertia manu diceres priori addito adjectum. Totum additum quoque deest in editione a. 1596, quæ tamen additis scatet.

[2] Heic habet ed. Q.: « talis non est verus Christi servus » juxta textum Pauli, *Gal.*, I, 10.

[3] Noster solet quidem alludere ad textus Scripturæ, sæpius vero eosdem non citat; ita et hoc loco ad textum Pauli, ut supra, attendit; sed non citat, quod fecisse videtur altera manus addens in edit. Q.: « Unde Apostolus: *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Quæ in edit. 1596 etiam non comparent.

[4] Heic habet utraque editio, 1596 et Q., « Cui enim plus doles (te) displicere, illi (etiam) plus affectas placere. » Quæ magis videntur nexum idearum abrumpere.

*
* *

De modo agendi *inter fratres.*

INTER fratres exhibe te verecundum, graciosum et modestum; affabilem et dulciter seriosum, ut et disciplinam conserves et tamen ex austeritate non sis aliis onerosus. Jocos dissolutos numquam exerceas, nec verba scurrilia alicui proferas, nec libenter audias. Quod eciam [1] delectat audire, si

auderes, eciam libenter ipse faceres. Servus Dei ita castus debet esse in omnibus, ut non tantum horreat que indecenter sonant, sed eciam que notant turpia [2], licet sint aliqua honestate palliata.

---

[1] Hic legit Q. *enim*.

[2] Eadem fere habet editio a. 1596; quibus, quod mirum videtur, præfert edit. Q.: « ut non tantum horreat quæ nocent, sed etiam ea, quæ decenter non consonant, ut turpia,...

*
* *

De servanda *verecundia.*

OMNES gestus ac mores tui et sermones et aspectus quadam humili verecundia oportet esse colorata, ut nil appareat elati vel pomposi vel audaci presumptione notabile. Verecundia enim maximus decor est in religione, precipue in juvenibus. Ita quod qui eam postposuerit, vix aliqua spes de eo sit quod fiat aliquando virtuosus. Sicut enim timor Dei hominem componit intrinsecus ad bonitatem, ita verecundia componit extrinsecus ad disciplinam [1]. Nemo ita familiaris sit tibi, coram quo positus [2] obliviscaris verecundie tue; tamen quando impediret te in hiis que expediunt vel necessaria sunt, tunc premenda [3] est, non abicienda vel extinguenda, sicut vicium, sed regenda et ordinanda in virtutem, sicut et affectiones naturales.

---

[1] Edit. Q. addit: « Unde Gregorius [notat Q. esse potius Bernardi]: Verecundia est omnium virtutum ornatus, innocentiæ testis, pudicæ mentis indicium, disciplinæ virga, spiritualis gloria, famæ custos, castitatis socia et totius sanctitatis insigne. » Quæ quidem nobis speciem rursus habent glossematis, eo vel magis quod et in ed. a. 1596 desunt, quæ tamen in fine hujus cap. plures hujusmodi textus addit Tullii, Valerii, Benedicti.

[2] Edit. 1596 et ed. Q. habent: « penitus. »

[3] Melius ita noster cum ed. 1596, quam ed. Q.: « prætermittenda. »

*
* *

De modestia servanda in *incessu et habitu.*

INCESSUS tuus sit maturus; non leviter curras sine necessitate. Nec caput erectum geras sed depressum mediocriter. Nec vagus sis oculis. Nec brachiis ventiles more secularium, nec incomposito gradu incedas, sed plano et humili modo, quasi a devota oracione exieris.

In *sedendo.*

SEDENS non pigre in latus reclines te, nec crura longe extendas, maxime presentibus aliis, quia exterior incompositio corporis signum est indevote mentis.

In *ridendo.*

RISUS tuus modestus [1] sit et sine cachinno, benignitatem magis ostendens quam dissolutionem. Stude vultu esse serenus, non turbulentus vel indignabundus.

---

[1] Ed. Q. habet « rarus », ed. vero a. 1596 « moderatus et rarus. »

*
* *

In *loquendo.* De *cautela in verbis* servanda.

VERBA tua lenia sint et responsio humilis, sine punctione amaritudinis et oblique redargutionis vel irrisionis. Sic forma verba tua ad alterum, sicut non haberes pro malo ab altero. Sic loquere de absente, ac si scires eum prope te assistere et auscultare. Non timeat te quisquam quod in absentia ejus famam ejus denigres. Magnum vicium est in religioso aliquid loqui de absente, quod erubesceret loqui, si audiret. Non libenter audias detrahere alicui, sed fuge detractionem, aut oportune compesce, si potes; quia

nichil tibi prodest, nisi quod gravaberis super illum de quo est sermo, aut super eum qui refert sermonem. Quere ergo pocius aliquid laudabile quod edificet te et audientes; [1] hoc statim profer in medium et interrumpe detractionem, si potes bono modo. Rumores nescias, quia inquietant cor et mentem distrahunt, et devocionem exhauriunt et tempus sine fructu et utilitate consumunt. Eciam omnia que scis non statim effundas, quasi vas sine operculo, quod statim cum inclinatur, totum effundit quidquid continet in se, et omni pulveri et immundicie patet. Non sis libenter in turba nisi tractetur de Deo et de edificacione animæ. Non sis clamosus in loquendo, nec impetuosus ad evaporandum quod intus tenes conclusum, sicut Heliu Buzites. Sane [2] sicut nulli detrahis, ita ne prodas [3] detrahentem apud illum cui detrahitur, ne magis gravetur ex hoc contra detrahentem sibi, quam ex relacione tua muniatur [4]. Potest namque esse quod, qui dixit de altero verbum, non intendat derogare ei, sicut ille suspicatur de quo dixit, et incitatur contra eum ad odium vel ad vindictam provocatur, cum autem [5] simpliciter ille et non detrahenti [6] animo dixit, aut statim forte penituit, proponens de cetero a simili cavere. Si autem de aliquo dicerentur talia, que expedirent eum scire de quo dicuntur, potes ei referre, si vis, non exprimendo quis dixerit, ut sciat quid cavere debeat, et contra nullum odio exardescat.

---

[1] Phrasis quæ sequitur, sc. *hoc statim* etc. deest in utraque edit., a. 1596 et Q.

[2] Utraque editio ut supra hic legit *cave*,

[3] In mns. nostro, per errorem sane scriptoris, habetur *ite ne prodes*, nec legendum putamus *item*, cum deficiat signum abbreviationis.

[4] In mns. an legendum sit *muniatur*, an vero *minuatur* ut habet Q. dici nequit. Præferimus nos priorem lectionem. Ed. a. 1596 legit *mutetur*.

[5] Q. legit *tamen*, ed. 1596 utrumque melius omittit.

[6] Eædem editiones habent *detrahendi*, quod in idem recidit.

*
* *

De cavenda *jactantia*

JACTANTIAM diligentissime cave, et numquam des alicui intelligere de aliquo quod in te est commendabile. Nec velis ianiter gloriari [1], vix enim potest in te aliquid laudabile esse, quin eciam alii intelligant; eciam si tu taces et abscondis, plus placebis, si prodis et commendas, irrideberis et vilesces; et unde prius edificabantur, inde postea despicient te. [2] Et propter hoc non debes occultare bonum quod est in te, sed solum propter Deum. — Maledicta, convicia et mendacia eciam levia, et frivola juramenta et turpia verba, licent sint jocosa, ab ore religiosi perpetuo anathemate sunt arcenda. Unde Jacobus: « Qui putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. »

aliisque *linguæ excessibus.*

[1] Hæc, immerito, ut nobis videtur, omittit ed. Q., cum revera sequentia dilucide exponunt quomodo *inanis*, plane inutilis sit gloriatio.

[2] Pariter omittit eadem editio quæ hic sequuntur: « Et propter hoc etc. Quæ tamen convenienter adduntur, ne scil. gloriatio solum vitanda doceatur quia inanis et in despectum vergens gloriantis. Horum loco addit eadem editio, quæ hic et in ed. 1596 desunt: « Omnis quippe laus in ore proprio sordescit. » Quod quidem verum est, nihil vero novi addit jam dictis, et doctrinam potius mere humanam sapit, dum additum nostri codicis evangelicam refert.

*
* *

De vitandis *verbis otiosis,*

Verba ociosa, undecumque sint, semper fuge; quia licet grave peccatum non putetur esse, tamen eorum consuetudo grave spirituali profectui detrimentum. [1] Et sepe quasi dum licenter [2] relaxamus linguam in verba ociosa, quando non advertimus, paulatim dilabimur ad nociva; ex quibus oriuntur quandoque perturbaciones vel graves consciencie corrosiones. De Deo libenter loquere et libentius audi, quia incitat cor ad studium virtutum et ad affectum devocionis. Audi humiliter et pacifice bona que ab aliis dicuntur; non disputa econtra [3], ut quidam solent facere: quando audiunt aliquid boni, ne videantur ignorasse bonum, quod alter proposuit, statim et ipsi volunt de hoc disputare, ut videantur et ipsi aliquid de inde scire. Non enim querunt edificacionem sui, sed apud alios ostentacionem. Et ideo multe bone collaciones inter religiosos omittuntur. — Noli esse contenciosus in aliquo, cede [sito [4]] cito, quia si bonum est, quod alter proponit, tuum non est resistere, propter aliquam ostentacionem; si autem non esset bonum, melius corrigis eum pacifice advertendo, rei veritatem humiliter ostendendo, quam acriter arguendo. [5] — Cum loqueris, voce remissa, vultu placido, moribus disciplinatus esse studeas, et quietus. Tunc quidquid loqueris magis auctenticum erit et utile. Non sis audax coram senioribus tuis, sed verecundus auditor doctrine eorum. Senior est docens, juvenum autem est humiliter addiscere. — Noli ociosus sedere et intendere rumoribus et fabulis, quia duplex malum in hoc contrahis: quod perdis tempus inutiliter, et verecundie tue et humilitatis ex tali consuetudine pacieris detrimentum. Insuper dabis in hoc aliis non bonum exemplum.

et *contentione.*

De *modo* servando in loquendo.

Non intendas *fabulis.*

[1] Videtur omissum verbum: editio utraque, Q. et a. 1596, habet *general* detrimentum.

[2] Q. legit: « Et sæpe dum quasi *libenter* relaxamus linguam. » Similiter ed. a. 1596.

[3] Eædem cit. editiones hic legunt *contra*.

[4] Mendum scriptoris videtur obliti delere particulam *sito*.

[5] Melius quam Q. *astruendo* et quam ed. 1596 *corrigendo*.

NOTA. Velit lector attendere nos non omnia, quæ a nostro codice discrepant, hic notare, sed pauca tantum quæ magis attendi merentur. Cæterum, ut diximus supra, et ipse lector initio judicare potuit, dubium nobis non est nostrum codicem cæteris concinnitate tum rerum, tum verborum longe præstare. — Pariter jam non indicavimus discrimen in ordinandis capitulis, nec titulos capitulorum, qui in nostro mns. desunt, sed capitula, prout initiali littera majori indicantur, exscripsimus.

(Continuabitur).

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis

—

I

Demonstra auctorem Evangelii S. Joannis I, 14 et I ep. Joannis I, 1-3 se non ut testem spiritualem (1), verùm ut testem oculatum et corporalem vitæ Christi exhibere.

II

Quæritur utrum error admitti possit in Christo.

III

An et quandonam ad S. Communionem admitti possunt peccatores publici?

IV

Indica *objectum* præcepti de jejunio naturali ante S. Communionem servando, ac *quantitatem* ejusdem obligationis determina.

V

Expone præcipuas causas a lege jejunii naturalis excusantes.

VI

Quot et qualia lumina ardere debent in altari in expositionibus SS. Sacramenti?

---

(1) Quod HARNACK, *Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius*, I Leipzig 1897, p. 676 et LOISY, *Le Quatrième Evangile*, Paris, 1903, p. 131 contendunt.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii 1906 propositas.

—

I

Q. Dijudica hoc effatum A. Loisy (Le quatrième Évangile, Paris, 1903, p. 133): « Ignace, Papias, Polycarpe, Justin n'ont sans doute pas regardé le quatrième Évangile comme un écrit apostolique ». Proba responsum.

RESPONDETUR. Istud effatum erroneum est neque solidis argumentis fulcitur. In quantum enim ex operibus vel operum fragmentis S. Ignatii, Papiæ, S. Polycarpi et Justini superstitibus judicare licet, dicti scriptores omnes, juxta consensum totius antiquitatis unanimem (1), quartum evangelium S. Joanni apostolo tribuerunt. Quod statim infrà propter rei momentum fusius

PROBATUR. I. **S. Ignatius**, episcopus Antiochenus, certò Romæ, Trajano regnante (98-117) et probabiliter a. 107 martyrium passus est (2). Unanimis fere Auctorum sententia Joannis evangelium S. Ignatio innotuisse tenet (3), siquidem literaria epistolarum S. Ignatii (4)

---

(1) Si solos excipias Alogos qui ex præjudicio dogmatico, nempe ex anti-montanismo exagerato scripta joannea respuerunt, nempe e zelo immoderato atque imprudenti erga Montanistas, materiali millenarismo et Paracleti promissionibus abutentes et in hunc finem ad Joannis scripta provocantes. Nullo argumento e traditione desumpto nitebantur. Cf. Camerlynck, *De Quarti Evangelii Auctore*. Pars I, Lovanii 1899, p. 145 ss.

(2) P. Allard, *Histoire des Persécutions*, T. I, Paris 1885, p. 179; *Bulletin critique*, 1887, p. 124; Von Gebhardt et Harnack, *Geschichte der altchristlichen Litteratur*, Leipzig, 1893, p. 405.

(3) Ità Lipsius, Hilgenfeld, Lightfoot, Volkmar, Luthardt, Zahn, Resch, Godet, Funk, Corluy, Knabenbauer, Calmes etc. etc.

(4) Cf. Funk, *Opera Patrum Apostolicorum*, Tubingæ, 1897, p. 172 ss.

dependentia tùm ex idearum et doctrinæ connexione, tùm hinc inde ex ipsa verborum similitudine demonstretur (1). Cæteroquin Ignatium a IV Ev. pendere non negat Loisy, cùm potius id aperte fateatur. Verùm contra commorationem Ephesinam Joannis apostoli argumentum e silentio Ignatii de Joanne Apostolo in ep. ad Ephesios depromit; præterea ex eo quod Ignatius IV Ev. tacito auctoris nomine adhibeat, eum evangelium non habuisse ut certò apostolicum, consequi contendit (2).

1/ **Ad I^m** quod attinet, prænotandum est commorationem Joannis apostoli Ephesinam variis argumentis certò demonstrari (3). Argumentum a silentio nihil probat in casu, quia Ignatium de Joanne apostolo loqui *debuisse* non liquet. Cæterùm *Eph.* XI, 2 Ignatius talia habet quæ communi traditioni favent: « ut inveniar in sorte Ephesiorum christianorum, qui et *apostolis* semper consenserunt in virtute Jesu Christi » (4). Jamvero traditio nullum alium apostolum, excepto S. Paulo, nominat qui Ephesios evangelizaverit quam S. Joannem.

Objicit quidem Loisy Ignatium statim infrà XII, 2 Paulum apostolum nominare, de Joanne verò Apostolo tacere. Respondetur autem Ignatio peculiare adfuisse motivum cur Paulum, data occasione, nominaret in hoc contextu ubi mentio Joannis non erat exspectanda (5). Adjunctorum enim similitudo mentionem Pauli naturali modo insinuabat, quasi diceret Ignatius: « a vobis, Ephesii, per quorum civitatem

---

(1) Cf. *De Quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 63 ss.

(2) *o. c.*, p. 6 s.

(3) Eam testantur Apocalypsis, S. Justinus, S. Polycarpus, Smyrnensis, Melito Sardensis, Polycrates Ephesinus, Apollonius (scripsit probabiliter Ephesi), Claudius Apollinaris Hierapolitanus, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, S. Irenæus Lugdunensis etc. Cf. *De Quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 52 ss.

(4) Trad. Funk, *o. c.*, p. 183.

(5) « *Transitus estis eorum, qui ità interficiuntur, ut ad Deum veniant:* Pauli symmystæ, qui sanctificatus, martyrium consecutus et digne beatus est, ad cujus vestigia contingat mihi ut inveniar, quando Dei particeps fio, qui in omni epistola memor vestri est in Christo Jesu ». Funk, *l. c.*

transitus est ab Oriente Romam, roborantur ii qui ob Deum interficiuntur *e. g. Paulus* (Act. XX, 17 ss.) et nunc ego » (1).

Sunt, qui ut Harnack (2) opinantur scriptorum Joanneorum auctorem et celebrem episcopum Ephesinum fuisse Joannem *presbyterum*, ab apostolo homonymo haud dissociandum quidem, sed a posteriori traditione in apostolum præpostere commutatum (3). At verò, quidquid dicat Loisy (4), silentium Ignatii, si ex illo arguere liceret, eodem modo contra Ephesinam Joannis *presbyteri* commorationem testificaretur, cùm presbyter ille fuerit vir omnino primarius, immediatus Christi discipulus vel saltem auditor, supremus Asiæ episcopus et auctor scriptorum Joanneorum. Vir ille apostolicus simul cum S. Paulo ut ecclesiæ Ephesinæ fundator reputatus fuisset.

2/ **Ad II**m quod spectat, ex eo quod Loisy arguit e silentio Ignatii de auctore Evangelii cujus citat textus, putares forsan Ignatium ordinarie textus S. S. expressis auctorum nominibus adducere, eumque ubi de IV Ev. agitur ab hac regula recedere. Verùm, Patres Apostolici generatim, et S. Ignatius in specie, in familiaribus epistolis suis ordinarie non nominant auctores quorum testimonia afferunt. Unde ex hac citandi methodo nihil contra originem apostolicam IV Ev. concludere fas est.

II. **Papias** episcopus Hierapolis († 161-163) opus scripsit cui titulus Λογίων κυριακῶν ἐξηγήσεις *(Explanatio*

---

(1) Ut notat Funk, *o. c.*, p. 182: Nec tamen silentio prætereundum est, et Paulum et Ignatium Romam iter facientes non tam Ephesum quam eos vidisse, qui ab urbe missi erant.

(2) *Die Chronologie der Altchristlichen Litteratur*, I Leipzig, 1900, p. 677.

(3) Hanc sententiam confutatam videsis: *De Quarti Evangelii Auctore*, P. I. Substitutio personarum quam supponunt adversarii in tantas incidit difficultates ut impossibilis appareat. Imò existentia hujus Joannis presbyteri ab Apostolo distincti ità incerta est et testimonio historico nititur tam infirmo, ut plures eum nunquam exstitisse jure merito arbitrentur.

(4) *o. c.*, p. 7 « Pour tout autre personnage qu'un apôtre, cette omission ne ferait pas difficulté, vu que les Eglises d'Asie avaient connu quantité de personnages secondaires dont Ignace n'aurait pas songé à faire l'énumération ».

sermonum Domini), e quo pauca tantum fragmenta supersunt. *Quæritur:*

1/ Utrum IV Ev. in scriptis adhibuerit. Loisy dependentiam Papiæ literariam probabilem habet (1), eam improbabilem tenet Calmes (2). Immeritò, uti videtur, nam ex variis quæ colligi possunt indiciis, dicta dependentia admodum probabilis est, imò moraliter certa videtur (3). Indicia autem sunt sequentia:

a/ Apud S. Irenæum *Adv. Hær.* V, 36, 2 citatio occurrit ex opere Papiæ desumpta (4) et in qua textus ev. *Jo.* XIV, 2 velut dictum Domini exhibetur: Εἰρηκέναι τὸν Κύριον, ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου μονὰς εἶναι πολλάς.

b/ Teste Eusebio (5) Papias I ep. Jo. adhibuit: inde autem concludere licet Papiam pariter IV Ev. cognovisse, cùm utriusque scripti certò certius idem sit auctor, imo I Jo. velut epistola ad IV Ev. præfatoria a multis habeatur (6). Neque ex eo quod Eusebius de usu IV Ev. apud Papiam sileat contra hunc usum arguere

---

(1) *o. c.*, p. 12 s. « Certains dires des presbytres, sur l'âge du Christ et les degrés de la gloire céleste, rapportés par Irénée (*Adv. Hær.* II, 22, 5) et qu'on peut croire empruntés par lui à l'ouvrage de Papias, rendent vraisemblable la dépendance de celui-ci à l'égard du quatrième Evangile ».

(2) *L'Evangile selon Saint Jean,* Paris 1904, p. 26: « Sans prétendre résoudre la question avec certitude, on peut assurer que les renseignements dont on dispose jusqu'ici laissent supposer que l'évêque d'Hiérapolis n'a pas fait usage du IVe Evangile ».

(3) Cf. *De Quarti Evangelii auctore,* P. I, p. 41 s.; ZAHN, *Einleitung in das N. T.* Leipzig 1900, T. II, p. 449; GUTJAHR, *Die Glaubwürdigkeit des Irenäischen Zeugnisses über die Abfassung des vierten kanonischen Evangeliums,* Graz, 1904, p. 166 ss: Diese « Frage, muss in Bezug auf Papias mit voller Sicherheit bejaht werden ».

(4) Itá LIGHTFOOT, *Contemporary Review,* Oct. 1875; ZAHN, *Forschungen zur Geschichte des neutestastamentlichen Kanons,* T. VI, p. 105, et *o. c.*, p. 449; HARNACK, *o. c.*, p. 336 s. n. et p. 658; *De quarti Evangelii auctore, l. c.*, et p. 109 ss., GUTJAHR, *l. c.*

(5) *Hist. Eccl.* III, 39, 17.

(6) Cf HOLTZMANN, *Einleitung in das N. T.* Freiburg i. B. 1897, p. 479; CORNELY, *Introductio* in U. T. libros sacros, V. III Parisiis 1886, p. 664 n. 14; TRENKLE, *Einleitung in das N. T.* Freiburg i. B., 1897, p. 239; CAMERLYNCK. *De Quarti Evangelii auctore,* P. II, Brugis 1900, p. 289.

licet (1), cùm Eusebius *omnia* antiqua testimonia solùm in favorem librorum deuterocanonicorum (ad quos sane IV Ev. non pertinet) allegare intenderit (2).

c/ Ordo juxta quem apostoli Andreas, Petrus, Philippus in fragmento Papiano (3) enumerantur, quique in nullo catalogo reperitur, naturali modo cognitione explicatur quam Papias de IV Ev. habuerit (*Jo.* I, 40-44), nisi ordo iste ab omnibus catalogis Apostolorum discrepans, casu exortus dicatur.

d/ Designatio Christi ut ipsa veritas (αὐτὴ ἡ ἀλήθεια) quæ in eodem fragmento Papiano reperitur et specifice Joannea apparet (*Jo.* XIV, 6, coll. III *Jo.* 12) (4).

e/ Juxta prologum manuscripti Vaticani (cod. Alex. 14) s. IX, Papias explicite de origine IV Ev. locutus fuerit: « Incipit argumentum secundum Joannem. Evangelium Johannis manifestatum et datum est ecclesiis ab Johanne adhuc in corpore constituto, sicut Papias nomine Hierapolitanus, discipulus Johannis carus, in exotericis (= in exegeticis) id est in extremis quinque libris retulit ». Hanc notitiam plures magni nominis viri critici ut historicam tenent (5).

2/ Utrum Papias IV Ev. a Joanne *apostolo* scriptum esse putaverit? Affirmative respondendum. Papias enim auctorem IV Ev. illum habuerit Joannem Ephesinum, quem universa antiqua traditio (6), apostolum fuisse asseruit. Sane, si Joanni ab apostolo diverso IV Ev. tribuisset, Eusebius id absque dubio notasset. Præterea S. Irenæus (natus c. a. 130) Papiam, cujus opus perlegit et pluries citavit, *apostoli* Joannis discipulum

---

(1) uti Loysy, *o. c.*, p. 12, et Calmes, *o. c.*, p. 24 s.

(2) *De quarti evangelii auctore*, P. I, p. 88 ss.

(3) Eus. H. E. III, 39. Cf. Funk, *o. c.*, T. II (1901) p. 280 ss; Gutjahr, *o. c.*, p. 167 s.

(4) Utrùm Papias præterea Jo. XIX, 38 interpretatus sit, v. apud Zahn, *Einleitung in das N. T.* II, p. 457 s., Coll. Calmes, *o. c.*, p. 25 s.

(5) Zahn, Belser, Funk, Horn, Haussleiter, Gutjahr etc.

(6) haud exceptis Alogis S. Epiph. *Haer. LI*, 4.

vocat. Eusebius (c. 326), qui Papiæ exegeses pariter legit, Irenæo quidem contradicit, Papiam Joannis *presbyteri* (ab apostolo distincti) auditorem appellat. Verùm Irenæo adstipulandum esse censemus, cùm ævo apostolico fuerit propinquior (1), et cùm ex alia parte Eusebius, præjudicio dogmatico ductus, in Papiæ proœmio duos Joannes, apostolum et presbyterum, distingui erronee autumaverit (2).

III. **S. Polycarpus**, episcopus Smyrnensis (69-155), magister S. Irenæi, plures scripsit epistolas (3), quarum una tantùm, ad Philippenses missa, ad nos usque pervenit. Quomodo Polycarpus evangelium quod ineunte S. II amicus ejus S. Ignatius (4) jam meditatus erat, ignorare medio s. II potuit, attento maxime frequenti commercio quod inter Polycarpum et vicinam ecclesiam Ephesinam intercesserit? Neque e silentio Polycarpi de IV Ev. ejusque auctore arguere licet: oporteret insuper probare eumdem scriptorem *certe* existentiam et originem IV Ev. testaturum fuisse, si utrumque factum non ignorasset; a. v. demonstrandum foret Polycarpum in hac unica ep. ad Phil., IV Ev. expresso auctoris nomine, citare *debuisse* (5). Cæteroquin Polycarpus I Jo. certo novit et adhibuit (6), unde v. suprà II, 1/ b/.

Utrum Polycarpus Joannem, scriptorum Joanneorum

---

(1) Cf. resp. I mensis seq.

(2) Cf. *Revue d'hist., ecclés.*, T. I, p. 426 s.; *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 72-144; Van Hoonacker, *Revue Biblique*, 1900, p. 246; Nouvelle, *L'authenticité du quatrième Evangile et la thèse de M. Loisy*, Paris, 1905, p. 27 ss. Eusebius sibi ipsi contradicit, a naturali et obvio verborum proœmii sensu recedere videtur et a contextu reprobatur. Hypothesis de duplici Joanne nullo serio fundamento historico nititur.

(3) S. Iren. *Ep. ad Flor.* apud Eus. *H. E.* V, 20. Cf. Resp. I mensis seq.

(4) *Ep. ad Polyc.* VIII, 1.

(5) Allusiones ad IV Ev. et similes locutiones in ep. ad Philip. non penitus tamen deficiunt. Cf. Funk, *o. c.*, Index; Gutjahr, *o. c.*, p. 169 s. *Martyrium Polycarpi* (Funk, *o. c.*, p. 283 ss. et Index) IV Ev. Smyrnæ cognitum supponit.

(6) *Phil.* VII, 1 = *I Jo.* IV, 2-3.

auctorem *apostolum* fuisse duxerit, minime dubium est, quod immerito negat Loisy. Etenim S. Irenæus, (cui consentit Eusebius) ipse discipulus Polycarpi, hunc magistrum suum Joannis *apostoli* auditorem Ephesi fuisse, fidenter asserit. Valor ejus testimonii in tota hac quæstione, expendetur in Resp. I mensis seq.

IV. **S. Justinus** circa a. 130-135 Ephesi ad fidem conversus, absque ullo dubio IV Ev. cognovit et in scriptis suis sæpius adhibuit (1). Sed controvertitur utrum Joanni apostolo auctori illud tribuerit. Loisy autumat apud Justinum nihil reperiri posse circa originem auctoritatemque IV Ev. (2). Verùm Justinus IV Ev. certe ut Scripturam canonicam eodem titulo ac Synopticos allegat, illudque inter *commentaria* (ἀπομνημονεύματα) *apostolorum* recenset (3). Eum præterea illud Joanni *apostolo* tribuisse e pluribus indiciis colligere licet. Etenim a/ plures apostolos evangelium scripsisse pluresque eorum discipulos testatur (4): in antiquitate autem solum apostoli Matthæus et Joannes tanquam scriptores evangelii canonici prædicantur (5). b/ Certò probatur et hodiedum fere omnes consentiunt IV Ev. et Apocalypsim esse ejusdem auctoris (6). Jamvero S. Justinus Apocalypsim Joanni *apostolo* expressis

---

(1) Quod ipse Loisy aperte fatetur, *o. c.*, p. 14 s. Cf. *De quarti Evangelii auctore*, p. 36 ss.

(2) *o. c.* p. 15 « Il ne nous apprend donc rien de plus qu'Ignace touchant l'origine et l'autorité de l'Evangile johannique ».

(3) *Dial. cum Tryph.* n. 100, 105.

(4) *Dial. cum Tryph.* n. 103 coll. *Apol.* I, 66.

(5) Neque argumenti vis e facto infirmatur quod Justinus evangelium Petri apocryphum citavit (si tamen ad illud, non verò ad Marci evangelium provocavit). Hanc enim difficultatem ipse Loisy (*Histoire du Canon du N. T.* p. 49) præoccupaverat: « Si l'on examine dans le détail les œuvres de Saint Justin, on trouve qu'il s'est servi de nos quatre Evangiles, et que, s'il a puisé dans tel ou tel cas à des sources apocryphes, il n'en cite aucune sous le titre de mémoires des Apôtres, titre qui équivaut pour lui à celui d'Evangiles ecclésiastiques ». Petri autem evangelium inter ἀπομνημονεύματα connumerari nemo probavit.

(6) *De quarti Evangelii auctore*, P. I, p. 17 ss.

verbis tribuit (1). c' Quod a posteriori ostenditur, a priori probabile apparet: quæ de Joanne Ephesino ejusque scriptis Justinus cognovit ea Ephesi didicerit; quonam jure ergo a traditione ephesina et asiatica de origine apostolica IV Ev. dissentire perhibetur?

A. Camerlynck.

II

Q. *Explica hoc assertum: Passio Christi causavit salutem nostram per modum* satisfactionis, *per modum* meriti, *per modum* sacrificii, *per modum* redemptionis.

R. Quum per peccatum primi hominis omnes homines peccatores constituti fuerint et condemnati coram Deo, Christus, *patiendo* ac *moriendo* pro illis, salvavit illos ex hoc statu et gratiam tribuit, qua jam nihil est damnationis in justificatis, et qua constituuntur Dei filii adoptivi, cohæredes Christi.

Hanc salvificam virtutem Christi passioni seu effusioni sanguinis et morti explicite tribuit Apostolus docendo: « Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis *mortuus* est: multo igitur magis nunc justificati *in sanguine* ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum » (2).

Ulterius nunc inquirimus qua *causalitatis ratione* Christus patiendo et moriendo salutem nostram operatus sit: porro quatuor causalitatis rationes, formaliter ab invicem distinctas hic breviter exponemus. Supponimus autem Christum scienter ac libere acceptavisse dolores ac mortem et intendisse operis finem qui vel ex sola rei natura vel ex Patris ordinatione passioni ac morti ejus præstituebatur.

---

(1) *Dial. cum Tryph.* 81: « Vir apud nos nomine Joannes, unus ex Christi apostolis, in revelatione ipsi facta, mille annos Jerosolymis traducturos prædixit eos, qui Christo nostro crediderint ».

(2) Rom. V, 8-9.

1. Passio Christi salutem operata est per modum *satisfactionis*.

Satisfactio est injuriæ illatæ compensatio. « Et satisfactionis quidem generaliter considerata *directus effectus* est oblatio reitatis, nondum gratiæ elargitio. Unde passio Christi in quantum causans per modum satisfactionis, valuit directe ad remotionem offensæ quam homines peccando incurrunt, indirecte vero, id est ut removens prohibens, ad restitutionem gratiæ per quam in præsenti ordine peccatorum remissio ultimo perficitur » (1).

Remanet ut demonstretur Christum patiendo et mortem accipiendo revera *satisfecisse*.

Hoc constat ex S. Scriptura. « Vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit et non aperuit os suum » (2). Non requiritur ut integram hujus loci exponamus interpretationem (3); ibi certe docetur Messiam, (qui, uti aliunde scimus, est Christus) fuisse victimam in qua posuit Dominus iniquitatem omnium nostrum et quæ voluntarie se ad patiendum obtulit (4) ut auferret a nobis statum damnationis in qua versabamur propter peccata nostra. Ergo Christus quatenus voluntarie se ipsum substituit nobis, et seipsum ut hostiam pro peccato (v. 10) obtulit, compensavit læsionem honoris Deo

---

(1) Billot, *De Verbo Incarnato*, 3ª edit. Romæ, 1900, p. 450; cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 27 et suprà, p. 84.

(2) *Isaias*, LIII, 4-7.

(3) Cf. Knabenbauer, *Commentarius in Isaiam*, Parisiis, 1887, T. II, p. 300-307.

(4) De significatione vocabuli *oblatus est*, cf. Knabenbauer, o. c. p. 306.

illatam per peccata nostra et sic Deo *satisfecit,* satisfactione scilicet *vicaria.*

Deinde omnia S. Scripturæ testimonia, in quibus exhibetur mors Christi ut *sacrificium pro peccatis,* formaliter implicite docent mortem Christi fuisse *satisfactoriam:* non enim Deo offertur sacrificium pro peccato quin primario intendatur compensatio præstanda pro læsione honoris illata Deo per peccatum.

2. Passio Christi operata est salutem per modum *meriti.*

Meritum, in concreto, seu actus meritorius est opus compensandum aliqua retributione seu mercede. « Meritum et merces ad idem referuntur. Id enim merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis vel laboris, quasi quoddam pretium ejus » (1). Inde meritum tamquam directum effectum habet elargitionem boni. In tantum mors Christi est meritoria nostræ salutis in quantum Deus intuitu illius actus patiendi concessit hominibus gratiam et vitam æternam, quæ tamen singulis applicari debent.

Ut perspiciamus diversam causalitatis rationem et in actu satisfactorio et in actu meritorio, uti possumus sequenti exemplo: rex tribuit alicui magnum bonum. Ille autem regi magnam infert injuriam ob quam rex valde iratus aufert a reo bonum illud. Postea, qui offenderat obsequium præstat regi in compensationem illatæ injuriæ ita ut rex placatus condonet offensam. En satisfactio: sed non ideo meretur homo ut restituatur ipsi bonum amissum. Rex vero illi committit officium, promittitque se redditurum bonum illi si rite functus fuerit munere: ille adimplet munus et sic meretur boni elargitionem. Potest autem fieri ut idem numero actus sit simul satisfactorius pro offensa et meritorius boni amissi propter offensam.

Constat Christum nobis meruisse gratiam et salutem.

---

(1) S. Thomas, I-II^{ae}, Q. CXIV, a. 1.

Docet enim Apostolus homines non posse justificari coram Deo operibus suis, sed justificari gratis h. e. dono gratuito, scilicet gratia Dei per redemptionem quæ est in Christo Jesu (1): igitur concessio gratiæ est omnino independens a meritis hominum, sed attribuitur ipsi redemptioni factæ a Christo: si autem actus Christi hominis est causa elargitionis gratiæ, requiritur ut intuitu illius actus Deus restituerit gratiam, consequenter ut ille actus fuerit meritorius gratiæ. S. Petrus docet sanguinem Christi fuisse illud bonum propter cujus valorem redempti sumus (2): ergo effusio sanguinis a Christo peracta fuit causa meritoria nostræ salutis.

Tandem Paulus docet: « Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita et per unius obeditionem justi constituentur multi » (3). Sicut Adam inobediendo fuit causa amissionis gratiæ, ita Christus obediendo fuit causa restitutionis gratiæ: ergo actus obedientiæ Christi, maxime in passione et morte obeunda, fuit meritoria nostræ salutis.

3. Passio Christi salutem operata est per modum *sacrificii*.

Sacrificium est « actus supremus cultus, ad agnoscendum absolutum dominium Dei in nos, legitime institutus, consistens in oblatione vitæ humanæ vel rei vitam repræsentantis, a sacerdote facta, per realem vel æquivalentem rei oblatæ destructionem » (4).

Christi mors constat ex Evangelio, et hanc mortem fuisse verum sacrificium constat ex hoc quod Christus

---

(1) « Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo ... Justificati gratis per gratiam ipsius (τῇ αὐτοῦ χάριτι), per redemptionem (διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως), quæ est in Christo Jesu » Rom. III, 20, 24.

(2) « Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi » I Petr. I, 18-19.

(3) Rom. V, 19.

(4) *Collat. Brug.*, T. IV, p. 327.

acceperat a Deo, Patre suo, munus moriendi (1), et moriendi *in remissionem peccatorum*. Victimæ destructio in remissionem peccatorum Deo oblata indicat verum sacrificium. Jamvero Christus in ultima cœna, e per mysticam sui mactationem sese offert Deo in remissionem peccatorum (2): inde dubium esse nequit eadem egisse intentione Christum quando in cruce mortuus est.

In epistola ad Hebræos explicite docetur mortem Christi fuisse verum sacrificium. Christus enim est constitutus sacerdos in æternum et perfectissimum obtulit sacrificium in effundendo suo proprio sanguine in peccatorum remissionem. Christus cum jurejurando constitutus est sacerdos per eum qui dixit illi : « Juravit dominus et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum » (3).

« Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus... qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi : *hoc* enim *fecit semel, se ipsum offerendo* » (4). « Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum.... *per proprium sanguinem* introivit semel in sancta » (5). « Christus semel oblatus est *ad* multorum *exhaurienda peccata* (6).

4. Passio Christi operata est salutem nostram per modum *redemptionis*.

---

(1) « Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eum. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi a Patre » Jo. X, 17-18.

(2) Cf. LAHOUSSE, *De Eucharistiæ mysterio*, Brugis, 1889. p. 284; VAN CROMBRUGGHE, *De Soteriologiæ christianæ primis fontibus*, Lovanii, 1905, p. 192.

(3) Hebr. VII, 20-22.

(4) Ibid. 26-27.

(5) Ibid. IX, 11-12.

(6) Ibid. 28; cf. MICHIELS, *De ratione qua Passio Christi saluti hominibus sit*, Mechliniæ, 1905, p. 12.

Redemptio est restitutio alicujus ex statu servitutis in statum libertatis amissæ facta per oblationem alicujus pretii.

Hæc efficacia explicite in S. Scriptura tribuitur morti Christi, « Filius hominis non venit ut ministraretur ei; sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis (1). « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus » (2).

Facile intelligitur e qua servitute liberaverit nos Christus sanguine suo: est enim a servitute diaboli, contracta per peccatum, ut docetur pluries in S. Scriptura: dicebat Jesus Paulo: « Ego sum Jesus quem tu persequeris. Sed exsurge et sta super pedes tuos: ad hoc enim apparui tibi, ut constituam te ministrum et testem eorum quæ vidisti... eripiens te de populo et Gentibus in quas nunc ego mitto te, aperire (h. e. ut aperias) oculos eorum, ut convertantur a tenebris ad lucem et *de potestate Satanæ* ad Deum » (3). « Nunc judicium est mundi: nunc *princeps hujus mundi* ejicietur foras » (4). « Qui (Jesus) eripuit nos de *potestate tenebrarum* et transtulit in Regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum » (5).

J. Van der Meersch.

---

(1) Marc. X, 45.
(2) I Tim. II, 5-6.
(3) Act. XXVI, 15-18.
(4) Jo. XII, 31.
(5) Coloss. I, 14.

III

Expone assertum: Vi verborum *Christus est præsens in SS. Eucharistia quoad solam substantiam corporis sub specie panis, et quoad solam substantiam sanguinis sub specie vini;* vi *autem* realis connexionis et concomitantiæ *præsens est Christus totus ac integer sub utraque specie, cum corpore et sanguine, anima et divinitate.*

Respondetur.

1°/ **Vi verborum** præsens est Christus quoad solam substantiam corporis... = Id quod *directe et per se* significant verba formæ, adeoque *directe ac per se* operantur sacramentaliter, est præsentia solius substantiæ corporis (et item pro sanguine) præcisive a sanguine, anima et divinitate, necnon ab accidentibus.

Nimirum, uti notavimus apud *Collat. Brug.*, T. IV, p. 152, veritas propositionis: « hoc est corpus meum » postulat ut, in fine ejusdem, præsens sistatur id quod significatur in prædicato. Prædicatum autem *corpus* Christi significat corpus præcisive a Christi sanguine, quippe qui contradistinguitur ab eo et seorsim redditur præsens; præcisive ab anima, quæ quidem corpus informat, sed ab illo violenter separata fuit in morte Salvatoris; præcisive etiam a divinitate hypostatice unita corpori; adeo ut significetur sola materia cum forma corporeitatis.

Quinimo directe significatur sola *substantia* corporis, præcisione facta a quantitate et dimensionibus, tum quia corpus est nomen substantivum adeoque directe substantiam designat, tum quia, in conversione, terminus formalis *ad quem* correspondere debet termino formali *a quo,* qui terminus formalis *a quo* est substantia panis absque accidentibus suis, utpote quæ remanent post conversionem (1). Et ita tota formula valet:

---

(1) « Cum nihil convertatur in corpus Christi de pane nisi substantia panis, quia accidentia manent, constat quod conversio illa terminatur directe ad substantiam, non autem ad accidentia ». *S. Thomas, In IV Sent.*, Dist. X, qu. I, art. 2, qu. 3ia.

substantia, quæ sub hisce accidentibus continetur, est substantia corporis mei.

Sola igitur *substantia corporis* Christi *directe et per se* significatur et efficitur præsens *vi sacramenti,* seu vi sacramentalis formæ, adeo ut, si seorsim exstaret dicta substantia, sola adesset sub specie panis, utque, si quid aliud adest, id non adsit nisi per accidens et concomitanter, propter realem conjunctionem cum prædicta substantia.

2°/ **Vi connexionis et concomitantiæ** præsens est totus ac integer Christus. Nimirum, licet per se et directe, seu attenta vi verborum sacramentaliter operantium, sola substantia corporis Christi præsens sistitur sub speciebus panis, attamen *per accidens, indirecte et e consequenti* præsens redditur totus et integer Christus, cum omnibus quæ ad Christi perfectionem pertinent, cum anima nempe et sanguine ac divinitate, necnon cum accidentibus corpori intrinsecis et signanter cum quantitate dimensiva.

Dicitur: *per accidens, indirecte et e consequenti:* quia si integer Christus est præsens, id non est quia ad eum directe terminatur conversio, ad solam corporis substantiam terminata directe, sed quia ubicumque adest substantia corporis ibi totus Christus adsit oportet, propter realem connexionem quæ intercedit inter substantiam corporis dominici et reliqua ad Christi perfectionem spectantia. « Si enim, uti ratiocinatur S. Thomas (1), aliqua duo sunt realiter conjuncta, ubicumque est unum realiter, oportet et aliud esse »; aliis verbis substantia panis convertitur in Christi corporis substantiam, *qualis momento consecrationis reipsa existit:* existit autem realiter conjuncta cum accidentibus, sanguine, anima et divinitate; imo, cum Christus Dominus impassibilis sit ac immortalis, semper manebit substantia corporis ejus cum illis conjuncta, et sic, quandocum-

(1) P. III, qu. 76, art. 1°.

que panis consecratur et usque ad consummationem sæculi consecrabitur, corpus Christi est et semper erit in sua perfectione constitutum, cum accidentibus, sanguine, anima et divinitate (1): substantiæ nempe corporis uniuntur accidentia intrinseca, sanguis et anima *naturali* connexione, divinitas vero per « admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem » (2).

Quam formulam theologicâm hisce paucis adumbratam dilucidis ac egregiis verbis interpretatur CATECH. CONC. TRID., *De Eucharistiæ sacramento,* n. 34, ubi animadvertendum monet non omnia eadem ratione aut virtute in hoc sacramento contineri: « Quædam enim sunt, ait, quæ ex vi et efficientia consecrationis esse dicimus: nam cum verba illa efficiant quidquid significant, id esse in sacramento ex vi sacramenti, divinarum rerum scriptores appellarunt quod verborum forma exprimitur: ita si contingeret ut aliquid ab aliis rebus omnino sejunctum esset, id solum quod forma significaret, in sacramento esse, cetera non item esse docuerunt. Quædam vero in sacramento continentur, quod illis rebus conjuncta sint, quæ forma exprimuntur. Nam cum forma, quæ ad panem consecrandum adhibetur, corpus Domini significet cum dicitur *hoc est corpus meum,* ipsum Christi Domini corpus ex vi sacramenti in eucharistia erit. At quia corpori sanguis, anima et divinitas conjungitur, hæc quoque in sacramento erunt

(1) Aliud fuisset si triduo mortis sacramentum fuisset celebratum: tunc, sub speciebus panis, præsens fuisset corpus Christi exsangue et ab anima separatum, conjunctum tamen cum divinitate, quippe quam assumptam corpus nunquam deposuit. Cf. S. THOMAS, P. III, qu. 76, art. 1°, ad 1m, et art. 2, coll. *Summa contra gentiles,* l. IV, cap. 64. Contrà in ultima *Cæna* totus Christus, cum anima, divinitate, corpore et sanguine præsens sistebatur sub utraque specie; licet namque, uti novimus quemdam objecisse, Christus tunc erat passibilis adeoque separari poterat corpus ab anima et a sanguine, ipso tamen illo momento reapse conjunctum erat corpus cum anima et sanguine: quod sufficit, juxta dicta.

(2) *Conc. Trident.*, Sess. XIII, c. 3.

omnia, non quidem ex consecrationis virtute, sed ut ea quæ corpori conjuncta sunt. Atque hæc ex concomitantia in sacramento esse dicuntur; qua ratione totum Christum in sacramento esse perspicuum est. Si enim aliqua duo inter se reipsa conjungantur, ubi unum sit, ibi alterum etiam esse necesse est ».

NOTA. Christum Dominum diximus esse in Eucharistia præsentem, licet concomitanter dumtaxat, totum et integrum, etiam cum accidentibus corpori intrinsecis, adeoque etiam cum quantitate dimensiva, præcipuum locum obtinente inter accidentia corporis (1): substantia namque corporis Christi realiter non dividitur a sua quantitate dimensiva, uti docet S. THOMAS, P. III, qu. 76, art. 4°. Cæterum corpus Christi, suis dimensionibus privatum, non esset corpus Christi totum et integrum, sed corpus Christi imminutum et truncatum. Quomodo autem non repugnet Christum in Sacramento esse præsentem cum corpore dimenso, ostendetur infrà.

IV

Q. *Explica duplicem modum adessendi in loco: dimensivum et indimensivum.*

Respondetur.

Christus Dominus, licet per se præsens sit in sacramento quoad solam substantiam corporis, ibidem tamen adest, uti modò notavimus, totus et integer, cum divinitate, anima et corpore, imo cum propriis dimensionibus corporalibus. Et inde præcise movetur difficultas, quomodo Christi sacratissimum corpus, cum actuali quantitate, cum statura et organismo perfecto, adsit sub minima particula hostiæ, ac adsit in cœlo et simul in altari idque per innumera loca.

---

(1) « Quantitas et alia accidentia propria corporis non sunt ibi ex vi sacramenti; sunt tamen ibi secundum rei veritatem ex naturali concomitantia accidentis ad subjectum ». S. THOMAS, *In IV Sent.*, Dist. X, qu. I, art. 2, qu. 3.

Ad quam difficultatem removendam ostendemus Christum esse præsentem modo indimensivo, ac illa ratione omnem apparentem contradictionem vitari: prævie tamen præmittenda est notio utriusque modi adessendi in loco, dimensivi scilicet et indimensivi.

Modus adessendi **dimensivus**, seu circumscriptivus, seu localis consistit in hoc quod aliquid per proprias dimensiones applicetur ad locum, seu quod contactu dimensionum suarum circumscribatur cotangentibus dimensionibus corporum ambientium, ita ut ipsis mensuretur et quasi carcere concludatur, utque totum correspondeat toti et singulæ partes correspondeant singulis partibus.

Contrà modus adessendi **indimensivus** est in hoc quod aliquid sit alicubi præsens totum in toto et totum in qualibet parte.

Alter modus præsentiæ *proprius est substantiæ,* ut talis, et ideo vocatur *per modum substantiæ; prior* autem *proprius est quantitatis* seu substantiæ quantæ, qua talis, et dicitur *per modum quantitatis*. Porro quantitas est accidens intrinsecum quo substantia corporea actu consequitur partes integrales extra partes ab invicem positione distinctas: substantia nempe corporea habet partes essentiales, materia et forma constantes, et simul potentiam et exigentiam ad hoc ut habeat partes integrales extra partes; sed illas actu non consequitur nisi per quantitatem dimensivam.

Substantia igitur incorporea, absque quantitate existens, uti anima humana, est in loco uti tota in toto et tota in qualibet parte; imo ipsa substantia corporea, præcisive spectata ab accidentibus suis, *relate* scilicet *ad proprias suas dimensiones,* præsens est sub illis per modum substantiæ, et sic substantia ferri, aeris, panis tota est in tota massa continua ferri, aeris et panis, ac tota in singulis partibus.

Substantia vero actuali quantitate munita, *relate ad extrinseca corpora ambientia,* potest esse ad illa præsens

vel secundum modum præsentiæ proprium substantiæ vel secundum modum proprium quantitatis, prouti per se præsens est ad illa corpora ambientia ratione substantiæ vel ratione quantitatis: uniuscujusque enim rei præsentia determinatur secundum id secundum quod adest per se.

Cum autem corpora in naturalibus comparentur ad locum extrinsecum ratione quantitatis, sic substantiæ corporales dimensæ naturaliter præsentes sistuntur in loco extrinseco modo dimensivo; et inde est quod substantia corporea quanta, quatenus substantia est, in comparatione scilicet ad accidentia propria, sub eis continetur modo indimensivo; quatenus autem quanta est, relate nempe ad corpora ambientia extrinseca, ad quæ comparatur per se ratione quantitatis suæ, naturaliter præsens est modo dimensivo.

Quodsi supponatur extranaturaliter contingere quod substantia corporea quanta sit præsens in aliquo loco extrinseco per se ratione substantiæ, sponte sequetur modum adessendi proprium substantiæ, eritque tota in toto et tota in singulis partibus, tum secundum substantiam, tum secundum quantitatem.

Unde vides corpus aliquod posse concipi *actu quantum,* seu *actu dimensum,* quin præsens sit *modo dimensivo,* quamvis, in naturalibus, ubicumque datur corpus actu quantum, adsit etiam modo dimensivo: potest nempe substantia per actualem quantitatem habere partes extra partes positione distinctas *in ordine ad se,* quin tamen secundum illam distinctam positionem comparetur ad corpora ambientia; uti infrà latius de præsentia Christi in SS. Eucharistia. Apparet etiam quod qui denegat alicui corpori præsentiam dimensivam nihil auferat ab eo intrinseci, sed meram habitudinem ad corpora extrinseca (1).

Ulterius nunc *inquirendo* circa indolem utriusque

(1) S. Thomas, P. III, qu. LXXVI, art. 5, ad 3m.

adessendi modi ad invicem, sedulò notatum volumus præsentiam indimensivam non ita esse concipiendam, quasi *contrarie* sese haberet ad præsentiam dimensivam, ac adeo poneretur *in eodem genere* ac illa ; sed talis est quæ *in alio plane genere* ponatur, *abstrahendo* ab omni relatione et contactu quantitativo cum loco et corporibus ambientibus (1), adeo ut ratione sui non contingat directe locum sed tantùm *ratione operationis* (2), vel *ratione alienarum dimensionum* (3).

Porro quod præsentia indimensiva, propria substantiæ secundum se, in alio genere sit posita ac præsentia dimensiva, id fundatur in ipsa reali distinctione quæ intercedit inter substantiam et accidens, ac proinde inter substantiam et quantitatem, inter accidentia præcipuum tenentem locum.

Revera modus adessendi sequitur modum essendi rei, ita ut præsentia propria substantiæ *ratione sui* se habeat ad præsentiam propriam corporis quanti qua talis, sicut ipsum esse substantiæ ratione sui spectatæ se habet ad esse corporis quanti qua talis. Atqui modus essendi

---

(1) Nimirum non desunt Auctores ita concipientes præsentiam substantiæ, totius sub toto et totius sub singulis partibus, quasi adesset ad modum puncti indivisibilis situm habentis in spatio, ac replentis aliquam portionem spatii, utique non per contactum dimensionum quæ corporum ambientium dimensionibus circumscribantur, sed per sui diffusionem: qua ratione differrent præsentia dimensiva et indimensiva tanquam species sibi invicem contrarie se habentes sub eodem genere, ita ut in utraque foret aliquid præsens per modum situm habentis in spatio hujusque vacuitatem replentis, in una præsentia, per dimensiones suas, loci terminis circumscriptas, in altera, per suiipsius diffusionem.

(2) Ita angelus non est aliter præsens loco quam illi virtutem suam applicando: « Per applicationem virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur angelus esse in loco corporeo. Et secundum hoc patet quod non oportet dicere quod angelus commensuretur loco, vel quod habeat situm in continuo ». S. Thomas, P. I, qu. LII, art. 1°; cf. *Collat. Brug.*, T. IX, p. 318 ss.

(3) Hoc modo videbimus Christum eucharisticum esse præsentem loco mediantibus alienis dimensionibus panis et vini, transsubstantiati in ipsum, quatenus illæ dimensiones ipsæ sunt in loco localiter, et continent Christum per modum substantiæ sub eis præsentem.

substantiæ ratione sui spectatæ in alio ordine sistitur ac modus essendi substantæ quantæ qua talis. Ergo.

« Et requidemvera, uti arguit BILLOT, *De Ecclesiæ Sacramentis,* I, p. 413, si substantia realiter distinguitur a forma qua fit quanta et divisibilis, necesse profecto est ut propria ejus indivisibilitas non sit indivisibilitas privationis et imperfectionis de ipso genere extensi, cujusmodi est indivisibilitas puncti, nam alias nunquam fieri posset quanta, sicut punctum nunquam fieri potest linea. Sed cogitanda est indivisibilitas conveniens substantiæ ratione sui, velut transcendens totum genus quantitatis et continui ».

Nota. Esse in loco *definitivè* dicit præsentiam *restrictam ad unum determinatum locum,* ita ut dum est aliquid præsens in uno loco non possit esse in alio, et potest applicari tam præsentiæ dimensivæ seu circumscriptivæ quam præsentiæ indimensivæ; sed quia circumscriptiva præsentia necessario est restricta ad unum locum, ideo dicitur definitiva præsentia de sola præsentia non dimensiva. Hæc autem præsentia indimensiva potest esse definitiva et non definitiva, et ita de angelo dicit S. Thomas: « Angelus (est in loco) non circumscriptive,... sed definitive, quia ita est in loco (per contactum virtutis) quod non est in alio » (1); de Christo autem in Eucharistia: « corpus Christi non est in hoc Sacramento definitive, quia sic non esset alibi quam in hoc altari, ubi conficitur hoc Sacramentum, cum tamen sit in cœlo in propria specie, et in multis aliis altaribus sub specie sacramenti » (2). De qua præsentia sacramentali, quanam ratione Christo eucharistico competat et quomodo differat a præsentia non definitiva Dei, dicetur infrà.

---

(1) P. I, qu. LII, art. 1.
(2) P. III, qu. LXXI, art. 5, ad 1m

V

Q. *Expone assertum: Christus est totus sub tota specie panis et totus sub singulis partibus, tam ante fractionem quam post fractionem.*

Respondetur.

I. Christum Dominum *totum esse sub toto et totum in singula parte* æquivalenter dicitur ac Christum esse præsentem *per modum substantiæ,* quo modo Illum adesse in SS. Eucharistia infrà probabitur et hic supponitur. Id enim præcise proprium est, uti vidimus, præsentiæ per modum substantiæ, ut res ita præsens tota sit in toto et tota in qualibet totius parte.

Negative igitur loquendo excluditur a Christo eucharistico præsentia dimensiva seu circumscriptiva seu localis, juxta quam corpus dimensum commensuratur dimensionibus corporum ambientium, ita ut totum correspondeat toti et partes partibus.

Positive autem importat ille modus adessendi Christum, uti est in Eucharistia, abstrahere ab omni contactu quantitativo, et esse extra ordinem commensurationis dimensionum ad dimensiones, seu indifferenter sese habere tam ad totum quam ad singulas partes, et indifferenter ad magnam hostiam vel parvam. « Sicut anima rationalis tota est in toto corpore et tota in qualibet ejus parte... ita... corpus Christi in hostia integra est totum, et sub qualibet ejus parte totum. Sicut enim sub qualibet parte sensibilis carnis salvatur tota essentia carnis, et sicut quælibet pars panis est panis, et quælibet pars vini vinum, sicut et ipsum totum; ita... quælibet pars... hostiæ est corpus Christi, et sub qualibet parte sensibili hostiæ servatur perfecte tota essentia Christi » (1).

II. Christus totus est in toto et totus in singulis

(1) Opusculum S. Thomæ adscriptum : *De Eucharistiæ mirabilibus,* cap. 7.

partibus, *tum ante fractionem, tum post fractionem*. Ex ipsa nempe notione data præsentiæ per modum substantiæ, et ex comparatione instituta, apparet proprium esse præsentiæ per modum substantiæ, — qua aliquid est totum in toto et totum in qualibet parte — ut non referat dimensiones, sub quibus continetur, sive *sint divisæ actu sive potentia tantùm;* indifferenter namque sese habet hujusmodi res ad totum vel ad quamcumque partem assignabilem : « Manifestum est autem quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus continetur ; sicut sub qualibet parte aëris est tota natura aëris, et sub qualibet parte panis tota natura panis ; et hoc *indifferenter sive sint dimensiones actu divisæ*... vel etiam sint actu indivisæ, *divisibiles vero potentia :* et ideo manifestum est quod totus Christus est sub qualibet parte specierum panis, *etiam hostia integra manente, et non solum cum frangitur* » (1).

Per hostiæ igitur fractionem nihil mutatur in Christi præsentia, nisi quod, per multiplicationem continentium specierum, multiplicatur præsentia contenti Christi, quatenus una erat præsentia ante fractionem, multiplex autem post fractionem, juxta numerum particularum.

Nimirum, et hoc sedulò est attendendum, præsentia Christi, ante fractionem, non ita est concipienda quasi semel esset in una particula et semel in alia, sed est una præsentia actu et multiplex potentia, multiplicatur autem actu per divisionem specierum (2).

---

(1) S Thomas, *De Eucharistiæ mirabilibus*, cap. 7.

(2) « In tantum Christus pluries adest in sacramento, in quantum sunt plures dimensiones continentes Ipsum. Atqui ante fractionem non dantur plura continentia, sed unum est continens continuum. Ergo ante fractionem hostiæ, nonnisi semel adest Christus sub dimensionibus panis ; post fractionem vero tot resultant præsentiæ, quot factæ sunt partes sacramenti. — Minor argumenti est evidens, quia omne indivisum est individuum, ac per consequens unum. Major vero facilè probatur, quia esse pluries in sacramento non competit Christo in quantum ipsemet multiplicatur : ergo ratio multiplicationis præsentiarum non potest esse nisi multiplicatio continentium ». Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, I. p. 446.

Quod pulchre exponit S. Thomas (1): « Numerus sequitur divisionem, et ideo, quamdiu quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicujus rei est pluries sub dimensionibus propriis, neque corpus Christi sub dimensionibus panis, et per consequens neque infinities, sed toties in quot partes dividitur » (2). Cfr etiam S. Thomas, *In IV Sentent.*, dist. X, qu. I, art. III, quæst. 3, ad 1m.

Christus igitur totus est sub tota specie et totus sub qualibet parte, tam ante quam post fractionem, ita ut, ante fractionem, ibidem præsens sit semel actu, post fractionem autem toties in quot particulas hostia frangitur.

Nota. 1°/ Vix notandum est per fractionem specierum nullatenus lædi vel frangi corpus Christi, uti ex infra dicendis clarius adhuc patebit. « Quamvis enim sic frangatur hostia... nihilominus tamen corpus Christi remanet integrum et illæsum, quia illa fractura non afficit nec attingit ipsum corpus Christi, sed est tantum in quantitate extensiva, sub qua ante conversionem fuit panis, et quæ post consecrationem corpus Christi velabat... In natura quoque habemus exemplum in speculo, quod si frangitur, non ibi frangitur imago vel species quæ in speculo relucebat, sed in qualibet parte fracti speculi adhuc resultat imago sicut de corpore Christi supra ostensum est » (3).

2°/ Præsentia totius Christi sub singula parte hostiæ *fractæ,* constituit fidei dogma, Concilio Tridentino anathema dicente contra illum qui « negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub unaquaque specie et

---

(1) P. III, qu. LXXVI, art. 3, ad 1m.

(2) Ita respondet ad objectionem : « Videtur quod non sit totus Christus sub qualibet parte specierum panis vel vini. Species enim illæ dividi possunt in infinitum ; si ergo Christus totus est sub qualibet parte specierum prædictarum, sequeretur quod infinities esset in hoc sacramento ; quod est inconveniens ».

(3) *De Eucharistiæ mirabilibus*, cap. 7.

sub singulis cujusque speciei partibus, *separatione facta,* totum Christum contineri ». Sess. XIII, can. 3.

A. De Smet.

VI

Q. Quinam sunt in jure canonico effectus *appellationis* et quandonam producuntur?

R. Tam in civilibus quam in criminalibus, duo principaliter (1) recensentur effectus appellationis legitime interpositæ, nempe *devolutivus* et *suspensivus*. (2)

I. *Effectus devolutivus* est ille, quo efficitur ut judex superior non solum de justitia appellationis, sed etiam de meritis causæ cognoscere debeat, ita ut tota causa, prouti in prima instantia proposita, discussa et decisa est, cognoscenda et definienda devolvatur ad judicem ad quem appellatur.

Ille effectus semper et necessario habetur in omni appellatione; appellare enim, suapte natura secum fert provocare ad judicem superiorem, cujus est iterum causam pertractare.

Si appelletur *a definitiva sententia* (3), tum causa principaliter in judicium deducta, tum ejus accessoria, ipsamque consequentia deferuntur ad judicem ad quem, qui, secundum quod justum est debet judicare an male vel bene sit appellatum, et an sententia judicis a quo sit confirmanda, infirmanda vel reformanda.

---

(1) Præter effectus præcipuos et ordinarios, distingui possent plures alii effectus minus principales vel ad unum prædictorum commode referibiles. Cf. Reiffenstuel in hunc titulum *De appellationibus, recusationibus et relationibus* (Lib. II, tit. XXVIII), § VII, nº 204 ss.

(2) Cf. Commentatores Decretalium in hunc titulum *De Appellationibus* etc.; Leurenius, *Forum ecclesiasticum,* l. 2, q. 1131 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n. 1242, t. II, p. 574 s.

(3) Merito eodem loco ponuntur appellatio ab interlocutoria vim definitivæ sententiæ habenti et appellatio a definitiva. Cf. Feye, Tract. autogr. *de Judiciis,* nº 126 s.; Leurenius, *o. c.*, q. 1134.

Si autem appelletur *a sententia interlocutoria* aut a gravamine incidentali, judex ad quem, admissa prius legitimitate appellationis, decernit de illa causa accessoria, imo pertrahit ad se cognitionem et decisionem causæ principalis; rejecta vero ut frivola appellatione, causam principalem ad judicem a quo remittere tenetur, nisi ille deferendo appellationi eamque admittendo, (1) omnem jurisdictionem hac in causa abdicasse censeatur.

Hic effectus, mutatis mutandis, locum habet etiam in appellatione *extrajudiciali* seu provocatione a decretis vel actibus regiminis ecclesiastici.

Salvis limitationibus, judex ad quem, qui ultimam dedit sententiam eamdem mandat executioni (2).

II. *Effectus suspensivus* appellationis in eo consistit quod per ipsam suspendatur sententia judicis a quo, simulque ejus jurisdictio quantum ad illam causam a qua appellatur, adeo ut ad executionem sententiæ procedere non valeat, et revocari possint quæcumque, pendente appellatione, contra jus appellantis innovata seu attentata fuerint.

Nisi expresse casus a lege excipiatur, hunc effectum sortitur omnis appellatio legitime interposita.

Proinde 1° Appellatio *a definitiva sententia* est regulariter suspensiva.

2° Appellatio *ab interlocutoria* quæ vim definitivæ sententiæ habet, aut gravamen affert irreparabile (3), idem operatur, dummodo gravamen illud a judice a quo postea non revocatur; quo in casu, ipsi fas est hac in causa ad ulterius progredi. Attamen, etsi per se non expiret officium judicis a quo respectu illius causæ, dicendum videtur, juxta sententiam probabiliorem et in praxi tutiorem, quod appellatio a sententia interlocutoria aut a gravamine incidente cogat judicem

---

(1) puta, concedendo apostolos dimissorios. De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n° 1241.

(2) Reiffenstuel, h. t., § VIII, n° 232; Leurenius, *o. c.*, q. 1140.

(3) *Conc. Trid.* Sess. XIII, c. 1, de ref.; Sess. XXIV, c. 20, de ref.

a quo supersedere in causa principali, quoadusque negotium interlocutorium fuerit expletum; et quidem non tantum, si articulus appellationis talis sit ut absque eo meritum causæ principalis non possit expediri, sed etiam, si solummodo influat in causam principalem (1).

3° Appellatio *extrajudicialis* effectum sortitur suspensivum; postquam superior, admissa justa causa in hac provocatione exprimenda, examen de materia controversa instituit seu, post inhibitionem judici a quo factam a judice ad quem.

Verum, in pluribus casibus, dispositiones juris communis (2) strictissime interpretandæ tollunt hunc effectum suspensivum, solo relicto devolutivo.

Appellatio suspensiva non admittitur:

1° in iis quæ pertinent ad correctionem morum et disciplinæ regularium (3).

2° adversus censuras proprie dictas, ipso facto aut per sententiam, ante appellationem inflictas; tum quia censuræ suam secum trahunt exsecutionem, tum ne illæ pœnæ ad correctionem inflictæ, ex frivola appellatione, hoc suo effectu careant. Appellatio tamen esset suspensiva, si ageretur de censura comminata aut conditionata, non verificata conditione (4).

3° quoad decreta visitationis episcopalis et correctionis morum atque disciplinæ clericorum (5). Et merito quidem, nam, ut ait Santi: « Episcopus ad regimen

---

(1) Reiffenstuel, in h. t, § VII, n. 222 ss.; Leurenius, *o. c.*, q. 1136, n° 2 s.; Feye, Tract. autogr. *de Judiciis*, n° 127; Santi-Leitner, *Prælectiones juris canonici*, in h. t., n° 35, t. II, p. 253.

(2) Attendendum est etiam ad dispositiones juris particularis. Cf. *Conc. Baltimoren.* III, a. 286.

(3) Santi-Leitner, *l. c*, n° 36.

(4) Reiffenstuel, h. t., § VII, n° 212 s.; Feye, *o c.*, n° 148; Péries, *La procédure canonique moderne dans les causes disciplinaires et criminelles*, p. 265 ss. Paris, 1898; Lega, *De judiciis ecclesiasticis*, t. IV, p. 335 s., 514 s. Romæ 1902; Claeys-Bouuaert, *De canonica cleri sæcularis obedientia*, p. 185 ss. Lovanii, 1904. Cf. etiam infra citandam C. *Ad Militantis* § 36.

(5) *Conc. Trid.* Sess. XIII, c. 1, de ref.; Sess. XIV, c. 4, de ref.; Sess. XXII, c. 1, de ref.; Sess. XXIV, c. 10, de ref.

ecclesiæ suæ debet ea libertate juris muniri, ut efficax simul et promptum remedium exordientibus malis applicare possit, ne in exercitio vigilantiæ suæ retardetur ex malitia vafrorum hominum, qui judicem superioris gradus primo intuitu decipere, ejusque auctoritatem invocare saltem ad differendam inflictam sibi pœnam callide studeant » (1).

Hæ causæ, quas ut suæ dioceseos administratores, disciplinæ defensores, morumque correctores agere valent Episcopi, fuerunt pene omnes, juxta sacros canones Concilii Tridentini et constitutiones et decreta Romanorum Pontificum (2), in uno elencho comprehensæ a Benedicto XIV, in C. *Ad Militantis,* 30 Martii 1742 (3).

Principia generalia hujus constitutionis stabiliuntur in § 5 et 37; vi quorum non datur appellatio suspensiva a causis quarum exsecutio a Concilio Tridentino demandata est Ordinariis *appellatione remota* (4), imo necnon ab exsecutione quorumcumque decretorum, Ordinariis locorum commissa ab eadem sancta Synodo et a C. Pii Pp. IV *Benedictus Deus,* hujus concilii confirmatoria. Hæc ad casus particulares applicando, statuit Benedictus XIV, appellationem in suspensivo non dari, exempli gratia: a decretis circa cultum divinum, ritus ecclesiasticos, et præsertim circa celebrationem missæ § 6, 7; a decretis circa curam animarum et administra-

---

(1) h. t., nº 37, p. 254.

(2) Præprimis commemorandum est decretum generale S. C. Episc. et Reg. 16 Oct. 1600, a Clemente VIII approbatum. Invenitur ap. *Collectanea S. C. EE. et RR.*, p. 20; Reiffenstuel, h. t., § IX, nº 267; Santi-Leitner, *o. et l. c.*, p. 260. Cf. etiam C. *Ad Militantis* § 4.

(3) Bul. benedict., ed Mechlinien., t. I, p. 275-299.

(4) Exinde confirmatur quod, quotiescumque a R. P. facultas delegetur cum addita clausula, ut in hac causa procedat *appellatione remota,* excludantur appellationes quæ a jure non indulgentur expresse, sed ad effectum suspensivum tantum, non autem devolutivum. Ita plerique Auctores: Fagnanus ad c. *Pastoralis,* h. t., nº 15 ss.; Pirhing in h. t., nº 74; Feye *o. c.*, nº 139; Péries, *o. c.*, p. 254 ss. In alium sensum Santi-Leitner *l. c.*, nº 14.

tionem sacramentorum, etiam quoad exemptos sive regulares sive sæculares § 8, 19; a deputatione vicariorum etiam perpetuorum, cum adsignatione congruæ; a deputatione coadjutorum et vicariorum pro tempore, ob imperitiam aut suspensionem parochorum; necnon a deputatione vicarii, pro tempore quo vacat ecclesia parochialis § 9, 12, 17; a decretis circa vitam et honestatem clericorum § 21, 25; etc. (1)

Notandum tamen venit quod, si Episcopus his in causis peragendis modum excedat, reos plectendo pœnis gravioribus ad vindictam potius quam ad emendationem latis (2); item, si procedat in causa visitationis, servata tela judiciaria, appellatio ab ejus sententia aut decreto servanda sit etiam in suspensivo (3).

4° Præter casus citatos, aliæ quædam causæ dantur, in quibus appellatio in suspensivo prohibetur, v. gr.

---

(1) Lega *o. c.*, t I, p. 618; Feye *o. c.*, n° 139; Santi *o. c.*, n° 39, p. 254 s. exhibent analysim hujus Constitutionis. Cf. etiam Péries, *o. c.*, p. 263 ss.

(2) Fagnanus ad c. *Ad nostram* h. t., n° 11; Péries *o. c.*, p. 261; Claeys-Bouuaert, *o. c.*, p. 129 ss.

(3) Fagnanus *l. c.*, n° 14; Péries, *l. c.*; Santi-Leitner, *o. c.*, n° 40, p. 257; Lega *o. et l. c.*, p. 336. Fagnanus *l. c.*, refert aliquam decisionem S. C. C. huic opinioni consentaneam. Hoc fuit solemnius indictum a S. C. EE. et RR., in citatis decretis 16 Oct. 1600 a Clemente VIII approbatis, n° 8: « In causis vero visitationis Ordinariorum aut correctionis morum, quoad effectum devolutivum tantum admittantur (appellationes), nisi de gravamine per definitivam irreparabili agatur; vel cum visitator, citata parte et adhibita causæ cognitione, *judicialiter* procedit; tunc enim appellationi locus erit, etiam quoad effectum suspensivum ». Cf., in sensum contrarium Boux, *de Judiciis*, t. II, p. 259; Claeys-Bouuaert, *o. c.*, inter utramque sententiam fluctuare videtur, p. 123 s., 183 s. Quæ afferuntur ex C. benedictina *Ad Militantis* contra opinionem communiorem, rem conficere non videntur. Etenim Benedictus XIV intendit dissidia in ipso causarum et judiciorum cursu inter tribunalia exsurgentia compescere, non innovando, sed veterem disciplinam restaurando, ad normam Canonum, Constitutionum Apostolicarum et Decretorum Sanctarum Congregationum, notatim Decreti superius citati S. C. EE. et RR., ad quod frequenter confirmando alludit v. gr. in § 4, § 21, § 42. Ni fallor in § 38, non instituit distinctionem inter extrajudicialem et judicialem appellationem, sed inter simplicem recursum, remedium extraordinarium, et appellationem in solo devolutivo, remedium ordinarium, quæ remedia juxta diversam naturam causarum sunt adhibenda.

causæ quæ, sine irreparabili præjudicio moram non patiuntur. De quibus cf. REIFFENSTUEL in h. t., § VII, nº 221; DEVOTI, *Institutionum canonicarum libri IV*, t. II, p. 169; FEYE *o. c.*, nº 148.

III. *De revocatione attentatorum.*

Alius effectus appellationis, sed ad effectum ejus suspensivum reducibilis, est, ut pendente appellatione aut lite, nihil sit innovandum. Etenim, dum pendet appellatio suspensiva, suspenditur per se et relate ad causam a qua appellatur jurisdictio judicis a quo et exsecutio sententiæ; unde, quidquid a judice aut ab adversario contra jus appellantis fuerit attentatum, a judice ad quem revocari debet.

Nomine attentati venit ergo factum per quod, pendente lite aut appellatione (1), inducitur innovatio contra jus appellantis.

Ergo quod fit lege permittente, aut quod nihil innovat circa quæstionem a qua appellatur, non censetur attentatum; ita v. gr. si, pendente lite in gradu appellationis circa validitatem matrimonii, Episcopus prohiberet alterutri ex collitigantibus, ne sponsalia auderet contrahere cum tertia persona. Hoc nihil contra causam principalem induceret (2).

Hic effectus consequitur omnem appellationem suspensivam.

1º Si agatur de appellatione *a definitiva,* judex ad quem regulariter procedit via extraordinaria, *per remedium attentati,* seu quando principaliter et ante omnia, quæcumque a judice a quo post appellationem attentata fuerunt, revocantur (3), sive ad instantiam appellantis, sive ex officio (4).

---

(1) Hoc est intelligendum etiam de illis quæ medio tempore inter sententiam et appellationem, ante lapsum decendii innovata fuerunt.

(2) REIFFENSTUEL, h. t., § IX, nº 249 ss.; SANTI-LEITNER, h. t., nº 46 ss., p. 259.

(3) FEYE, *o. c.*, p. 298; LEURENIUS, *o. c.*, q. 1134.

(4) SANTI-LEITNER, *l. c.*, nº 47; PÉRIES, *o. c.*, p. 296. Nullitas enim

2° Si appelletur *ab interlocutoria,* attentata et acta post appellationem non revocantur ante omnia, sed debet prius justificari causa appellationis, et hac probata demum revocantur attentata medio tempore. Ratio est, quia hac appellatione non expirat officium judicis a quo hac in causa; quin imo, potest adhuc in ea procedere, modo revocaverit gravamen. Unde, sicuti, causa rationabili non expressa, non valet appellatio, ita nec habet virtutem irritandi attentata, nisi fuerit justificata, aut saltem nisi judex ad quem inhibuerit judici a quo, ne ulterius procedat, juxta c. *non solum,* § illa vero, h. t. in VI (1). Hoc idem tamen obtineret, si judex a quo detulerit appellationi.

3° Si tandem appellatio fiat *extrajudicialis* (2), admissa a superiore rationabili appellandi causa, tunc primum attentata medio tempore contra appellationem revocantur (3). Post enim decretum superioris admittentis appellationem, inducitur pendentia litis, et, pendente lite, innovata sive a superiore sive ab adversario contra jus appellantis annulari debent a judice ad quem, restituendo causam in pristinum statum, in quo erat, tempore appellationis interpositæ.

Sedulo, in fine, animadvertendum est, judicem a quo non privari tamen ordinaria potestate, ad reprimendum delicta inferioris distincta ab objecto causæ a qua appellatur; nisi ille recusetur, eo quod, cum in priori causa gravaverit, periculum est in aliis quoque causis gravaturum (4).

A. De Meester.

---

attentatorum statuta est a jure in favorem appellantis gravati; ergo, etsi careant attentata valore juridico, sustinentur tamen usque dum ad instantiam partis non fuerint revocata. Tamen ex officio, ad annulationem attentatorum potest procedere judex ad quem, sese substituendo parti ignoranti aut deceptæ.

(1) Reiffenstuel, h. t., n° 263, s.; Feye, *o. c.*, n° 167.

(2) Péries, *o. c.*, p. 298; Schmalzgrueber, h. t., n° 124.

(3) Leurenius, *o. c.*, q. 1134.

(4) Reiffenstuel, h. t., n° 215; Péries, *o. c.*, p. 242; Leurenius, *o. c.*, q. 1131, n° 3.

Miscellanea

De Parocho proprio quoad matrimonium. — Quantis difficultatibus locum det applicatio legis *clandestinitatis* utut sapienter a Synodo Tridentina conditæ, quamque intricata sit signanter jurisprudentia ecclesiastica circà quasidomicilium, nemo unus eorum, qui rei matrimoniali studuerint aut diuturno tempore munus parochiale gesserint, ignorat. Quare omnium in votis est ut Sancta Sedes huic legislationis matrimonialis parti majus lumen affundat, quo planior fiat via ad casus in praxi occurrentes solvendum, aut potius eamdem ità moderetur quo facilioris executionis et observantiæ evadat. Nuper ipsimet Em^mi^ Patres S. Congregationis Consilii, in comitiis plenariis diei 20 Maii 1905, mentem suam hac de re declararunt; quæ mens (juxtà *Analecta ecclesiastica* an. 1905, p. 339) fuit summatim: « Ut apostolicum tempore opportuno, decretum edatur, quo jurisprudentia de matrimoniis coràm Parocho celebrandis, *juxta conclusiones a Consultore propositas,* moderetur. » Consultor ille fuit R^mus^ P. Pius a Langonio, Ord. Min. Cap., cujus conclusiones, documenti instar, hic subjicimus, ex cit. periodico *Analecta eccles.* an. 1905, p. 488 excerptas:

Jurisprudentia, circa providissimam legem clandestinitatis, paulatim et oscitanter efformata, hodiedum manca remanet et haud parum intricata, prout ex prælibatis dissensionibus et obscuritatibus, satis superque visum est.

Quod hæc jurisprudentia, seu legislatio, moderanda sit, plures eæque graves suadent causæ, ne propter frequentiores hominum hinc inde translationes, tot matrimoniorum validitas (quæ sæpe sæpius pendet a quasi-domicilio per *animum* adquisito) periclitetur; jam postularunt complures Vaticani Concilii Patres; exoptant quotquot hodiernam legislationem de clandestinitate penitius evolverunt; confirmant practicæ derogationes, pluribus in Provinciis ecclesiasticis, jamdu-

dum de facto vel de jure obtinentes, necnon petitiones hac de re jam Apostolicæ Sedi porrectæ; ac tandem demonstrant quamplures facti species, coram hac Sacra Congregatione discussæ, in quibus clandestinitas mere juridica vitiavit matrimonia quæ tamen publice et « in facie Ecclesiæ » reapse celebrata fuerant.

Moderatio, qualiscumque tandem admittenda videatur, non debet ad solas restringi majores urbes; nec legem veræ clandestinitatis quatenus irritantem infirmare, nec etiam prævias ullatenus tangere omnium matrimoniorum conditiones a jure præfixas: ideoque, semper et ubique terrarum, tum obligatio statum liberum rite comprobandi, tum lex publicationum (in locis ubi viget *Tametsi*, juxta modum ab ipso Tridentino præfixum; in aliis vero locis, juxta modum Concilii Lateranensis) (1) in suo robore stent oportet.

Moderatio fieri posset:

Primo, per faciliorem adeptionem quasi-domicilii, statuendo nempe:

a/ Quod quasi-domicilium sufficienter acquisitum erit per præviam in eadem Parœcia commorationem *semestrem;* et tunc Parochus istius Parœciæ proprius erit et matrimonio, absque ulla delegatione ullave exploratione animi commorandi, valide ac licite, assistere poterit. Hæc moderatio nihil aliud esset, ut patet, nisi generalis extensio Decreti seu Privilegii Parisiensis supratranscripti (2).

b/ Quod quasi-domicilium, per præviam *unius integri mensis* in eadem Parœcia commorationem, acquisitum erit (non dico: *censebitur* aut *præsumetur* acquisitum, ne fiat iterum, sub alia forma, reditus ad *animum* commorandi; sed acquisitum erit) et tunc Parochus dictæ Parœciæ sufficienter erit proprius, ut in præcedenti: quod æquivaleret extensioni generali Baltimorensis indulti suprarelati (3). Videtur heic recolendum quod si modificatio seligatur statuenda per faciliorem adeptionem quasi-domicilii parochialis, longe melior et aptior erit, meo quidem humili sensu, commoratio mensilis quam

---

(1) Exoptabilis foret, etiam quoad bannorum proclamationes, quædam unificativa modificatio.

(2) Cfr. *Anal. eccl.* an. 1905, p. 340.

(3) Cfr. *Anal. eccl.* l. c., p. 385.

commoratio semestralis, propter rationes superius indigitatas. Attamen, in tali modificatione (propter commorationem sive unius, sive plurium, sive sex mensium), nulla, præter positivam voluntatem Legislatoris sic edicentis, nulla perciperetur ratio vere substantialis: nam, commoratio non est de constitutivis matrimonii, neque de genuina notione clandestinitatis, et nequidem de notione domicilii vel quasi-domicilii; quum in utroque, factum commorandi tantum requiratur ac sufficiat, non autem prævia per mensem aut bimestre semestreve commoratio.

c/ Quod nupturientes qui, proprium domicilium alibi retinentes, in alienam adveniunt diœcesim, *in ea diœcesi* tum domicilium tum quasi-domicilium acquirere valeant: domicilium scilicet, juxta conditiones legislationis hodiernæ pro domicilio parochiali adquirendo stabilitas; quasi-domicilium, per factum (absque exploratione animi) præviæ intra diœcesanum territorium continuæ commorationis unius mensis (1), tum intuitu matrimonii, cæteris omnibus apprime servatis, contrahendi, tum intuitu dispensationes, si quæ forte requirantur, obtinendi: id est, per domicilium vel quasi-domicilium *diœcesanum*. Tunc Ordinarius ipse proprius erit, et, modo sibi beneviso, Parochos actualis commorationis delegare poterit, ut supra dictum est.

Secundo, per aptiorem et simpliciorem ipsius clandestinitatis interpretationem, statuendo videlicet:

a/ Quod, in locis ubi viget caput *Tametsi*, Parochus testis est ex officio qualificatus, in sensu Decreti, omnium omnino matrimoniorum quæ, ipso vel ejus Delegato præsente, coram duobus tribusve testibus, *in Paræcia sua*, cæteris servatis, celebrantur.

b/ Quod proinde valida licitaque sunt matrimonia domiciliatorum et quasi-domiciliatorum (in sensu legislationis hodiernæ); *illicita* vero, non autem *invalida*, matrimonia quæ ab advenis nondum sufficienter forsan quasi-domiciliatis, in Parœcia coram Parocho (vel ejus delegato) duobusque testibus, contrahuntur.

---

(1) Dico: per *factum* commorationis unius mensis, ne iterum, quoad quasi-domicilium in diœcesi adquirendum, in intricationibus supradescriptis de *animo* commorandi reincidatur.

Liceat repetere quod hæc interpretatio circa clandestinitatem, nedum opponatur decreto *Tametsi*, e contra genuinæ menti Patrum Tridentinorum et ipsimet textui concordior videtur. Et quum cæterum efficacius contra matrimoniorum nullitatem afferat remedium, et insimul obligationem salvet (non tamen sub pœna nullitatis) contrahendi, propter bonum ordinem et juris competentiam, coram Parocho proprio, eam præ cæteris modificationibus delibatis, Sacro Consessui Vestro, Patres Eminentissimi, submitto, dum omnimoda deferentia genuflexus...

E Conv. Minorum S. Fr. Capuc. ad SS. Conc., die 4 Aprilis 1904.

Fr. Pius a Langonio, *Cons.*

Fabriques d'église

Séance du premier Dimanche d'Avril. — Renouvellement triennal.

Les conseils de fabrique se réuniront en séance ordinaire, le 1er Avril prochain, dimanche de la Passion.

Cette séance aura pour objet principal les élections et nominations, auxquelles le conseil est tenu de procéder. Spécialement, il y sera pourvu au renouvellement de *la petite moitié* des membres électifs.

Des instructions détaillées relatives à ce sujet (1) ont été précédemment insérées dans les *Collationes Brugenses*. Nous y renvoyons les lecteurs, en rappelant brièvement l'ordre à suivre dans ces diverses opérations.

I. Les membres restants peuvent seuls prendre part

(1) Voir aussi De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, nº 989 ss., t. II, p. 288 ss.; *Collationes Namurcenses*, t. V, 1905-1906, p. 144 ss.

aux élections triennales. Si la série restante n'est pas complète, le conseil devra d'abord procéder au remplacement des membres décédés ou démissionnaires, avec la participation des conseillers sortants, *Collat. Brug.*, II, 144; V, 256 s.

Ces élections accidentelles doivent se faire dans la séance ordinaire qui suit la vacance — autrement, l'évêque pourra user de la prérogative que lui confère l'article 8 du décret de 1809 (1) — et suivant les formalités qui sont prescrites pour les élections triennales (2), I, 206; II, 74 ss., 134 ss.

Il a été exposé comment il fallait procéder, au cas, où il ne resterait plus dans le conseil assez de membres pour constituer le nombre des conseillers qui doivent être présents, II, 144 s.

II. La série restante, éventuellement complétée ou reconstituée, pourvoit au renouvellement de la petite moitié.

Ce renouvellement exige la présence de la majorité des membres, qui *de droit* restent en fonctions, au moment des élections; soit la présence de *trois* fabriciens dans les conseils composés de sept membres, *de quatre* dans ceux de onze, II, 136; V, 256.

Les formalités à observer ont été indiquées et expliquées au t. II, 75 ss., 134 ss. Il n'est pas permis aux membres *déjà élus* ou *réélus* de la série sortante de prendre part aux scrutins ultérieurs, VIII, 201 s. En cas de plusieurs scrutins, il ne faut pas s'en tenir aux noms du premier scrutin.

III. Le conseil procédera ensuite à l'élection de ses dignitaires, I, 40, 206, V, 257 et au renouvellement du

---

(1) Voir au sujet de la prérogative épiscopale de l'article 8, § 2 du décret de 1809, les *Collat. Brug.*, t. II, 80, 145; VIII, p. 202.

(2) a. r. 2 Août 1819, Bon, *Législation des paroisses*, p. 185. Bruxelles, 1841; a. r. 12 Mars 1849, art. 6, Brixhe, *Dictionnaire des fabriques d'églises*, 2e édit., v° *Conseil de fabrique*, n° 10. Liége, 1873.

mandat du marguillier le plus ancien en exercice (1). Eventuellement, le conseil sera appelé à réélir ou à remplacer les marguilliers qui faisaient partie de la série sortante, et dont conséquemment le mandat a expiré, I, 206; V, 257. Personne ne peut être membre du bureau, qui ne soit déjà membre du conseil, II, 143.

Remarque. En matière d'élection, le président n'a pas voix prépondérante, II, 79 s., 172 ss.

IV. Le Bureau se réunira le même jour aux fins de nommer son président, son secrétaire et son trésorier, II, 143; III, 178; VIII, 203.

Quant à l'obligation qu'ont les administrations fabriciennes de transmettre aux autorités diocésaine et provinciale, le procès-verbal des élections faites et l'état complet du conseil et du bureau, voir t. I, 206 s.; XI, 54 (2).

A. De Meester.

---

(1) Les paroisses nouvellement constituées détermineront par voie du sort, les membres qui appartiendront à la série sortante, ainsi que le marguillier dont le mandat doit être renouvelé, art. 7, 15, 16, 17 du décret de 1809; *Collat. Brug.*, II, 145 s.

(2) Epistola Ill^{mi} et Rev^{mi} Waffelaert ad clerum diœcesis Brugensis, d. d. 10 Februarii 1906, sub III.

Ex Sacra Congregatione Rituum

I

RHEMEN.

De festis solemnioribus in quibus prohibentur exequiæ defunctorum.

Sacra Rituum Congregatio per decretum *Parentin. et Polen.*, die 8 Januari 1904 (1), rescripsit dies quibus prohibentur exsequiæ pro defuncto, cum effertur corpus, esse « omnia festa quæ uti primaria sub ritu duplici I classis et quidem de præcepto celebrantur; et si non sint de præcepto, illæ Dominicæ ad quas præfatorum festorum solemnitas transfertur ». Exorta autem controversia de sensu quo intelligenda et dicenda sint festa de præcepto, R^mus^ Canonicus Calendarii Rhemensis ordinator, de consensu R^mi^ D^ni^ Vicarii Capitularis, Sede vacante, a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutionem humillime flagitavit; nimirum:

I. An festa de præcepto illa sint in quibus, præter obligationem a parocho adimplendam, adest quoque altera et quidem duplex obligatio parochianis imposita, nempe tum Missam audiendi, tum ab operibus servilibus cessandi?

II. An exsequiæ cum Missa, præsente corpore, fieri

---

(1) Hujus decreti, cujus responsum hic inseritur, dubium erat ita conceptum: « Decreto S. R. C. n. 3570, *Corduben.* d. d. 27 Jan. 1883, ad I, statutum est: exequias pro defuncto, cum effertur corpus, non posse expleri in ecclesiis diebus solemnioribus primæ classis, et hujusmodi funera transferenda esse ad sequentem diem, aut saltem ad horas postmeridianas post diei festi Vesperas et sacris functionibus non impeditas, abstinendo tamen ab emortuali æris campani sonitu. Et subsequenti Decreto pariter S. R. C. n. 3946 in una *Illerden.* d. d. 15 Jan. 1897, declaratum est non posse tolerari consuetudinem vigentem pulsandi campanas pro funeribus defunctorum, quando locum habent in festis solemnioribus et servanda decreta, præsertim illud in una *Corduben.* diei 27 Jan. 1883, ad primum. Hinc quæritur:

I. Quæ dies nominatim per annum, incipiendo a primis Vesperis festi et usque ad totum insequentem diem, in supradicto decreto *Corduben.* comprehendi censeantur? »

possint in festis suppressis, quorum solemnitas in Dominicam sequentem non transfertur.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicæ omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative* juxta decretum n. 4003, *Carcassonen.*, quæst. 1, ad II et III.

Atque ita rescripsit. Die 1 Decembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præf.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotanda. Ex his ergo sequitur:

1° Festa solemniora in quibus, præter triduum sacrum, prohibentur exequiæ defunctorum *etiam absque Missa* — nisi fiant post vesperas et alias functiones sacras diei festi et sine emortuali campanæ sonitu — sunt sequentia pro nostra diœcesi Brugensi: Dominicæ Paschatis et Pentecostes, festa Nativitatis et Ascensionis Domini, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum; Dominicæ in quas transferuntur solemnitates Epiphaniæ, Corporis Domini, SS. Petri et Pauli et principalis Patroni loci.

2° Festa in quibus prohibentur *exequiæ cum Missa* sunt, præter enumerata, festa Annuntiationis et Immaculatæ Conceptionis B. M. V., S. Joseph, Nativitatis S. Joannis Baptistæ et Titularis ecclesiæ propriæ (1) et Dominica in qua celebratur Dedicatio omnium ecclesiarum.

II

BUSCODUCEN.

De diebus quibus prohibetur Missa exequialis post biduum translata et post nuntium obitus acceptum celebrata.

Quum quædam difformitas reperiatur in interpretandis Decretis S. R. C. nempe n° 3755 Missæ exequialis pro die

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, pp. 530 et 668, et *Calendar. liturgic.*

obitus, 2 Decembris 1891 ad III, et *Labacen.*, 28 Aprilis 1902 ad X, hodiernus Kalendarista Diœcesis Buscoducensis in Hollandia, professor in Instituto Surdo-Mutorum parochiæ « Gestel Sancti Michaelis », de consensu R^mi^ sui Episcopi, a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit:

I. Cajus mortuus feria quarta in Majori Hebdomada sepelitur feria sexta in Parasceve Domini. Quænam est prima dies liturgice non impedita, qua ejus Missa exequialis solemniter peragi potest: utrum fer. IV Hebdomadæ Paschalis, an vero feria secunda post Dominicam in Albis, in qua non occurrit duplex I vel II classis aut festum de præcepto?

II. An Missa exequialis solemnis vel cum cantu, ob impedimentum liturgicum ultra biduum a sepultura translata, celebrari possit in diebus duplicia secundæ classis excludentibus?

III. An Missa de Requie pro prima vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, de qua in Decret. n° 3755, ad III, celebrari possit: 1° infra Octavam Epiphaniæ; 2° infra Octavas Nativitatis D^ni^ et SS. Corporis Christi, in locis ubi hæc non est privilegiata ad instar Octavæ Epiphaniæ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicæ, rescribendum censuit:

Ad I. Prima dies libera est in casu Feria II post Dominicam in Albis, juxta Decretum *Labacen.* 28 Aprilis 1902 ad X.

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam, excepta tamen die Octava Corporis Christi, uti ex Decreto supra citato.

Atque ita rescripsit, die 24 Novembris 1905.

A. Card. Tripepi, *Pro Præf.*
D. Panici, Archiep. Laodic. *Secret.*

Adnotanda.

Magna ex hoc decreto affulget lux materiæ vere intricatæ, pluraque de sensu decreti n. 3755, ad 3, exorta

dubia adæquate solvuntur, et quidem — quod grato animo notare placet — in sensum olim jam ap. *Collationes Brugenses* ab Ex. D. Van de Woestyne propositum.

Quum totum decretum versetur circa interpretationem S. R. C. *decreti generalis* n. 3755, ad 2 et 3, et decr. *Labacen.* ad 10 juvat hos textus hic subjicere.

Ex *Decreto generali* diei 2 Decembris 1891, n. 3755.

2. Quod si ex civili vetito, aut morbo contagioso, aut *alia gravi causa,* cadaver in ecclesia præsens esse nequeat, imo etsi jam terræ mandatum fuerit, præfata missa [*una solemnis vel cum cantu, in die et pro die obitus* (1)] celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus *ab obitu* diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset præsens (2).

3. Denique eadem missa celebrari poterit pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium, die quæ prima occurrat *non impedita a festo primæ et secundæ classis,* aut a festo de præcepto: quo casu missa dicenda erit ut in die obitus. (3)

Ex decreto *Labacen.* diei 28 Aprilis 1902:

10. Quæritur: utrum missa de Requie cum cantu, quæ ex præfato Decreto generali, n. 3755, ad III, « celebrari potest pro prima tantum vice post obitum vel ejus acceptum a locis dissitis nuntium die quæ prima occurrat non impedita a festo 1 et 2 classis vel festo de præcepto » cantari possit feria IV Cinerum, vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, feria IV, V, VI et Sabbato infra Octavas Paschatis et Pentecostes, quum *licet hæ dies neque festa sint de præcepto neque ritum 1 vel 2 classis habeant, excludant tamen eadem duplicia 1 classis?*

---

(1) Hanc missam quam in adnotationibus nostris, brevitatis causa, simpliciter vocabimus *exequialem*, semper supponimus solemnem vel cum cantu celebratam ut in die obitus, et quidem semel tantum: est illa quam vocare solemus *uitvaart*. Abstinemus a quæstione quandonam possit esse pro paupere missa lecta; qua de re cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 486 ss.; t. VI, p. 529.

(2) De hac missa cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 666 ss.

(3) De hac missa cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 669 s.; t. VII, p. 90, coll. p. 400 ss. X.

Resp. ad 10. Negative in omnibus, juxta decr. gen. n. 3922, diei 30 junii 1896, § III, n. 2. (1).

I. Inter *graves causas* impedientes quominus cadaver ad ecclesiam pro missa exequiali deferatur et propter quas exequialis missa physice absente corpore celebrari potest eodem modo ac iisdem diebus quibus hæc missa præsente corpore indulgetur, jam diserte a S. Congregatione admittitur *impedimentum liturgicum*, seu celebritas quædam liturgica quæ prohibet missæ exequialis celebrationem. Non tantum enim in dubio secundo expresse nominatur « impedimentum liturgicum », sed in primo dubio missa exequialis pro Caio ob nullam aliam causam supponitur impediri quam ob feriam VI in Parasceve Domini in qua prohibetur quæcumque missa exequialis: et hoc suppositum positive agnoscitur responso S. Congregationis. Hæc doctrina, de qua dubitabant quidam auctores (2) diserte proposita fuit apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 669 (3).

II. Confirmatur etiam sententia juxta quam *biduum ab obitu* infra quod missa exequialis corpore moraliter præsente celebrari potest eodem modo ac si corpus esset præsens physice, computari non debet a die mortis sed computari potest a die, h. e. post diem sepulturæ (4). In dubio enim secundo diserte exprimitur « biduum a sepultura ». Tempus igitur infra quod — semel tantum — hæc missa exequialis celebrari potest, decurrit a die mortis usque ad expletum biduum post sepulturam.

---

(1) Hujus decreti interpretationem vide ap. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 400 ss.

(2) Ill. Van der Stappen, *Rubricæ Missalis Rom.*, q. 338, II.

(3) Cf. *Ephemerides liturg.*, t. XIV, p. 166; Coppin-Stimart, *S. Liturg. compendium*, n. 316; J. Erker, *Missæ de Requie*, n. 18, 2.

(4) Liturgice *dies obitus* seu depositionis complectitur totum tempus a morte ad sepulturam. In casu autem *dies obitus* quasi extenditur ad biduum subsequens. Ratio autem hujus extensionis videtur esse quia impedimentum ob quod cadaver in ecclesia cum missa exequiali sepeliri nequit, v. g. morbus contagiosus, sæpe etiam exigit ut sepultura fiat valde citò post mortem.

Hanc sententiam, quæ quibusdam dubia videbatur (1), jam defendebant, adjectis pluribus rationibus, *Collat. Brug.*, t. VI, p. 667 nota 1 (2).

III. Ex decr. 3755, ad 3, admittebant auctores communiter missam exequialem, quæ ne quidem infra præfatum biduum obstante impedimento liturgico celebrari poterat, posse pro prima tantum vice post obitum transferri in primam diem liberam. De hoc casu *missæ exequialis post biduum a sepultura translatæ* intelligebant verba « pro prima tantum vice *post obitum* ». Pro casu defuncti qui in locis dissitis obiit, tenebant vi ejusdem decreti, ad 3, similiter missam exequialem pro prima tantum vice celebrari posse prima die libera « *post acceptum a locis dissitis nuntium* ».

Nullo autem modo conveniebant in determinandis diebus liberis ac impeditis. Et præcipuum præsentis decreti intentum est in determinandis his diebus omnia tollere dubia.

1/ In præfato decreto generali, ad 3, ut dies impediti expresse determinantur dies in quibus occurrit *a*/ festum de præcepto, cui assimilanda est dominica, aut *b*/ *festum duplex 1^a^ vel 2^a^ classis*. Qua de re nulla controversia.

2/ Ex decreto *Labacen.*, ad 10, pariter omnes admittebant dies qui non sunt festivi de præcepto aut classici *qui tamen excludunt festa duplicia 1^a^ classis* etiam esse dies impeditos pro casu missæ exequialis *post obitus nuntium a locis dissitis acceptum* celebrandæ. Quod confirmatur præsentis decreti responso ad 3.

3/ Verum multi hoc extendere nolebant ad casum *missæ exequialis post biduum a sepultura translatæ* (3).

Sed plane immerito, ut nobis videbatur. Nam decre-

---

(1) Ill. Van der Stappen, *o. c.*, q. 337, nota I.

(2) Cf. *Ephem*, *liturg.*, t. XIV, pp. 279; 547; 678; Coppin-Stimart, *o. c.*, n. 316, nota; J. Erker, *o. c.*, n. 18, 3.

(3) Cf. Van der Stappen, *Rubricæ Missalis Romani*, q. 338; Coppin-Stimart, *o. c.*, n. 316, 2°; De Herdt, edit. 10^a^, *S. Liturgiæ praxis*, t. I, n. 56, II, n. 1.

tum *Labacen.* ad 10, interpretativum decreti n. 3755 ad 3, resumpserat præcise ea verba « pro prima vice *post obitum* », quibus auctores nitebanter ut licitam declararent missæ exequialis post biduum translationem in primam diem liberam. Ergo oportebat logice etiam huic casui applicare responsum interpretativum *Labacen.* et admittere hanc missam exequialem post biduum translatam *prohiberi officiis excludentibus duplicia 1ae classis* (1). Illud nunc diserte declarat S. Congregatio ad primum, juxta quod præfata missa prohibetur feriis IV, V, VI et Sabbato infra Octavam Paschatis, quia omnes illi dies non admittunt duplicia 1a classis.

4/ Tandem auctores quamplurimi censebant utramque missam exequialem de qua agimus non prohiberi diebus qui, licet admittant duplicia 1ae classis, *excludunt tamen festa duplicia 2a classis,* ut sunt dies infra octavam Epiphaniæ et dies octava Corporis Domini (2).

Quæ opinio rursus minus recta nobis videbatur. Oportet enim interpretari decreta modo consonanti et juxta principia aliàs in eadem vel simili materia applicata.

Jamvero vi verborum decreti « Aucto » diei 19 Mai 1896 (3) « missæ privatæ de Requie.... præsente insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere fieri possunt... exceptis *duplicibus primæ classis...* » Ast de sensu hujus exceptionis interrogata, S. R. C. eam ita

---

(1) Hanc conclusionem ampl. D. Van de Woestyne hæsitanter proponebat jam ap. *Collat. Brug.*, t. VII, 400 et sine dubitatione in Calendario liturgico anni 1903, in prænotandis de missis defunctorum. Cf. J. Erker, *o. c.*, n. 21. Distractione tamen quadam factum est ut Erker, *o. c.*, n. 27, declararet missam exequialem alicujus defuncti qui sepelitur in Parasceve, celebrari posse feria quarta post Pascha, quod est omnino contra regulam ab ipso, n. 21, positam et contra disertum responsum ad dubium primum præsentis decreti.

(2) Ill. Van der Stappen, *o. c.*, q. 338 et 346, 1°; Coppin-Stimart, *o. c.*, n 316, 2° et n. 323, 3°, e; Hausherr et Lehmkuhl, *Compendium caeremoniarum,* Friburgi Brisgoviæ, 1904, p. 36, c/; *Nederlandsche Katholieke Stemmen.* 1905, p. 312.

(3) *Collat. Brug.*, t. I, p. 474 s.

interpretatur ut se extendat etiam ad *dies qui festa duplicia 1ae classis excludunt* (1).

Similiter decretum 3755, ad 3, missam exequialem prohibet in « *festo 1ae et 2ae classis* » et in *Labacen.* ad 10, interrogata utrum eo ipso prohibeatur diebus *qui excludunt festa 1ae classis,* affirmativo sensu respondet.

Ex quo merito opinari licebat a pari hanc missam exequialem prohiberi diebus qui non admittunt duplicia 2ae classis ex eo quod expresse prohibetur (n. 3755 ad 3) diebus duplicibus 2ae classis.

Et revera post decretum *Labacen.* anni 1902 rem ita resolvit Ampl. D. Van de Woestyne in *Calendario liturgico diœcesis Brugensis* anni 1903 (et deinceps) in prænotandis de missis defunctorum 1°, a/ (2).

Et nunc in eumdem sensum S. R. C. rem resolvit, in responso ad 2 et ad 3 pro missa exequiali post biduum translata, et in responso ad 3 etiam pro missa exequiali post nuntium a locis dissitis acceptum. Declaratur enim, ad 3, hanc missam celebrari non posse infra octavam Epiphaniæ et in die octava Corporis Christi, quia illi dies excludunt duplicia 2ae classis; sed cantari posse infra octavam Nativitatis Domini et diebus infra octavam Corporis Domini, quia non excludunt festa duplicia 2ae classis.

*
* *

Summatim igitur dies qui per se excludunt missam exequialem ultra biduum transferendam in primam diem liberam, aut missam quæ pro prima tantum vicé post acceptum a locis dissitis obitus nuntium prima die libera cantatur, sunt:

1° Festa duplicia 1ae et 2ae classsis.

---

(1) Decr. *Romana,* 12 Jan. 1897, n. 3944, ad 4. Cf. *Collat. Brug.,* t. II, p. 281.

(2) Cf. etiam J. Erker in optimo opusculo *Missæ de Requie,* Labaci, 1903, p. 34, n. 21 et p. 49, n. 33; *Ephem. liturg.* 1903, p. 178 s ; 1904, p. 254; 1905, p. 551.

2° Dominicæ et festa de præcepto.

3° Dies qui excludunt duplicia 1^ae vel 2^ae classis, nempe:

a/ feria IV Cinerum et omnes feriæ Hebdomadæ Majoris;

b/ vigiliæ Nativitatis Domini et Pentecostes;

c/ integræ octavæ Epiphaniæ, Paschatis et Pentecostes;

d/ ipsa dies octava Corporis Domini.

III

In decreto *Ordinis Carmel. antiquæ observantiæ*, diei 1 dec. 1905 (1), tria solvuntur dubia circa liturgiam præfati Ordinis, quorum primum etiam practicum est in liturgia Breviarii Romani.

I. An in festo S. Familiæ ad Matutinum ante Lectiones dicendæ sint Benedictiones communes, an vero propriæ festorum B. M. V.?

Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam.

Ratio est quia festum S. Familiæ habendum est ut festum Domini. Octava igitur Benedictio est: *Divinum auxilium maneat semper nobiscum.*

IV

Ex decreto *Tergestina et Justinopolitana*, diei 3 Julii 1904 (2):

II. In Missis de Requie post elevationem loco *Benedictus*, Litaniæ uti ex Rituali Romano in Ordine commendationis animæ, vel Lauretanæ, canuntur, et hujusmodi Missæ fiunt lectæ. Insuper *in Missis cantatis de die, intonato* Credo *sacerdos prosequitur Missam ut lectam usque ad Præfationem. Quæritur an hæc tolerari possint?*

Ad II. *Negative* (3), et hos abusus omnino esse eliminandos.

(1) Cf. *Analecta ecclesiastica*, 1906, p. 21.

(2) Cf. *Analecta ecclesiastica*, 1906, p. 20.

(3) Secundus abusus hoc decreto proscriptus etiam Statutis nostris diœcesanis, tit. III, § 7, reprobatur.

V

De ornatu nigrorum paramentorum et pallæ calicis.

DUBIORUM.

I. Quum in Cæremoniali Episcoporum lib. II, cap. XI, n. 1 legatur: « Omnia paramenta, tam altaris, quam celebrantis et ministrorum, librorum et faldistorii sint nigra, et in his nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ ponantur », quæritur: An in dictis paramentis repræsentari possint calvaria cum ossibus decussatis defunctorum?

II. Ex decreto S. R. C. n. 3832, *Dubiorum resolutio,* 17 Julii 1894 ad IV, permittitur ut palla calicis in parte superiori sit cooperta panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pars superior non sit nigri coloris, nec cum aliquo mortis signo. Quæritur: An hujusmodi palla subnexa possit esse linum cruce munitum et subsutum, ad modum pallæ, nec amovibile?

Et Sacra Rituum Congregatio pro solutione horum dubiorum rogata, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative*, et servetur Cæremoniale Episcoporum, *loc. cit.*

Ad II. *Negative*, et palla subnexa, proprie dicta, sit linea, munda et facile amovibilis.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Pro-Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotanda. Responsum ad secundum clarius intelligitur si præ oculis habeantur pallæ successivæ transformationes. Antiquitus enim palla a corporali non erat distincta; ejus autem munere, cooperiendi nempe calicem, fungebatur ipsum corporale cujus posterior pars super calicem replicari solebat. Unde facile intelligitur cur eædem præscriptiones quæ in liturgia dantur de corporali, v. g. quoad benedictionem (1) et mate-

(1) Miss. Rom. *Ritus*, tit. I, n. 1; *De defect.* X, 1; *Collat. Brug.*, t. IX, p. 94.

riam (1), pariter extendi debent ad ipsam pallam. Quod idem valet de ornatu: sicut corporale debet esse totum album et nulla admittit ornamenta, ita etiam a palla (2) omnis ornatus exulare debet. Hoc principium quod S. R. C. constanter secuta est, rite tamen est intelligendum, quia pro varia pallæ forma, diverso etiam modo applicatum fuit. Quando enim medii ævi decursu palla separari cœpit a corporali, inceperunt etiam, commoditatis gratia, linteum album duplicare et amyli ope durius reddere; mox etiam pars superior pallæ ornata imo et alia materia cooperta fuit. Qua de re interrogata, S. R. C. decreto 22 Jan. 1701, n. 2067[6] declaravit non licere pallam a superiori parte drappo serico cooperire. Consuetudo tamen ornandi pallam a parte superiori permansit; et quum magis invalesceret usus introducendi inter duplex linum cartam crassiorem — ut apud nos universim obtinet — magis etiam enituit *solum linum inferius fungi munere pallæ,* linteum vero superius esse additamentum quoddam quod calicem nullatenus tangebat. Unde rursus interrogata eadem S. Congr. decr. 17 Jul. 1894, n. 3832[1], antiquum rigorem aliquatenus temperans, declaravit « permitti posse uti palla *ex parte superiori* panno serico aut ex auro vel argento et acu depicta cooperta, dummodo *palla linea subnexa* calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris nec referat aliqua mortis signa » (3).

Iisdem vestigiis inhærens S. R. C. præsenti decreto prohibet quominus palla subnexa, quæ proprie dicta

---

(1) Debent esse corporale et palla « *ex lino* », Miss. Rom. *Ritus*, t. I, n. 1; *De defect.* tit. X, n. 1; aut ex cannabe, Ill. Van der Stappen, *De celebrat. Missæ*, q. 83.

(2) Miss. Rom. *Ritus* tit. I, n. 1; *De defect.* X, 1, ubi verbum « corporalia » in plurali designat tum corporale tum pallam. Permittitur tamen in ora utriusque circumcirca ornatus ex opere textili denticulato. Ill. Van der Stappen, *o. c.*, q. 84, nota; *Ephem. liturg.*, 1889, p. 740; 1906, p. 12.

(3) Cf. Ill. Van der Stappen, *o. c.*, q. 84.

est palla, sit cruce (et a fortiori alio ornatu) munita; et positive requirit ut sit *linea, munda et* insuper sit *facile amovibilis.* Finis hujus ultimi præcepti est ut magis appareat hanc pallam non constituere unum cum panno superiori, necnon ut sæpius amoveri et *mundari* possit, ne pro SS. Sacrificio adhibeantur pallæ vere sordidæ, ut identidem videre est.

C. CALLEWAERT.

E Sacra Congreg. Indulgentiarum

Indulgentiæ adnectuntur nonnullis precationibus (1).

A/ **Duabus peculiaribus orationibus**: S. C. Indulg. 2 Decembris 1905.

1° O clementissime Jesu, gratias ago tibi ex toto corde meo. Propitius esto mihi vilissimo peccatori. Ego hanc actionem offero divino Cordi tuo emendandam atque perficiendam ad laudem et gloriam sanctissimi Nominis tui et Beatissimæ Matris tuæ, ad salutem animæ meæ totiusque Ecclesiæ tuæ. Amen.

Omnibus hanc orationem adjungentibus ad *Sacrosanctæ,* post recitationem Officii divini vel Officii B. M. V., concessit Pius Pp. X die 30 Novembris 1905 indulgentiam tercentum dierum, *semel in die* lucrandam, et plenariam singulo mense sub conditionibus ordinariis.

2° Benedictum sit Cor amantissimum et dulcissimum Nomen Domini Nostri Jesu Christi et gloriosissimæ Virginis Mariæ Matris ejus in æternum et ultra (2).

---

(1) Cfr. *Analecta ecclesiastica*, an. 1906, p. 30 sq.

(2) Gezegend zij in alle eeuwen het allerminnendst Hert en de allerzoetste Naam van Onzen Heer Jezus Christus en van de roemrijke Maagd Maria zijne Moeder. — Béni soit dans les siècles des siècles le Cœur très aimant et le Nom très doux de Notre Seigneur Jésus-Christ et de la glorieuse Vierge Marie sa Mère.

Omnibus recitantibus hanc precationem concessit eadem die Pius Pp. X easdem indulgentias.

B/ **Duabus jaculatoriis.**

1° « Cunctis qui coram SS^mo Sacramento publicæ adorationi exposito recitaverint hanc jaculatoriam : « *Domina Nostra SS^mi Sacramenti, ora pro nobis* (1) ». indulgentiam trecentorum dierum » concessit Pius Pp. X die 30 Decembris 1905. — E Secretaria S. C. Indulg. die 10 Januarii 1906.

Hac invocatione volebat R. P. Eymard, institutor Congregationis SS. Sacramenti, exprimere relationes quæ conjungunt Mariam cum Jesu in Eucharistia (2).

2° *Maria, onze hoop, heb medelijden met ons* (3).

Item indulgentiam trecentum dierum concessit Sanctitas Sua die 3 Januarii 1906. — E Secretaria S. C. Indulg. die 8 Januarii 1906.

Nota. Indulgentia adnexa huic utrique jaculatoriæ non dicitur toties quoties aut semel tantum in die lucranda. In tali casu regula generalis est: quando agitur de indulgentiis partialibus, potest quis eas lucrari quoties recitat precationem (4).

C/ **Orationi pro obtinenda bona morte.**

Zalig de overledenen die in den Heer sterven. O mijn God! het is zeker dat ik sterven moet, maar ik weet niet wanneer, hoe, waar ik sterven zal: dit alleen weet ik, dat ik voor eeuwig verloren ga, indien ik in doodzonde sterve. Zalige Maagd Maria, Heilige Moeder Gods, bid voor mij zondaar nu en in de uur van mijnen dood. Amen (5).

---

(1) Onze Lieve Vrouw van het Allerheiligste Sacrament, bid voor ons. — Notre-Dame du très Saint Sacrement, priez pour nous.

(2) Cf. *Le Très Saint Sacrement*, Janvier 1906.

(3) Ex italico versum. Gallice: Marie, notre espérance, ayez pitié de nous.

(4) Cfr. Beringer, *Les indulgences* (trad. Mazoyer), 1905, T. I, p. 120.

(5) Bienheureux les morts qui meurent dans le Seigneur. O mon Dieu! il est certain que je dois mourir, mais je ne sais pas quand, comment, où je mourrai: je sais seulement ceci, que je suis perdu pour toujours, si je meurs en état de péché mortel. Bienheureuse Vierge Marie, Sainte Mère de Dieu, priez pour moi pécheur maintenant et à l'heure de ma mort. Ainsi-soit-il.

« SS. D. N. Pius Pp. X, in audientia die 14 Decembris 1905,.... istam precationem corde contrito recitantibus, indulgentiam tercentum dierum toties quoties lucrandam concedere dignatus est ».

E Secretaria S. C. Indulg. die 12 Januarii 1906.

Adverte in nulla ex concessionibus supra relatis indulgentias dici applicabiles defunctis. Applicari igitur nequeunt, nisi quis emiserit actum heroicum charitatis (1).

H. Mahieu.

(1) Cfr. Collat. Brug., T. VI, p. 380.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X, EPISTOLA ENCYCLICA AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS, UNIVERSUMQUE CLERUM ET POPULUM GALLIÆ.

DILECTIS FILIIS NOSTRIS
FRANCISCO MARIÆ S. R. E. PRESB. CARD. RICHARD
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI
VICTORI LUCIANO S. R. E. PRESB. CARD. LECOT
ARCHIEPISCOPO BURDIGALENSI
PETRO HECTORI S. R. E. PRESB. CARD. COULLIÉ
ARCHIEPISCOPO LUGDUNENSI
JOSEPHO GUILELMO S. R. E. PRESB. CARD. LABOURÉ
ARCHIEPISCOPO RHEDONENSI
CETERISQUE VENERABILIBUS FRATRIBUS
ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS
ATQUE UNIVERSO CLERO ET POPULO GALLIÆ

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Vehementer Nos esse sollicitos et præcipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causâ, vix attinet dicere; quando ea perlata lex est, quæ quum pervetustam civitatis vestræ cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiæ in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quæ civili societati allaturum est æque ac religioni detrimenta omnibus bonis deplorandum. Quod tamen nemini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicæ moderatores gererent, attenderit. Vobis certe nec subitum accidit nec novum. Venerabiles Fratres, quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas,

Lex de sejungenda civitate ab Ecclesia in Galliis iniqua nimis,

pluribus aliis legibus contra instituta christiana præparata,

alias ex aliis, accepere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem conjugii; dimotam de scholis de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos: disjectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostis: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicandi, propitiato Deo, legumlatorum ac judicum cœtus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in jure dicendis forma speciesque abrogaretur religiosæ rei; ut in judiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicæ, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianæ professionis daret. Jamvero ista quidem et id genus cetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam sejungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto jactos ad plenum discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et præ se ferre non dubitarunt. —

frustrà renitente Apostolica Sede.

Huic tanto malo ut occurreret Apostolica Sedes, quantum in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliæ non destitit, etiam atque etiam considerarent, hunc quem instituissent discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suæ in Galliam indulgentiæ benevolentiæque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui præerant, tamquam injecto officii gratiæque vinculo, retinere in declivi, atque ab incœptis demum abducere. — At hujusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra jura catholicæ gentis vestræ ac vota recte sentientium diu contenderat, expugnavit. Hoc igitur tam gravi Ecclesiæ tempore, ut conscientia Nos officii sanctissimi jubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque Nostrum vobis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam caritate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantius complectimur.

Civitatis rationes a rationibus Ecclesiæ segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. — Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curæ, magnam infert injuriam Deo: qui ipse humanæ societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; propterea que non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. — Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitæ mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quæ est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitæ hominibus proposita, tamquam alienam reipublicæ, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Præterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quæ profecto utriusque societatis, religiosæ et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambæ, tametsi in suo quæque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causæ inter eas sæpe existant ejusmodi, quarum cognitio et dijudicatio utriusque sit. Jamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohæreat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quæ judicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. — Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; hæc enim florere aut stare diu, posthabita religione, quæ summa dux ac magistra adest homini ad jura et officia sancte custodienda, non potest.

Statum ab Ecclesia esse segregandum, sententia maxime perniciosa: quia a/ jus Dei ad cultum socialem denegat;

b/ ordinem supernaturalem repudiat;

c/ funestis concertationibus viam aperit;

d/ separatio ipsi societati civili nociva.

Itaque Romani Pontifices hujusmodi refellere atque improbare opiniones, quæ ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris, Leo XIII, pluries magnificeque exposuit, quanta deberet esse, secundum christianæ principia sapientiæ, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas « quædam, ait, intercedat necesse est » ordinata colligatio, quæ quidem conjunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine » copulantur ». Addit autem: « Civitates non possunt, citra » scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut

Quare illam semper improbarunt RR. Pontifices signanter Leo XIII.

» curam religionis velut alienam nihilque profuturam ab-
» jicere... Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab
» actione vitæ excludere, a legibus, ab institutione adole-
» scentium, a societate domestica, magnus et perniciosus
» est error » (1).

In Gallia præsertim civitatem ab Ecclesia segregare nefas,

Jamvero, si contra omne jus fasque agat quævis christiana civitas, quæ Ecclesiam ab se segregèt ac removeat, quam non est probandum, egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit! Galliam dicimus, quam longo sæculorum spatio hæc Apostolica Sedes præcipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit: Galliam, cujus fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriæ religioni humanitatique christianæ cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex: « Illud Gallia meminerit, quæ sibi cum Apostolica Sede sit,
» Dei providentis numine, conjunctio, arctiorem esse vetu-
» stioremque, quam ut unquam audeat dissolvere. Inde
» enim verissimæ quæque laudes, atque honestissima decora
» profecta... Hanc velle turbari necessitudinem idem foret
» sane, ac velle de auctoritate gratiaque nationis Gallicæ in
» populis non parum detrahi » (2).

signanter ob pactum solemne cum S. Sede initum,

Accedit autem quod hæc ipsa summæ necessitudinis vincula eo sanctiora jubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio ejusmodi intercesserat, cujus ultro et citro constaret obligatio; cujusmodi cæ plane sunt, quæ inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicæ moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quæ pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem jure, ac ceteræ quæ inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, jure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo prudens, suique judicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactionem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil

quod nunc Respublica suo tantum arbitrio rescindit,

(1) Epist. Enc. *Immortale Dei*, data die 1 Nov. an. MDCCCLXXXV.
(2) In alloc. ad peregr. Gallos hab. die XIII Apr. an. MDCCCLXXXVIII.

quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiæ complexu amicitiaque expediat, et insignem Apostolicæ Sedi injuriam imponere, et jus gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes populorum mutuas, quam ut pacta publica sancte inviolateque serventur.

Ad magnitudinem autem injuriæ, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter jure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam civitas altera, quæ hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiarit. Jamvero hic voluntatis hujusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliæ adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quæ vel minimæ cuique minimique momenti civitati præstari solent; neque iidem veriti sunt, quum nationis catholicæ personam gererent, Pontificis, summi Ecclesiæ catholicæ Capitis, dignitatem potestatemque contemnere; quæ quidem potestas eo majorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla potestas postulabat, quod æterna animorum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

sine etiam prævia denuntiatione alteri parti facta.

Sed jam ipsam in se legem considerantibus, quæ modo promulgata est, novæ Nobis multoque gravioris querelæ nascitur causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat ut eam quoque missam faceret et concessa jure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quæ, odiosum privilegium Ecclesiæ irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum judicium et arbitrium unius est sacræ potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, æquitatis justitiæque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam conjecit duram incommodamque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius juribus adversissimam.

Ipsa lex separationis dijudicatur:

a/ offendit constitutionem Ecclesiæ, quà est societas inæqualis.

Nam primum hujus decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum (1), id est societatem hominum, in qua aliqui præsunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi, judicandi potestate (2). Est igitur hæc societas, vi et natura sua, *inæqualis;* duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiæ gradibus collocati sunt et multitudinem fidelium: atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia jus atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Præclare Cyprianus Martyr: « Dominus noster, cujus præcepta metuere et servare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus,* etc. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur; » idque ait « divina lege fundatum » (3). Contra ea, legis hujus præscripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiæ divinitus constitutæ relinquitur, sed certæ cuidam defertur consociationi civium; cui quidem forma ratioque imponitur personæ legitimæ, quæque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa juribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem hujusmodi templorum ædificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum ædibus liberum, licet ad tempus, permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrogare stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causâ. De hierarchia vero silentium est.

---

(1) Ephes. IV, 11 seqq.

(2) Matth. XXVIII, 18-20; XVI, 18-19; XVIII, 17; Tit. II, 15; II. Cor. X, 6; XIII. 10, et alibi.

(3) S. Cypr. Epist. XXXIII (al. XXVII, ad lapsos), n. I.

Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus religiosi, cujus exercendi gratiâ instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* dijudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticæ auctoritati loci relinquatur. Quantopere hæc omnia sint Ecclesiæ aliena dignitati, contraria juribus et constitutioni divinæ, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut jure sint ex ejus interpretatione pejora metuenda.

b/ Ecclesiæ libertatem et independentiam plurimùm lædit.

Præterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiæ. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interjectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem; si in easdem consociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eæque parere alienissimis a jure communi statutis jubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere; si data divini cultus exercendi copia, multiplici exceptione minuitur; erepta Ecclesiæ studio vigilantiæque, custodia templorum Reipublicæ attribuitur; ipsum coercetur Ecclesiæ munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis pœnæ; si hæc et talia sanciuntur, in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abjectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quæ quidem est pars Galliæ multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum jus violetur profitendæ, uti velint, religionis suæ? Quamquam Civitas non comprimendâ solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque definit religionis, Ecclesiam vulnerat; sed ejus etiam vel virtuti beneficæ intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, præter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis ætatis, in christianæ procuratione beneficentiæ præclara adjumenta suppetebant Ecclesiæ: nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

c/ Jus dominii Ecclesiæ proprium violat;

Sane, ad ea quæ conquesti sumus damna et injurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex jus Ecclesiæ sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii, magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quæsiti, Ecclesiam, alte justitia reclamante, deturbat; quidquid rite constitutum sit, addicta pecuniâ in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum jubet esse; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianæ beneficentiæ institutis sustinendis destinarat, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicæ religionis vestigium frustra quæras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiæ juribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum everti. Quod vero per summam injuriam edicit, quibus ædificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen hujusmodi tot tantisque exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehementer præterea timemus sanctitati templorum: neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinæ majestatis domicilia, eademque carissima memoriæ religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul justitiam lædit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod ipsa rei gestæ testantur monumenta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus præbendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratiâ; verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice direptionem benorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiæ studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiæ bona pervenissent, sub ea conditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestæ et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

atque justitiæ obligatione honestæ cleri sustentationi providendi Concordato assumpta Rempublicam solvit.

Postremo, ne illud quidem silebimus, hanc legem, præterquam Ecclesiæ rebus, vestræ etiam civitati non exiguo futuram damno. Neque enim potest esse dubium quin multum habitura sit facultatis ad eam labefactandam conjunctionem et conspirationem animorum, quæ si desit, nulla stare aut vigere queat civitas; et quam, his maxime Europæ temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriæ, salvam et incolumen velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo exploratissimæ erga nationem vestram caritatis eximiæ cepimus hereditatem, quum avitæ religionis tueri apud vos integritatem jurium niteremur, hoc simul spectavimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem concordiamque, cujus nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Quapropter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quæ, concitatis jam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces adjiciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

d/ Ipsi Reipublicæ, disrupta animorum concordia, non exiguum inferet damnum.

Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiæ jura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus, Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritate, sancitam legem, quæ Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus; idque ob eas quas exposuimus causas: quod maxima afficit injuria Deum, quem sollemniter ejurat, principio declarans Rempublicam cujusvis religiosi cultus expertem; quod naturæ jus gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinæ et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiæ; quod justitiam evertit, jus opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quæsitum; quod graviter Apostolicæ Sedis dignitatem ac personam Nostram, Episcoporum Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulgatione ejusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiæ jura, nullâ hominum vi ausuque mutabilia.

Ideo Pontifex legem istam reprobat ac damnat.

Hæc ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis universitati edicere habuimus. — Equidem molestissime, ut

diximus, afficimur, mala prospicientes quæ ab hac lege dilectæ nationi impendent; maximeque commovemur miseriis, ærumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis affligi Nos frangique patiamur, prohibet divinæ benignitatis providentiæque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam Jesus Christus ope præsentiaque sua destituat. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus, Ecclesiæ causâ. Divina est virtutis ejus stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot sæculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitates rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humanâ majorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiæ conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne majorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis publicæ in possessionem dignitatis libertatisque suæ, omnibus plaudentibus bonis, restituant.

Profectò molestissima res ista, sed fidendum divinæ Providentiæ, quæ nunquam Ecclesiæ defuit.

Interea tamen, dum opprimendi exagitandi libido dominabitur, filii Ecclesiæ, si unquam alias, oportet, *induti arma lucis* (1), pro veritate ac justitia, omni qua possunt ope nitantur. In quo vos, magistri auctoresque ceterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque præstabitis, quæ Galliæ Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiæ rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitremur, opportune vobis præscribere; nec dubitandum, quin præscripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis,

Interim Episcopi et sacerdotes consentanee et in spiritu caritatis jura libertatemque Ecclesiæ tueri debent, juxtà normam a Pontifice opportunè præscribendam.

(1) Rom. XIII, 12.

atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem; præceptionem doctrinæ christianæ promovere vulgatioremque facere; errorum fallacias, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cujusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis caritatis officia conferre. — Nec vero elaborantibus vobis non se adjutorem strenuissimum præbebit Clerus vester; quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis promptum paratumque esse novimus, se totum vobis pro Ecclesia sempiternaque animorum salute dedere. Certe autem, qui sunt hujus Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus, « *gaudentes...*, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* » (1). Itaque jura libertatemque Ecclesiæ fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate remota: quin imo, caritatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, æquitate injuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

Adhortatio ad catholicos Galliæ, ut contrà pravas hominum sectas, avitam fidem strenue defendant, abjecto omni discordiæ semine;

Jam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia; vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimæ benevolentiæ, qua gentem vestram diligere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quæ imminent, solatio sit. — Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle nostis: delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quæ avis et majoribus gloriam, patriæ prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta ærumnarum ministrat, pacem tuetur tranquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In hujus defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abjicite igitur, si quæ insident inter vos, discordiarum semina: ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine conjuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propu-

(1) Act. V, 41.

gnanda; atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati judicii jacturam facere. — Omnino magna generosæ virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a præsenti discrimine eripere: in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

clerum generose sustentent;

At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianæ sapientiæ præceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat; et arctissime cum iis cohærere, quorum propria est religiosæ rei procuratio, cum sacerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedite; sed videte, ut fiduciæ vestræ tota ratio in Deo consistat, cujus agitis causam: ejus id circo opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum præsentes cogitatione animoque versabimur; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiæ instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis jactatam fluctibus celeriter, deprecante Maria Immaculata, in tranquillum redigat.

vita vere christiana Religionem honorent, et arctissime cum sacerdotibus, episcopis et Apostolica Sede cohæreant.

Auspicem divinorum munorum, ac testem præcipuæ benevolentiæ Nostræ, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die XI Februarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. X.

Ex S. Congregatione Concilii

De quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione.

DECRETUM.

Sacra Tridentina Synodus, perspectas habens ineffabiles quæ Christifidelibus obveniunt gratiarum divitias, sanctissimam Eucharistiam sumentibus, (Sess. XXII, cap. VI) ait: *Optaret quidem sacro-sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.* Quæ verba satis aperte produnt Ecclesiæ desiderium ut omnes Christifideles illo cœlesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Hujusmodi vero vota cum illo cohærent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit. Ipse enim nec semel nec obscure necessitatem innuit suæ carnis crebro manducandæ suique sanguinis bibendi, præsertim his verbis: *Hic est panis de cœlo descendens; non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt: qui manducat hunc panem vivet in æternam* (Joan., VI, 59). Ex qua comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebræi quotidie refecti sunt, ita animam christianam cœlesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci jubet *panum nostrum quotidianum*, per id Ss. Ecclesiæ Patres fere unanimes docent, non tam materialem panem, corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Jesu Christi et Ecclesiæ, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles, per sacramentum Deo conjuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quæ quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, præcavenda: non autem præcipue ut Domini honori, ac venera-

tioni consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut præmium sit suarum virtutum (S. August. Serm. LVII in Matth. *De Orat. Dom.*, v. 7). Unde S. Tridentinum Concilium Eucharistiam vocat *antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus præservemur* (Sess. XIII, cap. II).

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitæ ac fortitudinis mensam accurrebant. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis* (Act., II, 42). Quod sæculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfectionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Janseniana lue undequaque grassante, disputari cœptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii præ aliis majores ac difficiliores, tanquam necessarias, expostularunt. Hujusmodi disceptationes id effecerunt, ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda cœlesti mensa integri cœtus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio conjuncti.*

Nonnulli tamen in contrariam abierunt sententiam. Hi, arbitrati Communionem quotidianam jure divino esse præceptam, ne dies ulla præteriret a Communione vacua, præter alia a probato Ecclesiæ usu aliena, etiam feria VI in Parasceve Eucharistiam sumendam censebant, et ministrabant.

Ad hæc Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum hujus Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures*, diei 12 mensis Februarii anni 1679, Innocentio Pp. XI adprobante, errores hujusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cujusvis cœtus, mercatoribus atque conjugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, juxta singulorum pietatem et sui cujusque Confessarii judicium. Die vero 7 mensis Decembris anni 1690, per decretum *Sanctissimus Dominus noster* Alexandri Pp. VIII, propositio Baii, purissimum Dei amorem absque

ullius defectus mixtione requirens ab iis qui ad sacram mensam vellent accedere, proscripta fuit.

Virus tamen jansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiæ debiti, haud penitus evanuit. Quæstio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctæ Sedis declarationibus supervixit; quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis Theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate præditi, qui faciliorem aditum præberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiæ præceptum esse circa majores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua.

Quæstiones super hac re diebus nostris adauctæ sunt et non sine acrimonia exagitatæ; quibus Confessariorum mentes atque fidelium conscientiæ perturbantur, cum christianæ pietatis ac fervoris haud mediocri detrimento. A viris idcirco præclarissimis ac animarum Pastoribus SS^mo^ D^no^ Nostro Pio Pp. X enixæ preces porrectæ sunt ut suprema Sua auctoritate quæstionem de dispositionibus ad Eucharistiam quotidie sumendam dirimere dignaretur; ita ut hæc saluberrima ac Deo acceptissima consuetudo non modo non minuatur inter fideles, sed potius augeatur et ubique propagetur, hisce diebus potissimum, quibus Religio ac fides catholica undequaque impetitur, ac vera Dei caritas et pietas haud parum desideratur. Sanctitas vero Sua, cum Ipsi maxime cordi sit, ea qua pollet sollicitudine ac studio, ut christianus populus ad Sacrum convivium perquam frequenter et etiam quotidie advocetur ejusque fructibus amplissimis potiatur, quæstionem prædictam huic Sacro Ordini examinandam ac definiendam commisit.

Sacra igitur Concilii Congregatio in plenariis Comitiis diei 16 mensis Dec. 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit, et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quæ sequuntur statuit ac declaravit:

1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo

Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cujusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiæ sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2° Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram Mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate conjungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.

4° Cum vero Sacramenta Novæ Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, majorem tamen producant effectum quo majores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram Communionem præparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, juxta uniuscujusque vires, conditionem ac officia.

5° Ut frequens et quotidiana Communio majori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiæ reperiatur et recta mente accedat.

6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiæ sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et æternæ felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, juxta probatam Catechismi Romani doctrinam (Part. II, n. 60), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7° Communio frequens et quotidiana præsertim in religiosis Institutis cujusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam

maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8° Si quæ sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel calendariis, Communiones aliquibus diebus affixæ et in iis jussæ reperiantur, hæ normæ tanquam mere *directivæ* non tanquam *præceptivæ* putandæ sunt. Præscriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, juxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi hujus decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SS^mum^ D. N. Pium Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. Dec. 1905, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi jussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Mandavit insuper ut mittatur ad omnes locorum Ordinarios et Prælatos Regulares, ad hoc ut illud cum suis Seminariis, Parochis, institutis religiosis et sacerdotibus respective communicent, et de executione eorum quæ in eo statuta sunt S. Sedem edoceant in suis relationibus de diœcesis seu instituti statu.

Datum Romæ, die 20 Decembris 1905.

† VINCENTIUS Card., Episc. Prænestinus, *Præf.*
C. De Lai, *Secretarius.*

De Seminariorum alumnis.

DECRETUM.

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines jam susceptos exercere eos omnes qui a suo

Episcopo fuerint etiam extrajudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. 1, Sess. 14, de reform,* statuitur:

« Cum honestius ac tutius sit subjecto debitam Præpositis » obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, » quam cum Præpositorum scandalo graduum altiorum ap- » petere dignitatem; ei qui ascensus ad sacros ordines a suo » Prælato ex quacumque causa etiam ob occultum crimen » quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus, » aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus » ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati » voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut » ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, » restitutio suffragetur. »

Cum vero generalis hæc lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non præbeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, juxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris judicio subesse et acquiescere.

At contra sæpe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui præsunt judicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quæritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac denique aliquo exhibito plus minusve sincero ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam sæpissime fit ut Ecclesiæ utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, diœcesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cujus necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum præsentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias conjiciuntur.

His itaque de causis nonnullarum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua Seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis hæc conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret, qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. Pius PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit, accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei XVI mens. Decembris 1905 emisso, præsentibus litteris statuit atque decernit:

1° Ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius diœcesis subditum sive clericum sive laicum in suum Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens judicare de causis, aut determinare utrum juste an injuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti præcludat.

2° Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio Seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut hæc eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic diœcesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in diœcesim, e cujus Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3° Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in diœcesim redire e cujus Seminario dimissi fuerint.

4° Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus ejusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit « *A primis* » die xx m. Julii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, juxta præscripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23, de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta hæc et cautelæ omnes a sacris canonibus in re tam gravi adjectæ, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiæ et sollicitudini quam maxime commendat.

Præsentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ die 22 m. Decembris 1905.

† VINCENTIUS Card., Episc. Prænestinus, *Præf.*
C. De Lai, *Secretarius.*

ANALECTA ASCETICA.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XI, pag. 148).

De imitatione Christi.

In omnibus virtutibus et bonis moribus semper propone tibi illud preclarissimum speculum, et totius sanctitatis exemplar, scilicet vitam et mores Domini nostri IHV XPI, qui ad hoc de celo a patre nobis missus est, ut preiret nos in via virtutum [1], et legem vite et discipline suo exemplo nobis daret, et erudiret nos sicut [2] semetipsum; ut, sicut ad ymaginem suam naturaliter creati sumus, ita ad ejus similitudinem morum per imitacionem virtutis pro nostra possibilitate reformemur, qui ejus ymaginem per peccatum in nobis fedamus [3]. Quantum autem [4] quisque ei in virtutum ymitacione se hic studuerit conformare, tanto ei in patria glorie claritate propinquior erit. Deinde describantur [5] in corde tuo mores et acta ejus, quam humiliter se habuit inter homines, quam benigne [6] inter discipulos, quam modestus in edendo et bibendo, quam misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia et qui ejus specialis familia videbantur; quomodo nullum sprevit vel abhorruit, eciam si leprosus esset, quomodo divitibus non adulabatur, quam liber fuit a curis mundi, nec anxius pro corporis necessitate, quam verecundus in visu, quam paciens ad contumelias et quam mitis in responsione: non enim studuit se vindicare verbo inordinato et amaro, sed blando et humili responso

alterius maliciam sanare. Item, quam compositus in omnibus gestis suis, quam sollicitus pro animarum salute, quarum eciam amore [7] mori dignatus est. Quomodo seipsum prebuit nobis exemplum in omni bono, quomodo mulierum familiaria colloquia vitavit causa exempli, unde discipuli mirabantur quando solus Samaritane colloquebatur, quia quasi insolitum videbatur in ipso. Item, quam paciens tempore [8] laboris et penurie, quam compaciens afflictis. Quomodo condescendens infirmorum imperfectioni, quomodo omne scandalum vitabat. Quomodo peccatores non sprevit et quam clementer penitentes suscepit. Quam planus in omnibus fuit, [9] quam promptus in ministrando, sicut ipse dicit: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Item, quam sobrius ad vigilias, quam obediens parentibus. Quomodo omnem jactanciam et singularitatis ostentacionem declinavit [10]. Et multa talia ipsius acta in memoria tua sint propinqua, ut in verbis et factis quasi in exemplar respicias in eum, stans, sedens, incedens, jacens, comedens et bibens [11], loquens, solus et cum aliis. Ex hoc magis diliges eum et familiaritatis ejus graciam et fiduciam assequeris, et in omni virtute perfectior eris. Hec sit meditacio tua et studium tuum et sapientia tua semper aliquid de ipso cogitare, unde vel provoceris ad ymitacionem ejus, vel efficiaris studiosior ad amorem ejus. Et taliter meditando vel ruminando [12] tempus utiliter expendens, dum occuparis in bonis studiis et divinis erga ipsum Christum, et mores tuos emendas ad formam vite et conversationis ejus, dum in omnibus actionibus tuis ad ipsum semper respicias, qualiter ipse habuit se pro posse tuo perpende secundum tuam estimationem, quia [13] in omnibus

semper optimo modo et perfectissimo se gerebat, quia in omnibus semper optimus est.

---

[1] Q. habet: « ut ostenderet et aperiret nobis viam... » nostram lectionem præferimus, cui consonat ed. 1596.

[2] Loco *sicut* substituit importunus corrector apud Q. *per*, non advertens hic alludi ad Ps. CIV, 22, ubi sensus Vulgatæ huic loco nostro accommodatur, puta, ut erudiret nos, sicut ipse eruditus est a Patre; vel: ut erudiret nos (seu nos doceret esse) sicut semetipsum. Ed. a. 1596 servavit etiam *sicut*.

[3] Forte neglectum fuit signum abbreviationis, et legendum cum utraque ed. quam citare solemus: *fœdavimus*.

[4] Minus recte Q. legit *enim*. Nostro mns. consonat ed. 1596.

[5] In aliis edit. cit. legitur: « Describe (igitur) tibi in corde... »

[6] Q. ponit benignus (fuit), sed necesse non est supplere istud *fuit*, cum melior videatur nostra lectio: humiliter inter homines, benigne inter discipulos, quemadmodum habet et ed. 1596.

[7] Addit Q. inconsiderate *incarnari* et mori, cum de amore Verbi *incarnati* qua tali jam agatur.

[8] Omittit Q. *tempore*, merito, saltem elegantius.

[9] Addit Q.: in omnibus *dictis suis*. Nostro concordat ed. 1596.

[10] Addit quoque Q., quæ in ed. 1596 pariter ac in nostro desunt: « Quomodo omnem gloriam et pompam hujus mundi fugit. »

[11] Loco: et bibens, legit Q.: *tacens et*. Ed. 1596 solummodo habet: « respicias in eum, incedens, sedens, solus et cum aliis. »

[12] Q. minus congrue hic interjicit *et*, quod nec in altera edit. invenitur. Hæc vero, sicut et Q., legit *expendis*. Nostri sensus est: expendens, dum occuparis... et mores..., dum... respicias... perpende...

[13] Ed. a. 1596 hic legit *qui*. Q. vero paulo infra secundum *quia* mutat in *qui*.

*
* *

De vitanda *ostentatione*.

In omnibus que facis vita ostentacionis vicium et jactancie. Esto in omnibus planus, sicut

decet religiosum et pauperem. Non cures incessum vel gestum curialem; nec frangas vocem in cantando, quia si queris placere Deo in cantando, tunc quanto purius et simplicius cantaveris, tanto magis ei placebis. Si queris audientibus placere, inanis gloria est. Si tibiipsi places, vana levitas est. Si edificacionem auditorum queris in cantando, quanto magis fugis vanitatem, tanto magis edificas omnes. Cordis puritatem et devocionem Deus attendit, magis quam vocis sonoritatem [1]. In facile clamabit ad Dominum, talis enim prope est omnibus invocantibus eum in veritate. Intencio tua magis debet esse in divino officio ad hoc, ut ex verbis divine Scripture elicias spiritualem intellectum et devocionis affectum, quam ut curialiter exprimas notas cantando, tibillando [2], vel vocem frangendo exaltes; licet quidam religiosi frustra se obsequium in hoc prestare arbitrantur Deo: quia si delectaret eum vocis sonoritas, tunc eciam ipsa musica instrumenta et avium cantus demulcerent, que satis dulcia sunt suo modo. Puritas cordis et mentis devocio, illa sunt in quibus delectatur Deus. Quidquid est, de quo Deo non est cure, de hoc eciam servo Dei non debet esse multum cure. Sufficiat tibi ad omnem curialitatem, morum et vocis, verborum et vestium, si nil in te appareat quod offendat vel scandalizet intuentes. Nichil enim [3] elatum, nichil lascivum, nichil dissolutum, nichil turbidum [4] impaciencie vel fragilitatis, singularitatis colore notabile in te videatur.

---

[1] Addit Q.: « Unde versus:

Nec vox, sed votum, non chorda musicum sed cor;
Non clamor, sed amor sonat in aure Dei. »

Quæ quidem pro glossemate habemus, neque in edit. 1596 comparent. — Sequentia sic legit Q.: « Facile clamabis ad Deum; Psalmus: *Prope est Dominus,* » etc. Editio vero a. 1596: « facile enim clamabis ad Deum, prope est Dominus » etc. Ubi notamus vocem *Psalmus* additam videri aliena manu in textu Q. Noster scribit: *In facile,* sicut apud auctores bene latinos occurrit *in facili,* pro *facile* adverbialiter; et *clamabit,* nempe *cordis puritas et devotio,* melius quam *clamabis.*

[2] Utraque ed., 1596 et Q., habet *tubando,* quasi tubam imitando, noster vero t'llando, quod legimus tibillando, tibiam imitando; quæ cæterum quoad sensum conveniunt.

[3] Q., sicut et ed. 1596, pergit eadem phrasi: « *si nil elatum* » etc.

[4] Q. solummodo habet: « nil turbidum, vel singularitatis » etc.

*
* *

De *exitu* quam plenus sit periculis.

Cum aliquando te exire contigerit, id tam diu differ, quod tardum te esse desideras ad egrediendum [1], nisi quando obediencia commandat vel alia utilis racio requirit. In domo enim consistere et a turbis hominum semper [2] absconditum latere semper est utile religioso, qui sibi desiderat et Deo vacare. Quicquit devocionis in domo colligit, hoc foris egrediens spargit, pocius quam conservat vel augeat. Unde sepius experti sumus, tam in nobis quam aliis, quod frequens exitus et conversacio cum seculo et occupacio nimia exteriorum negociacionum devocionem extinguit, fervorem spiritus tepefacit, forte propositum virtutis emollit, cor dissolvit, studium proficiendi debilitat, delicias docet amare, tempus sine utilitate expendere, verba ociosa multiplicare, jocis et trufis intendere, oraciones negligere, horas canonicas desidiose et in cursu dicere. Tandem intrant aque temptacionum in navem cordis, per rimas dissolucionum ex devocionis ariditate; et

cum non exhauriuntur per discussionem proprii status et per puram confessionem, nec fortiter obstruuntur rime per diligentem custodiam, paulatim augentur, donec submergant hominem in peccatum et confusionem. Hoc tamen non dicas [3], ut difficilem te reddas ad obedienciam, quando moneris exire; sed non debet tibi esse consolacio, ut evageris [4] extra domum; ita ut quantum in te est, semper domi magis latere libeat, nisi obediencia vel utilitas anime aliud requirat [5].

---

[1] Aliter plane legit Q.: « De eo, qualiter foris te habere debeas, cum exire te domum aliquando contingit, dicere tamdiu differo, ut per hoc advertas, quod tardum te esse desidero ad egrediendum, nisi quando vel obedientiæ cogit mandatum » etc. Quæ sane ratio, differendi sermonem de exitu, longius quæsita et sat puerilis videtur: dum, contra, valde logicus et obvius est sensus in nostro mns., scil. quamdiu potes, differ exitum, quo tardum te esse oportere ad egrediendum sentias, seu brevius: tamdiu differ, quod tardum te esse desideras (quemadmodum reapse desiderare oportet).

Nostro fere consonat ed. 1596: « id aliquamdiu differ, ut per hoc advertas quod tardum te esse oportet ad egrediendum. »

Utraque editio videtur interpretatio quædam textus nostri, ubi, sicut alias sæpius vidimus, constructio phrasis est contracta et quasi prægnans.

Non dubitamus nostrum mns. magis accedere originali. Quod autem omittit initium: « De eo, qualiter foris te habere debeas », id jure merito facit, ut putamus, cum ibi videatur esse titulus capituli, a quodam additus; quod confirmatur ex ed. 1596, quæ, licet similem titulum capitulo præponat, incipit tamen rursus iisdem verbis absolute prolatis, quasi novo titulo: « De eo qualiter te foras extra domum habere debeas. Cum aliquando » etc.

[2] Minus bene Q.: « a turbis et hominibus. » Melius vero omittit *semper*, quod abundare videtur cum eodem statim infra recurrente.

[3] Q. cum ed. 1596 habet: *dico*, sensus haud multum mutatur. Æque bene legitur *dicas*, scil. hoc dictum non invoces ceu prætextum, ut etc.

[4] Minus recte Q.: « sed non debet tibi esse consolatio evagari extra domum. » Putamus enim sensum ab auctore intentum hunc esse: sed, contra, non debet tibi promptitudo obedientiæ esse consolatio (et prætextus), ut evageris.

[5] Addit hic in fine Q.: *melior est enim obedientia quam victimæ*. Quæ nobis indubiam speciem glossematis præ se ferunt, et in ed. a. 1596 quoque desunt.

*
* *

De *modestia oculorum* servanda in exitu.

QUANDO domum egrederis, non multum circumspicias in plateis, ne forte videas unde tempteris postmodum, vel in oracione impediaris, vel fantasias eorum que incaute respexisti in nocte paciaris [1]. David cecidit in culpam adulterii ex incauto visu mulieris, quam forte numquam ante concupivit, nisi postquam eam incaute respexit. Oculi tui sint in capite tuo [2], hoc est, cogitaciones tue versentur circa Dominum Jesum Christum, qui est caput omnium membrorum Ecclesie; ut non consideres eciam que coram te foris sunt, nisi quantum necessitas vie vel utilitas alia requirit. Ita ut, quantum vales, te talem referas domi qualis exieras, hoc est, ita devotus et ita mundus et vacans a rumoribus et amans silencium celle.

---

[1] Q. habet: « vel phantasias contrahas eorum » etc. loco: in nocte patiaris. Edit. vero a. 1596 legit solummodo: « vel impediaris in oratione phantasiis eorum » etc.

[2] Allusio ad *Eccle.*, II, 14. Non est in hoc cap. notabile discrimen inter mns. nostrum et cit. editiones, nisi quod dictio nostri pro more sit magis concisa.

*
* *

De *pace* servanda cum viæ socio.

PER terram vadens, esto pacificus cum socio [1], non contendas de aliquo, eciam si tu melius nosti vel scieris quam ipse [2]. Sed cito cede cum tranquillitate animi et tace, quoniam contencionibus raro emendatur aliquis. Cogita, si tu in te ipso impacificus es, vix vel numquam poteris alium pacificare. Incipe prius a te ipso, et tunc facilius corrigis alium. Quicquid turbatus turbatum doces, magis reputat te ex impaciencia dicere, [3] ut eum pungas, quam ex maturo consilio, ut eum fraterne erudias. Magis edificatur exemplo paciencie tue, quam quibuscumque racionibus tuis, quas ei proponis. Virtus enim [4] vicio non docetur; sic nec per impacienciam potes alium docere pacienciam, nec humilitatem per superbiam. Socialis esto in via, sed non dissolutus, nec [5] oracionis spiritum pro societate extinguas.

---

[1] Hanc interpunctionem, cum ed. 1596, præferimus interpunctioni ed. Q., quæ ponit: esto pacificus; cum socio non contendas. Ratio est, quia totum cap. agit de pacifica conversatione cum socio viæ.

[2] Æque bene ed. 1596: « etiamsi tu melius sentis, quam ille, vel justius noveris. » Q. vero minus apte: « etiamsi tu melius vel plus sentis quam ipse vel justius noveris », quæ videntur ex erronea lectione plurium simul mns. procedere.

Plura in hoc cap. hujusmodi discrimina minoris momenti occurrunt, quæ originem produnt ex lectione alicujus vel aliquorum mns. lectu difficiliorum, aut ex imperitia lectorum.

[3] Q. legit *docere,* haud minus tamen recte noster, cum ed. 1596, habet *dicere.*

[4] Utraque sæpe cit. ed. habet *enim:* « vitium *enim* vitio non docetur. Noster an scripserit *enim* anvero *cum* vitio non docetur dubito, sensus in idem recidit.

[5] Utraque ed. legit: *ne,* eodem in re sensu. Minus vero bene Q.: *per societatem,* quam *pro societate,* ut noster, cum ed. 1596.

***

De oracione in via. [1]

CAPIAS horas ad orandum et ad meditandum, tam in via quam in hospicio. Noli ex toto teipsum negligere, nec cogites quod velis, usquedum domum revertaris, differre: quia si nimis infrigidatus fueris a fervore devocionis, postea difficilius recuperabis [2] eam. Hoc tamen non dico, quod posses te in eadem gracia [3] et devocione plene conservare, sicut in domo; sed ut scias metam, ad quam studium tuum dirigere debes, quantum potes, Deo adjuvante.

---

[1] Titulus hic atramento scriptus invenitur in mns.

[2] Scriptum est *recuperaberis* ita ut litteræ *e* et *r* sint inter duo puncta sibi supposita: voluit scriptor indicare has litteras esse delendas et legendum *recuperabis*. Infra duplex exemplum hujusmodi signi occurrit, ubi significatio indubia est.

[3] In nostro scribitur *gra*, quod legendum *gracia*, nequaquam *gravitate*, quod habent Q. et ed. 1596.

*
* *

De cavendo *scandalo* et omni exemplo non bono, inter homines.

INTER homines quantum in te est cave omne quod non potest eis esse bonum exemplum, sicut decet fidelem servum Dei, qui debet Domini sui honorem promovere, inhonoracionem cavere, ubi potest. Nos enim familia sumus Jesu Christi: et sicut paterfamilias ex disciplina familie sue honoratur, ita scias quidquid inter homines vel fratres facimus, hoc aliquo modo redundat in laudem Domini nostri vel contemptum. Et quia nos specialiter positi sumus inter homines, ut ex nobis edificentur, parum proficient ex verbis nostris, si non edificamus eos bono exemplo; et si non simus tam perfecti ut possimus eis, quantum

debemus, virtutum exempla ostendere, saltem caveamus illa que nos ipsi solemus in aliis religiosis [1] reprehendere: videlicet, ne rumores seculares apud ipsos recitemus vel libenter audiamus, vel delicata cibaria [2] propter nos fieri diligamus, nec nimis mollia vel pomposa et preciosa stramenta; nec ire nec discordie sintillas emittamus, nec scurrilia verba, nec jocos dissolutos moveamus. Et maxime ne amari [3] pro eorum muneribus possimus vocari seu notari: quia ex hoc cito vilescimus apud eos, si viderint nos ea ambire, ea querere et amare eadem [4] quorum contemptum nos eos predicando hortamur.

---

[1] Omittit Q. *religiosis;* id cum nostro habet ed. 1596.

[2] Habent eædem edit. *fercula*, et addunt: *vel (etiam) multa.*

[3] Hic legunt eædem edit. *avari,* eodem sensu, ut notat Forcellini, V° *Amarus*. Sensus est *avidi* munerum.

[4] Legit Q.: « amare et quærere, *ad* quorum. » Ed. vero a. 1596: amare et quærere, quæ contemnere nos eis prædicando hortamur.

*
* *

De *libertate cordis,* et *subjectione* prælatis.

Esto [1] tantum [2] dominus tuiipsius et ne des alteri potestatem cordis tui, nisi Deo et prelato tuo [3]. Esto expeditus ab omnibus alienis affectionibus et occupacionibus, ita quod in nullo prelato tuo aliquando molestus sis, pro licenciis agendi vel exeundi, vel accipiendi vel dandi. Ita ut tam libere arbitrio suo te committas, quod ipse secure dicat tibi: fac hoc, vel dimitte illud, et tu sine murmuracione vel dificultate cordis hoc facias vel dimittas. Alioquin parvam fiduciam possis habere de merito obediencie, quam vovisti Deo in manu vicarii, scilicet prelati tui. Si per impacienciam et importunitatem tuam quasi cogeres eum

licenciare tibi, qua ipse libenter carere[(t) te] vellet tui causa [4], tunc non intrares per ostium, quod est Christus, in ovile sancte religionis : quia non venit facere voluntatem suam, sed patris sui, et ita fur esses et latro. Fur, quia alienam rem, hoc est, propriam voluntatem, quam prelato tuo resignaveras, invito domino usurpares tibi. Latro, quia tali exemplo alios simplices necares. [5]

---

[1] Omisit hic scriptor litteram majusculam E. — Et hoc quidem capitulum in utraque ed. altera postponitur sequenti in nostro, de familiaritate cum fœminis vitanda, idque forte aptius : cum arctius cum præcedente, de omni scandalo cavendo inter homines, cohæreat cap. de familiaritate cum mulieribus cavenda, ut vel textus noster infra indicat, incipiens : Cave *etiam* dum cum fœminis loqueris...; et cum præsens cap., de libertate cordis, post utrumque cap., ubi de conversatione inter homines agitur, proprium locum invenire videatur.

[2] *Tantum,* id est, tu et non alius. Omittitur in ed. 1596, quæ habet solummodo : « Esto tuiipsius. » Q. vero, loco *tantum* ponit : « Esto *custos et* dominus tuiipsius. »

[3] Addit Q.: « propter Deum » ; et ed. 1596 pariter.

[4] Modo valde diverso legit Q.: « Si per... importunitatem cogeres eum servire vel licentiam dare tibi, quo tempore ipse vellet, te carere, tunc... »

Ed. 1596 : « importunitatem quasi cogeres eum licentiare tibi quo ipse vellet te libenter carere. »

Nobis videtur : quo *tempore* esse aliena manu additum non intelligentis *quo :* scil. licentiare illud, *quo,* vel : licentiare, i. e. licentiam dare, *qua.* — Noster videtur scripsisse *careret vellet,* suspicamur errorem et legendum, ut indicamus, *carere te vellet;* vel : *carere vellet,* nempe *qua* (licentia danda) *carere vellet tui causa,* quam licentiam libenter non daret ob tuî bonum. Sic recta sunt omnia.

[5] Multo melius noster, cum ed. 1596, *necares,* alludens ad textum evangelicum, et quod proprium est latronis, quam Q. « ad malum invitares. »

*
* *

De *familiaritate cum fœminis* vitanda.

CAVE eciam, dum cum feminis loqueris, ne vultum earum studiose respicias, vel manus contrectes, vel nimis prope sedeas, nec leviter eis arrideas, non diligenter cum eis susurres, nec angulos ad colloquia earum requiras: quia hec omnia si nil temptacionis tibi ingerunt, tamen non effugies notam suspicionis, eciam aliis ingerunt aliquid [1] et facile infamie maculam potes con[trahere] [2], quam vix postmodum cum pudore poteris detergere. Sic te habe cum omni femina, ac si [3] prelatus tuus apud te sit vel sedeat, considerans et audiens omnia que tu facis vel dicis; vel [4] quicumque superveniat et videat te cum ea loquentem, quod in nullo necesse sit erubescere, nec aliquis possit tibi postea notam suspicionis proponere. [5] Et si consilium meum non spernis, consulo quod numquam singularem familiaritatem contrahas cum aliqua, eciam si religiosa sit et sancta. Quia, excepto periculo carnalis temptacionis, quod ex tali familiaritate sepe incurritur, cum non timetur malum quod latet sub specie boni; excepta eciam macula suspicionis et infamie, quam alii ex hoc sepe concipiunt; sepe magnam generat inquietudinem cordis talis privata affectio, dum semper cupit [6] illi ostendere dilectionem, quam ad illam habet, et hoc ipsum illa vicissim sibi desiderat fieri. Et cum aliquando non fit, dolet et timet quod indignetur illa, et [7] quod minus de eo curet vel pro ipso non oret, et ex hoc tepescat affectus ejus; et econverso [8] eciam illa turbatur, si videt quod aliquando aliam benigne salutat [9] et eam ita benigne non salutat, vel si aliquo tempore differt quod eam non videt vel non salutat, et ymproperat ei quod aliam plus diligat quam eam [10]. Irascitur [11], donec iterum blandiciis

illa placetur et mulceatur. Et multa similia utrobique [12] fiunt, que vere sunt trufe et contra Deum. Et bonus homo [13] non debet ista admittere aliquatenus et cor suum in talibus occupare. Oracio ejus non potest tibi tantum prodesse, quantum occupacio cordis in spiritualibus studiis te potest impedire: quia eciam ejus oracio affectione carnali permixta insipida est coram Deo. Quod autem carnalis sit ista dilectio pro magna parte patet [14], quia te magis vellet apud se esse minus perfectum, ut possit sepe copiam tui habere, quam longius a se manere et plus perfectum esse. Quibus autem indiciis plene [15] discernitur spiritualis dilectio a carnali pretermitto modo, quia nimis retardet nos in aliis. Hec sufficiant tibi. Si vis habere pacem cordis cum Deo et honorem spiritualem inter fratres, tunc a te abscide familiaritatem mulierum. Dilige communiter omnes bonas et devotas mulieres, et in nullo exasperes aliquam ipsarum, reverere eas [16] in corde tuo propter habundanciorem graciam Spiritus sancti in eis; [17] nisi breviter et benigne salutes eas, quando ita occurrerint quod non bono modo eas declinare potes. Cum maturitate oracionibus earum te commende [18] et simpliciter. Si enim discrete sint, ex hoc magis placebis eis. Si importune, tunc melius expedit tibi te non occupare cum eis [19].

---

[1] Hæc: « etiam aliis ingerunt aliquid » omittuntur in utraque ed. sæpe cit.

[2] Scriptor noster vertendo paginam oblitus est complere verbum.

[3] Utraque editio altera addit: acsi *maritus ejus vel* prælatus.

[4] In iis edit. legitur *ut* loco *vel*.

[5] Eædem legunt *impingere*.

[6] Hic et in sequentibus secundam personam ubique substituit Q.: *cupis, habes, doles,* etc. Non ita ed. 1596.

[7] Cit. edit. hic omittunt: *quod minus de eo curet* et invertunt sequentia: *ita quod tepescat affectus ejus et minus oret.*

[8] Certo legendum in nostro: *econverso,* melius quam *e contra* (Q.), *et contra* (ed. 1596).

[9] Omittunt cit. ed. quæ sequuntur: « et eam... non salutat. »

[10] Contra, addit hic Q., non vero altera ed.: *et quod minus ores pro ea.* Quod non videtur ad textum pertinere, siquidem constanter agitur de oratione mulieris pro alio, non econverso.

[11] Omittit Q. phrasim sequentem: *donec* etc. Ed. 1596 habet: « irascitur, *ut iterum blanditiis placetur.* »

[12] Q. omittit: *utrobique,* et paulo infra: *et contra Deum.* Quæ in ed. 1596, sicut in nostro, leguntur.

[13] Addit Q., non vero ed. 1596: *etiam sæcularis, a fortiori Religiosus.*

[14] Q. habet, loco *patet,* « potest homo perpendere in hoc, quod... » Edit. a. 1596: « ex hoc potes intelligere. »

[15] Q. omittit *plene,* quod tamen ed. 1596 quoque servavit, nec immerito, cum jam indicium discriminis faciendi fuerit datum.

[16] Utraque edit. altera legit: « et meliores in corde (tuo) amplius reverere. »

[17] Q. legit: « sed tamen noli te occupare cum eis nisi breviter, et benigne saluta eas. » Quæ speciem habent interpretationis istius concise dicti: nisi breviter et benigne salutes.

[18] Lege: *commenda.*

[19] Addit Q. in fine: « Feminam, quam videris bene conversantem, mente dilige, non carnali dilectione nec corporali frequentatione. »

*
* *

Compendium dictorum.

Ut breviter percurram omnia predicta: esto devotus Deo et cor tuum quantum potes compara [1] cum ipso. Esto prelatis tuis humiliter obediens, nec rancorem contra eos habeas, nec spernas eos, nec judices eos nec murmures de eis.

Esto pacificus cum fratribus, et paciens ad verba dura et reprehensiones. Noli facile judicare quemquam, nec sis suspiciosus. Esto obsequiosus, maxime infirmis et in humilibus obsequiis. Sepissime ora. Esto in coro disciplinatus et intentus Deo. Et in victu discretus [2] et modestus in hiis que corporis necessitas requirit. Esto in cella libenter, fuge verba ociosa. Plane et jocunde [3] loquere. Modeste responde. Sis verax valde. Verba tua sint sine [4] juramento. Nulli detrahas nec eciam libenter [5] audias. Odium contra nullum teneas. Non sis elatus in verbis et in moribus. Pecuniam repudia [6]. Paupertatem sanctam ama. Fuge in omnibus mulieres. Omnes honores hujus seculi nichil estima [7]. Compaciens esto afflictis. Castus sis in omnibus. Et [8] quicumque secutus fuerit hanc regulam pax Jhesu vivit in eo. Amen.

---

[1] Legunt ambæ ed. aliæ: *occupato*, loco *compara*, i. e. conforma, conjunge.

[2] Q. legit: in victu discrete modestus et in his, quæ corporis... Edit. vero a. 1596: in via discrete modestus etiam in his quæ corporis.

[3] Q.: Plane loquere, modeste jucundus, verax valde. Similiter ed. 1596.

[4] Q.: *sicut* juramentum. Nostro consonat ed. 1596.

[5] Q. loco *libenter* legit *detrahentem*. Edit. 1596 sicut noster.

[6] Utraque editio alia habet: *odito*.

[7] Hæc phrasis: « Omnes honores » etc. deest in iisdem edit.

[8] Pariter deest hæc conclusio: *Et quicumque* etc. Edit. tamen a. 1596 habet: *Et salvus eris. Amen.*

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii

I

Explica Heb. IX, 11-14.

II

An et cur admittenda est in Christo, a primo instanti suæ incarnationis, visio Dei intuitiva?

III

Determina præceptum ecclesiasticum annuæ confessionis, exponendo quosnam et quandonam urgeat.

IV

Expone significationem et efficaciam 1/ formulæ absolutionis a censuris absolutioni sacramentali præmittendæ; 2/ formulæ « Passio Domini nostri Jesu Christi », absolutioni sacramentali subjungendæ.

V

Quanam ratione formam absolutionis sacramentalis oportet esse indicativam et non deprecatoriam?

VI

Expone circa quasnam res aut actiones spirituali annexas licitum sit pacisci pro pretio temporali.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

Q. Dijudica hoc effatum Loisy: « Autant que l'on peut en juger, Irénée n'avait rien appris de Polycarpe, et Polycarpe ne savait rien de particulier sur l'origine des écrits johanniques, tout au moins de l'Evangile ». (*Le quatrième Evangile*, Paris, 1903, p. 26, s.).

Respondetur. *Hoc effatum Loisy erroneum est neque ejus argumenta certum S. Irenæi testimonium in favorem authentiæ IV Ev. ullo modo infirmant. Quod ut clarius pateat proponemus I ipsum S. Irenæi testimonium; II argumenta Loisy; III responsum ad has difficultates.*

I. **Testimonium S. Irenæi.** Testium qui apostolicam scriptorum Joanneorum, in specie IV Ev., originem asserunt auctoritatem perpendenti, facile patebit primarium omnino esse S. Irenæum, episcopum Lugdunensem. (? 125-202? 208). Etenim S. Irenæus prope ad apostolicam ætatem ascendit; ex Asia proconsulari probabiliter oriundus, primam vitæ partem in Asia minori (ubi certò scripta Joannea edita fuerunt) degit; episcopus Lugdunensis factus, cum orientalibus ecclesiis vitæ commercium servavit (1). Ut vel ex solo opere doctoris Lugdunensis « Adversus Hæreses » nobis servato abunde liquet, vir fuerit magnæ eruditionis et scientiæ, ejusque veracitas extra omne dubium ponenda apparet (2).

---

(1) Ut ex *epistola Irenæi ad Victorem* Pontificem apparet. Eus. *Hist. Eccles.* V, 24, 16.

(2) Cf. W. Harvey, *Opera S. Irénée*, Cantabrigiæ, 1857, T. I, p. CLIII ss.; Gouilloud, *S. Irénée et son temps*, Lyon 1876; Bardenhewer, *Patrologie*, Freiburg i. B. 1894, p. 119 ss.; Zahn, *Geschichte des neutestamentlichen Kanons*, Erlangen und Leipzig, I (1888); Opusc. nostrum, *S. Irénée et le Canon du Nouveau Testament*, Louvain 1896, p. 5 ss.

Jamvero S. Irenæus omnia scripta Joannea eidem auctori, apostolo scil. Joanni, Zebedæi filio adscribit (1). De origine IV Ev. et Apocalypseos expresse mentionem habet. Ità scribit: « Postea et Joannes discipulus Domini, qui supra pectus ejus recubuit, et ipse edidit Evangelium, quum Ephesi in Asia commoraretur » (2); et de Apocalypsi ait: « Neque enim ante multum temporis visa est, sed pene sub nostro sæculo, ad finem Domitiani imperii » (3).

S. Irenæus autem cum Joanne apostolo connectitur imprimis per S. Polycarpum Smyrnæ episcopum, quem ipse in Asia sectatus erat, quemque Joannis apostololi discipulum nominat (4); deinde per Papiam, cujus opus perlegit et quem pariter apostoli Joannis discipulum vocat (5). Sæpissime præterea ad « presbyteros » appellat, quos apostolorum, in specie Joannis apostoli discipulos vocat (6): quæ presbyterorum testimónia non omnia ad auctoritatem Polycarpi et opus Papiæ restringenda videntur (7).

E quibus patet testimonium S. Irenæi in Joannea quæstione accurate et fiducialiter propositum, summi momenti esse et authentiæ IV Ev. aperte favere. Nec

---

(1) Cf. *S. Irénée et le Canon du N. T.* p. 26 ss. S. Irenæus 115 citationes a IV Ev. hausit adducto sæpe nomine auctoris; I Jo. et II Jo. explicite Joanni apostolo tribuit (*Adv. Haer.* III, 16, 5 et 8); III Jo. quidam non citat: verùm ex hoc solo deducere non licet Irenæum hanc epistolam non ut apostolicam, neque ut canonicam habuisse, cùm in brevi suo tenore vix aut ne vix quidem textum polemicum « Adversus Hæreses » proponendum præbeat. Cf. etiam GUTJAHR, *Die Glaubwürdigkeit dus Irenäischen Zeugnisses über die Abfassung des vierten kanonischen Evangeliums*, Graz, 1904, p. 1 ss.

(2) *Adv. Haer.* III, 1, 1; 11, 1.

(3) *Ibid.* V, 30, 3.

(4) *Adv. Haer.* III, 3, 4 et *Epist. ad Florinum*, apud Eus. *Hist. Eccl.* V, 20, 4 ss.

(5) *Adv. Haer.* V, 33, 4.

(6) *Adv. Haer.* Præf.; I. 1; I, 13, 3; III, 17, 4; 23, 3; IV, 27-32; II, 22, 5; V, 5, 1; 30, 1; 33, 3; 36, 1, 1.

(7) Cf. Dissert. nostram: *De quarti Evangelii Auctore*, Pars I, Lovanii 1899, p. 109 ss., GUTJAHR, *o. c.*, p. 44 ss.

ità mirandum si, ante s. XIX, illud in dubium vocaverit nemo.

II. **Sententia Loisy ejusque argumenta.** Nuperrime Loisy, in pluribus cum aliis auctoribus consentiens (1), valorem historicum testimonio S. Irenæi abjudicare aggressus est. Ità scribit l. c.: « On doit le (Irénée) considérer comme le témoin de l'opinion communément reçue dans l'Eglise au temps où il vivait, non comme un témoin hors de pair, qui aurait été instruit par Polycarpe de tout ce que celui-ci devait connaître, sur les œuvres de Jean, par ses rapports immédiats avec l'apôtre. Autant que l'on peut en juger, Irénée n'avait rien appris de Polycarpe, et Polycarpe ne savait rien de particulier sur l'origine des écrits johanniques, tout au moins de l'Evangile... La tradition... reste... inexpliquée, du moment que la chaîne testimoniale des trois noms Jean-Polycarpe-Irénée se trouve rompue ».

Varia argumenta a Loisy ad sententiam suam stabiliendam allata huc redeunt: 1° S. Irenæus ne verbum quidem habet de adjunctis in quibus IV Ev. exaratum fuit (2); 2° Irenæus errare potuit circa Joannem magistrum Polycarpi et Papiæ (3). 3° Error eo facilius accidere potuit quod Irenæus, natus c. a. 135-140, non

---

(1) A. Harnack, *Die Chronologie der altchristlichen Literatur bis Eusebius.* T. I, Leipzig 1897, p. 322 ss., 657, 668 : Kreyenbühl, *Das Evangelium der Wahrheit,* T. I, Berlin, 1900; J. Réville, *Le quatrième Evangile. Son origine et sa valeur historique.* Paris, 1901 etc.

(2) « On sait déjà que ce grand témoin (Irénée) de l'authenticité johannique n'a rien à dire sur les circonstances dans lesquelles le quatrième Evangile a vu le jour ». *O. c.*, p. 25.

« Il n'est pas téméraire d'affirmer qu'Irénée ne tient de son origine asiatique, de ses rapports avec Polycarpe et les chrétiens d'Asie mineure, aucun renseignement particulier sur l'Evangile johannique », *o. c.*, p. 26. « On ne peut alléguer en sa faveur (en faveur de l'attribution du IV Ev. a Jean, qu'il soit disciple ou apôtre) ni Polycarpe, ni Papias, ni aucune autorité antérieure à l'an 150 ». *Ibid.* p. 28. Quoad hoc ultimum assertum v. Resp. I mensis præc. (*suprà* p. 150 ss.) ubi hoc aliud effatum Loisy confutavimus : « Ignace, Papias, Polycarpe, Justin n'ont sans doute pas regardé le quatrème Evangile comme apostolique » (*o. c.*, p. 133).

(3) *O. c.*, p. 28 et 35 : « Il y a des chances pour qu'on ait substitué dans la tradition Jean l'Apôtre à Jean l'Ancien, disciple du Seigneur ».

fuerit discipulus proprie dictus Polycarpi † 23 Feb. 155, sed, dum erat puer, eum aliquoties tantum concionantem audiverit (1).

III. Utrùm peculiaris Irenæi in Joannea quæstione auctoritas, paucis suprà delineata, intacta maneat ex seqq. **respp. ad argumenta Loisy** elucescet.

Ad 1m. Dato, non concesso, Irenæum ne verbo adjuncta indicare in quibus IV Ev. conscriptum fuit, non statim fundata suspicio ignorantiæ vel erroris menti ingeritur circa ejus testimonium: « Joannes apostolus IV Ev. conscripsit ». Libri etenim conscriptio est factum quod, ut alia facta historica, testimonio debitis conditionibus stipato, comprobari potest. Quonam verò jure ab Irenæo expostulatur ut omnia conscriptionis adjuncta minutissime indicaverit? Si de loco, temporis articulo, scribendi scopo penitus taceret, numquid jure merito ipsi fides denegaretur ubi IV Ev. auctorem Joannem apostolum fuisse asseverat? Equidem non existimo: ea res agitur ut scil. auctoris nomen certo cognoverit; reliqua adjuncta ignorare, vel cognita quavis de causa, etiam nobis penitus ignota, omittere potuit.

At de dictis adjunctis Irenæus non penitus tacet: testatur enim Joannem « discipulum Domini, qui supra pectus Domini recubuit » IV Ev. « *edidisse* quum *Ephesi in Asia* commoraretur ». Imò et *scopum* auctoris indicat, cùm expresse declaret Joannem voluisse « per evangelii annuntiationem auferre eum, qui a Cerintho inseminatus erat errorem, et multo prius ab his qui dicuntur Nicolaitæ » (2). Locum, tempus, scopum scribendi docet, et nihilominus fidenter proclamat

---

(1) « De rapports suivis, d'einseignement de maître à disciple, il n'est pas question. Irénée était encore trop jeune pour être vraiment le disciple de Polycarpe, et il ne prétend pas l'avoir été. Il est le témoin de la tradition ecclésiastique dans les années 160-200 ». *Ibid.*, p. 27 s. n. Idem fere tenet Harnack, *l. c.*

(2) *Adv. Haer.* III, 1, 1 et 11, 1.

Loisy : « On sait déjà que ce grand témoin de l'authenticité johannique n'a rien à dire sur les circonstances dans lesquelles le IV Ev. a vu le jour ! ». Ipse Loisy tempus ac locum silentio præterire videtur dum, ad scopum quod attinet, Irenæo fidem denegat, cùm tamen multi auctores (1) et meritò quidem (2) Irenæo consentiant.

Ad 2m. Certum est Irenæum, quotiescumque Joannis Ephesini, auctoris IV Ev. mentionem facit, semper *apostolum* Joannem intelligere. Quod et ipse Loisy fatetur : « Il est certain qu'Irénée entend désigner, ici (*Adv. Hær.* V, 33, 4) et partout ailleurs où il parle du maître de Polycarpe, l'apôtre Jean » (3). Certum est præterea reliqua testimonia antiqua ex Asia, imo ex Epheso, oriunda, asserere Joannem Ephesinum, IV Ev. auctorem, fuisse *apostolum* (4). Quem unanimem consensum ipsi Alogi (qui soli in prisca Ecclesia, sed ex præjudicata opinione dogmatica (5) originem apostolicam scriptorum Joanneorum negarunt) implicite sed haud obscure, fatentur (6). Traditio illa unanimis in ipsis ecclesiis vigens in quibus Joannes conversatus est, cujusque testes plures ad ipsam Trajani ætatem (in qua obiit magnus patriarcha Ephesinus) pertingunt, omne prudens dubium et substitutionis possibilitatem excludere videtur. In specie S. Irenæus, circa personam Joannis Ephesini haud facile errare potuerit, quum, ut sub I statuimus, vario nexu cum

---

(1) Inter quos vel ipse Harnack (*o. c.*, p. 680, n. 2) reperitur.

(2) Cf. *De quarti Evangelii Auctore*, P. II (Brugis, 1900) p. 282 ss.

(3) *o. c.*, p. 8, n. 3.

(4) Cf. *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, passim. Conf. in specie testimonium S. Justini, Polycratis, Martyrium Polycarpi etc.

(5) Alogi fervidi omnino adversarii Montanistarum erant, ità ut Montanistas ab Ecclesia repellere vellent, omnemque prophetiam, Spiritum sanctum ejusque charismata rejicerent. Scripta autem Joannea quibus Montanistæ ad sua placita stabilienda abutebantur, Alogi repudiabant eaque a Cerintho conscripta fuisse contendebant. Cf. *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 145-189 ; Rose, *Rev Bibl.* 1897, p. 216 ss. ; Zahn, *Geschichte des neutestamentlichen Kanons*, passim ; Nouvelle, *L'authenticité du quatrième Evangile et la thèse de M. Loisy*, Paris 1905, p. 34 ss.

(6) Apud S. Epiph. *Haer.* LI, 4 ; cf. *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 165 s.

ipso cohæreret. Ait tamen Loisy (1): « Il y a des chances pour qu'on ait substitué dans la tradition Jean l'apôtre à Jean l'Ancien, disciple du Seigneur ». Cui difficultati:

a/ Responsum generale opponimus. Etenim existentia Joannis Ephesini *presbyteri*, magna auctoritate pollentis et a filio Zebedæi distincti, testimoniis historicis tardioribus et ità infirmis nititur ut incerta ac rejicienda appareat. Presbyter ille ab Apostolo distinctus ab Eusebio, procœmium operis Papiæ mente præjudicata interpretante suscitatus fuit (2). « Presbyter Joannes » apud Papiam est ipse Joannes apostolus (3).

Sed etiam illi qui presbyterum Joannem revera exstitisse autumant (4), non eo ipso commutationis probabilitatem admittunt, idque jure merito. Etenim, attenta traditione Ephesina eaque facto ipsi fere coæva (5), personarum substitutio a Loisy aliisque supposita, in tot tantasque incidit difficultates ut revera impossibilis dicenda appareat (6).

b/ Ut vel de solo Irenæi testimonio loquamur, non erravit ubi *Papiam* Joannis *apostoli* auditorem et Polycarpum Joannis *apostoli* discipulum vocat (7). Eusebius qui « Exegeses » Papiæ perlegit Irenæo contradicit, Papiam Joannis presbyteri auditorem appellans (8). Sed, ut jam vidimus, Eusebius existentiam Joannis presbyteri ex præjudicata opinione admisit, procœmium operis Papiæ erronee intellexit, et in Chronico suo ad a. 99 Papiam apostoli auditorem nominat. Præterea non solus Eusebius opus Papiæ legit; alii enim ut

---

(1) *o. c.*, p. 35. Eodem fere modo arguit HARNACK, *o. c*, p. 677.

(2) *Hist. Eccl.* III, 39.

(3) Cf. *De quarti Evangelii Auctore,* P. I, p. 88.; GUTJAHR, *o. c.*, p. 148.

(4) V. g. CALMES. *l'Evangile selon S. Jean*, Paris, 1905, p. 22 ss.; GWATKIN, *Contemp. Review*, 1897, p. 225 s.

(5) V. g. testimonium S. Justini, Polycratis, etc.

(6) *De quarti Evangelii auctore,* P. I, p. 142 ss.; GUTJAHR, *o. c.*, p. 148 ss.

(7) *Adv. Haer.* III, 3, 4; *Epist. ad Flor.* (EUS. *Hist. Eccl.* V, 20, 4 ss); *Epist. ad Vict.* (EUS. *o. c.* V, 24, 16).

(8) *Hist. Eccl.* III, 39.

Andreas Cæsareæ, Anastasius Sinaita, Maximus Confessor et probabiliter Georgius Hamartolus illud præ manibus habuerunt omnesque Papiam cum *apostolo* Joanne connectunt (1). Ad *Polycarpum* quod attinet, ipse Eusebius cum universa traditione Irenæo aperte adstipulatur.

Cæteroquin quomodo Irenæus circa Joannem de quo sæpius ipsi locutus fuerat Polycarpus, errare potuisset? Numquid solum Polycarpum audivit? Nonne et alios vidit qui cum Joanne Ephesino conversati erant! Nonne et coævos ac discipulos Polycarpi cognovit? An illorum nullus de magistro Polycarpi sermonem habuit? Rite animadvertit Van Hoonacker: « Il est certain... qu'Irénée... n'est pas arrivé à la vieillesse sans avoir eu l'occasion, sans s'être vu obligé, de contrôler ses souvenirs personnels par le commerce avec d'autres personnages » (2). Præterea, universa traditio Ephesina testimonium S. Irenæi firmissime roborare apparet.

Præfata commutatio igitur apud S. Irenæum non est quærenda. Ergo jam apud Polycarpum substitutio facta fuerit. Sed quomodo quis serio hoc contendere possit profecto non videmus (3): etenim Joannes usque ad Trajani tempora vixit et Polycarpus natus a. 68-69 diu (4) cum ipso conversatus est. Ergo Joannes Ephesinus, Papiæ et Polycarpi magister, fuit *apostolus*.

Ad 3m. *Irenæus fuit S. Polycarpi discipulus proprie dictus*. Quænam fuit Irenæi cum Polycarpo vitæ consuetudo non ex solo traditionis testimonio discimus, sed probabiliter ex ipso opere *Adversus Hæreses* (5) et

---

(1) Cf. *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 123 ss. CLAUDIUS APOLLINARIS, Episcopus Hierapolitanus et forsan Papiæ successor immediatus IV Ev. Joanni Apostolo tribuebat (Eus. *Hist. Eccl.* IV, 21 et 26).

(2) *Rev. Bibl.* 1900. p, 246.

(3) Cf. GUTJAHR, *o. c.*, p. 152 ss.

(4) *Epist. ad Vict.* (EUS. *Hist. Eccl.* V, 25 16). Præterea quæstiones statim positæ de S. Irenæo etiam de Polycarpo recurrunt.

(5) IV, 27-32 ubi auctoritatem « senioris Apostolorum discipuli » pluries invocat S. Irenæus: ille « presbyter » probabiliter fuit S, Polycarpus. Cf. *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, 110 ss.

potissimum ex *epistola Irenæi ad Florinum* quem apud Polycarpum Smyrnæ cognoverat, et qui in provectiori ætate ad Valentianismum deflexerat. Excerptum ab Eusebio servatum quo Irenæus Florino memoriam pristinæ fidei a Polycarpo acceptæ renovat, ex integro in notatione subjicimus (1).

Ex hoc textu elucet Irenæum intimum et satis diuturnum cum Polycarpo habuisse commercium: plura indicia hoc omnino suadent (2). Non expresse quidem declarat « fui discipulus Polycarpi », sed idem modo æquivalenti asserit et ad Florinum convincendum multo aptiori (3). « Sermones » seu Conciones Polycarpi « ad multitudinem » a reliqua doctrina haud obscure secernit.

---

(1) Eus. *Hist. Eccl.* V, 20. Textum latinum juxta edit. W. Harvey, *o. c.*, II, p. 671 ss. citamus: « Hæc dogmata, Florine, ut parcissime (*sive* levissime) dicam, non sunt sanæ doctrinæ; hæc dogmata Ecclesiæ non sunt consona, et in maximam impietatem eos conjiciunt qui illis assentiuntur: hæc dogmata ne quidem hæretici extra Ecclesiam positi proferre unquam ausi sunt; hæc dogmata hi, qui ante nos exstitere Presbyteri, quique Apostolorum discipuli fuere, minime tibi tradiderunt. *Vidi enim te,* cum adhuc puer essem (παῖς ὤν ἔτι), in inferiore Asia *apud Polycarpum, cum in imperatoria aula splendide ageres, et te illi probare conareris.* Nam ea quæ tunc gesta sunt, melius memoria teneo, quam quæ nuper acciderunt: (quippe quæ pueri discimus, simul cum animo ipso coalescunt, eique penitus inhærent); *adeo ut et locum dicere possim, in quo sedens beatus Polycarpus disserebat, processus quoque ejus et ingressus, vitæque modum et corporis speciem, sermones deinde quos ad multitudinem habebat;* et familiarem consuetudinem, quæ illi *cum Johanne* ac reliquis qui Dominum viderant, intercessit, ut narrabat, et qualiter dicta eorum commemorabat, quæque de Domino ex ipsis audiverat, de miraculis illius etiam ac de doctrina, quæ ab iis, qui Verbum vitæ ipsi conspexerant, acceperat Polycarpus, qualiter referebat, *cuncta Scripturis consona.* Hæc jam tunc temporis per Dei clementiam, quæ mihi obtigit, studiose audiebam, non in charta, sed in corde meo ea consignans, et semper per Dei gratiam ea mente revolvo. Atque in conspectu Dei contestari possum, beatum illum et apostolicum Presbyterum, si tale quid audivisset, *exclamaturum sane, ac obturatis auribus suis, pro more dicturum fuisse: Deus bone, quæ me in tempora reservasti, ut hæc sustinerem! atque ex loco ipso effugiturum, in quo sedens vel stans, ejusmodi sermones audivisset.* Sed et ex epistolis ejus id liquido probari potest, quas sive ad vicinas ecclesias misit, eas confirmans, sive ad quosdam fratres, admonens illos atque exhortans ».

(2) Loca præcipua litteris italicis excudi curavimus.

(3) Cf. *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 135; — Gwatkin, *l. c.*; Gutjahr, *o. c.*, p. 131; Van Hoonacker, *Rev. Bibl.* 1900, p. 246.

Irenæus natus est probabiliter a. 125-130 (1). Polycarpum sectatus est dum « puer » erat, « in prima juventute » (*Adv. Hacr.* II, 22, 5). Verùm pueritiam et juventutem (ἡλικία) apud antiquos multo latius extendi quam apud nos, neminem latet. Irenæus verisimiliter Polycarpum in itinere romano ad Anicetum comitatus fuerit, et Romæ docuerit (2) ubi Polycarpus a. 115 martyrium subiit (3). Polycarpum ergo post primam ætatem audierit. Sed etiam dato, non concesso, Irenæum post ætatem illam Polycarpum non amplius vidisse, hoc saltem certum est, eum tunc magistrum esse sectatum quando ejus doctrinam rite intelligere, eamque ut « in cunctis Scripturis consonam » apprehendere potuerit. Quod abunde sufficit ut Irenæum Polycarpi fuisse discipulum, adeoque ipsum circa « Joannem, » magistrum Polycarpi non errasse jure merito concludamus.

A. Camerlynck.

II

Q. *Expone quomodo potuerit Christus* ut homo *cognoscere se esse Deum.*

R. Prænota hìc agi de *possibilitate* habendæ prædictæ cognitionis, non de facto, utrum illam habuerit Christus; præterea sermo est de medio quo potuerit *primo* innotescere Christo homini se esse Deum, non inquirimus utrum illa cognitio potuerit esse objectum triplicis scientiæ quam theologi agnoscunt in Christo.

Sic definito quæstionis sensu respondemus: Christus ut homo potuit cognoscere se esse Deum vel *revelatione*, vel *visione beatifica*, non aliter.

---

(1) Cujus asserti probatio longius nos duceret. Cf. Labourt, *l. c.*; Gutjahr, *o. c.*, p. 134 ss.; *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 122 ss.

(2) Gutjahr, *o. c.*, p. 145 ss. *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, p. 137 s.

(3) Ità Ligthfoot, Harnack, Zahn, Funk, Corssen, Ehrhard, Gutjahr, etc. Hilgenfeld martyrium 26 Martii 165 ponit.

Explicatur responsio. 1. Unio Verbi cum humana natura est unio in persona, est unio secundum *esse* tantum: hypostatica enim unione efficitur ut humana natura *existat* per esse personale secundæ Personæ SS. Trinitatis, ita ut ex hac unione constituatur persona una duas habens naturas. Sed hac unione, præcise ratione sui spectata, nulla additur humanæ naturæ perfectio, nullum novum principium agendi, nullus habitus, nulla operatio. Naturæ in Christo sunt et remanent realiter distinctæ, nulla datur operatio quæ *physice* una eliciatur a duabus naturis, sed unaquæque natura operatur quod ipsi proprium est.

Ideo intellectus humanus Christi nequit habere *conscientiam* divinitatis, nec scientia naturæ divinæ propria potest communicari intellectui humano Christi. « Christus, ait *S. Thomas*, cognovit omnia per scientiam divinam operatione increata, quæ est ipsa Dei essentia: Dei enim intelligere est sua substantia... Unde hic actus non potuit esse animæ humanæ Christi, cum sit alterius naturæ. Si igitur non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia, præter divinam, *nihil cognovisset* (1). Intellige: si non fuisset in anima Christi aliqua alia scientia, diversa a scientia divina, quæ non fuit in anima Christi, hæc anima nihil cognovisset.

Anima ipsiusmet a Christo cognoscitur per suas operationes, sicut contingit in aliis hominibus, et Christus naturaliter cognoscit se esse hominem sicut singuli homines hoc de seipso cognoscunt. Sed nec *natura* divina unita humanæ, nec *esse* divinum per quod existit hæc humana natura, possunt directe percipi intellectu Christi humano naturaliter operante: ratio est quia humana natura assumpta remanet in se ipsa ac si existeret per esse suum proprium.

2. Sicut solus Deus est efficiens causa unionis hypostaticæ, ita solus Deus necessario hanc cognoscit, nec

---

(1) III, Q. IX, a. 1 ad 1.

aliis hæc innotescere potest nisi in quantum Deus hanc manifestat. Porro hæc manifestatio Christo-homini fieri potest vel per ipsam *visionem beatificam*, vel per *revelationem*, non aliter.

Per visionem intuitivam Christus-homo essentiam Dei ejusque opera in hac essentia intueri potest: ideo in divina essentia intueri potest se esse Deum.

Per revelationem *immediatam:* Deus potest animæ Christi directe veritatem aliquam manifestare, sive per infusionem specierum intelligibilium, sive per aliud medium, simulque signo seu miraculo ostendere se, Deum, loqui: tunc potest Christus *credere* hoc quod dicit Deus. In hac hypothesi potuisset Christus *credere* se esse Deum; notemus autem bene hoc quod, in hac hypothesi, *fide* tenuisset Christus se esse Deum: quod cognitionis genus, qua cognitio est, est physice possibilis in intellectu Christi, supposito quod non adsit visio Dei intuitiva. Sed, utrum dignitati Christi non repugnet alibi dicemus.

Hoc de revelatione *immediata*, sed quid dicendum de *mediata*. Supponamus Deum in antiquo fœdere revelasse Messiam futurum esse Deum (1) et signa indicasse quibus ut Deus dignosci posset Messias: Christus, quum illam veritatem a Deo revelatam addidicisset et crederet, deinde quum cognovisset signa distinctiva Messiæ in se verificari, potuisset scire, h. e. credere, se esse Deum. De mera possibilitate physica talis cognitionis, supposito quod non adsit visio beatifica, non est dubitandum. Idem dicendum de qualibet revelatione quæ *mediate* innotesceret Christo, posito, v. gr., Matri Jesu revelatum fuisse Christum esse Deum et ipsam filio suo dixisse hanc veritatem.

Adnotatio. 1. Dici nequit: « Christus *sua propria*

---

(1) De facto non constat utrum *divinitas* Messiæ fuerit sufficienter manifestata in Antiquo Fœdere ut possit dici vere revelata. Cf. Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, 2e Edition, Paris, 1905, p. 37-54.

virtute edidit prophetias et patravit miracula, quæ operationes soli Deo convenire possunt: ergo per talem experientiam cognoscere potuit Christus se esse Deum ».

Nam Christus ut homo non potuit habere in se virtutem *perfectivam* miraculi: quum hæc virtus non sit nisi *voluntas* efficax Dei; Christus, ut homo, operando miracula, erat *instrumentum* Dei, et omnis homo potest esse instrumentum Dei ad operanda miracula. Imo, ut videtur, Christus, operando miracula, est causa instrumentalis dispositiva ordinis *intentionalis* (1): consequenter hæc virtus miraculorum non est aliquid *physici* in Christo.

Veritates, quæ fuerunt objectum prophetiarum, non potuit Christus ut homo naturaliter cognoscere, quum sint hujusmodi veritates soli Deo notæ, sed tantum per revelationem vel visionem intuitivam.

Præterea in hac sententia, quam rejicimus, Christus non cognovisset se esse Deum nisi a tempore quo fecisset miracula.

2. Nec dici potest: « alii homines videntes miracula et opera mirabilia Christi debebant concludere ipsum esse Deum; ergo Christus hoc de se ipso admittere debebat ». Nam ex solis Christi operibus poterant homines forsitan suspicari illum esse Deum, sed non plena certitudine cognoscere; nam merus homo, specialiter a Deo adjutus, poterat facere, quæ fecit Christus; sed quia ipse Christus *dicebat se esse Deum* et suam doctrinam confirmabat miraculis, ideo poterant et debebant homines firmiter credere ipsum esse Deum: affirmatio autem Christi de sua divinitate præsupponit ejus de hac re cognitionem internam.

3. Nec admitti potest sententia *Loisy:* hic auctor agit directe de modo quo cognoverit Christus se esse Messiam, sed admittit, ut videtur, conscientiam Christi

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. VI, p. 443.

de sua filiatione divina præcessisse et ex illa provenisse conscientiam de sua messianitate (1).

« Deux questions inégalement claires, ou inégalement obscures, sont ici a distinguer: celle de ce que Jésus croyait être et a déclaré qu'il était; celle du *travail intérieur* qui l'avait *amené* à cette *conclusion*. Sur le premier point la discussion critique des sources évangéliques peut fournir des indications suffisantes. Sur le second, on ne peut faire que des conjectures, d'après ce que l'on sait du premier » (2).

« Quant à *l'origine* de la *conscience messianique* dans l'âme de Jésus, on ne peut la déduire sûrement des textes. La tradition la plus ancienne paraît l'avoir expliquée ou figurée au moyen d'une révélation qui se serait (sic) produite à l'occasion du baptême dans le Jourdain. Il peut y avoir là un *effet de perspective* (?!), bien que cette circonstance du baptême ait marqué sans doute un moment décisif dans la carrière du Sauveur. En tout cas la distinction que l'on voudrait introduire entre la conscience *filiale* et la conscience *messianique* est absolument gratuite. La tradition primitive ne l'a pas soupçonnée; et la critique moderne, si un intérêt théologique n'avait été en jeu, ne l'aurait peut être pas soupçonnée davantage. Autre chose, en effet, est le *sentiment* filial qui inspire la vie intérieure de Jésus, et autre chose la *conscience réfléchie* de son rôle providentiel..... Le critique peut conjecturer que le *sentiment filial* a *précédé* et *préparé* la *conscience messianique*, l'âme de Jésus s'étant élevée par la prière, la confiance

(1) Cf. Lepin, *o. c.*, p. 187. — Ratio scribendi prædicti Loisy recte dijudicatur his verbis. « La pensée est flottante, embarrassée, nuageuse, l'expression souvent imprécise, et l'idée se dégage d'ordinaire avec une peine extrême. Rien ne produit une impresssion plus fâcheuse que le contraste entre le ton tranchant des affirmations les plus inattendues et l'absence complète de preuves et de logique ». Portalié, *Le dogme et l'histoire, Bulletin de littérature ecclésiastique*, Janvier 1904, p. 64.

(2) Loisy, *L'Evangile et l'Eglise*, Paris, 1902, p. 49. — Nos sublineamus vocabula majoris momenti ad auctoris exponendam sententiam.

et l'amour, au plus haut degré d'union avec Dieu, en sorte que *l'idée de la vocation messianique a couronné comme naturellement ce travail intérieur....* » (1).

Non omnia, quæ in hoc textu refutanda sunt, notabimus, sed ad nostram quæstionem sufficit animadvertere Loisy nobis proponere Christum amantem valde Deum, ut Patrem, et ex hoc ardenti amore *connaturaliter* cogitasse, se esse Messiam.

Sed quisnam est valor *objectivus* talis ideæ? Nullus prorsus. Si ex mero amore suo putaret Christus se esse Messiam, se haberet tamquam *hallucinatum*, qui, abductus phantasia, se fingit aliqua dignitate, vel missione insignitum. — Nec apparet quomodo illa sententia differat ab explicatione blasphema quam exhibebat *Renan* et de qua recte dicit *Lepin* (2): « Ce qui apparaît le plus clairement, à qui veut froidement analyser, sous l'enveloppe séduisante du style, l'argumentation du critique-rhéteur, c'est que, tout en affectant de repousser hautement le mot de folie, il retient néanmoins en partie la chose. C'est ainsi qu'à propos de la persuasion qu'a le Sauveur d'être en rapport intime avec Dieu et le Fils de Dieu, Renan a cette insinuation perfide: *Le fou côtoie ici l'homme inspiré* (3).

J. Van der Meersch.

III

Q. *Ostende Christum Dominum esse præsentem in SS. Eucharistia modo non dimensivo, abstrahendo ab omni relatione cum loco et spatio.*

Respondetur.

Ostendendum est Christum Dominum in Eucharistia esse præsentem modo non dimensivo, præsentia nempe

(1) Id. *ibid.*, p. 55-56.
(2) *O. c.*, p. 159.
(3) *Vie de Jésus*, p. 80.

extra ordinem posita commensurationis quantitativæ, seu abstrahente ab omni contactu quantitativo cum corporibus ambientibus, per modum scilicet substantiæ; aliis verbis ostendendum est Christum, *cum corpore* suo *dimenso*, non contineri, in SS. Sacramento, localiter seu circumscriptive: neque sub dimensionibus remanentibus panis, neque sub dimensionibus corporum species eucharisticas ambientium.

Et quidem 1°/ quod spectat **substantiam** corporis Christi:

a/ nullatenus continetur circumscriptive *sub dimensionibus panis*, sed sub illis præsens est per modum substantiæ: « Succedit enim substantia corporis Christi in hoc substantiæ panis; unde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter, sed per modum substantiæ, ita nec substantia corporis Christi » (1); sese habet nempe substantia corporis Christi ad accidentia panis remanentia, præterquam quod non est subjectum inhæsionis, eo modo quo ad illa sese habebat substantia panis, adeoque uti tota in toto et tota in singulis partibus (2).

Nec *b*/ continetur circumscriptive *sub dimensionibus corporum species ambientium*, sicuti ante conversionem continebatur circumscriptive substantia panis. Substantia namque panis corporibus ambientibus, tanquam loco, præsens erat per proprias suas dimensiones, adeoque per modum quantitatis, nequaquam autem ita præsens sistitur substantia corporis Christi: hæc enim non est subjectum inhæsionis accidentium panis, et signanter quantitatis, nec adeo dimensionibus panis remanentibus afficitur, nec proinde corporibus ambientibus

---

(1) S. Thomas, P. III, qu. LXXVI, art. 5. Quæ verba S. Thomæ sua fecit Catech. Conc. Trid., *De Eucharistiæ Sacramento*, n. 44: « Cum igitur panis substantiæ corpus Domini nostri succedat, fateri oportet ad eumdem plane modum in sacramento esse quo erat panis substantia ante consecrationem ».

(2) Cf. suprà exposita, apud *Collat. Brug.*, T. XI, p. 171 et seq.

præsens est secundum earum proprium modum adessendi.

2°/ Ipsæ **dimensiones** corporis dominici, seu corpus Christi, uti est dimensum, non continentur localiter et circumscriptive, sive sub dimensionibus panis sive sub dimensionibus corporum species ambientium, sed per modum substantiæ sunt ibidem præsentes. Quod egregie vindicat S. Thomas (1): « Dicendum quod modus essendi cujuslibet rei determinatur *secundum id quod est ei per se,* non autem secundum id quod est ei per accidens: sicut corpus est in visu secundum id quod est album, non autem secundum id quod est dulce, licet idem corpus sit album et dulce: unde et dulcedo est in visu secundum modum albedinis non secundum modum dulcedinis. Quia igitur *ex vi hujus sacramenti (et per se)* est in altari substantia corporis Christi, quantitas autem dimensiva ejus est ibi *concomitanter et quasi per accidens*, ideo quantitas dimensiva corporis Christi est in hoc sacramento non secundum proprium modum (ut scilicet sit tota in toto et singulæ partes in singulis partibus), sed per modum substantiæ, cujus natura est tota in toto et tota in qualibet parte ».

Quocirca Auctorem *De Euch. mirabilibus* audi clarius adhuc forsitan disserentem: « In sacramento autem vi conversionis non est nisi substantia corporis Christi, quamvis ex consequenti et per concomitantiam sit ibi propria quantitas, et sint ibi propriæ dimensiones et alia propria accidentia corporis Christi, sicut est ibi anima rationalis et ipsa divinitas. Prædicta autem accidentia sunt tamen ibi mediante substantia. In aliis autem corporibus et locatis et situatis accidit e contrario: quia videlicet substantia est in loco et in situ mediante quantitate, et ideo in eis substantia et subjectum sequitur proprias dimensiones et propriam

(1) Loc. cit., art. 4, ad 1m.

quantitatem; sed in hoc sacramento fit e contrario: ista enim conversio est tantum substantialis et ideo transubstantiatio vocatur. Et ideo quantitas et dimensiones et alia accidentia corporis Christi comitantur et sequuntur ipsam substantiam nec occupant plus de loco et situ quam ipsa substantia sicut suprà dictum est: manet tamen sub quantitate et dimensionibus, quæ ante conversionem inerant ipsi pani, quia accidentia non mutantur ».

Ex quibus sequitur corpus Domini præsens esse in SS. Eucharistia per modum substantiæ, nec ullatenus esse in loco localiter et circumscriptive, illudque abstrahere ab omni contactu quantitativo cum dimensionibus hostiæ et corporum species ambientium. Non contingit proinde locum *directe et ratione sui* corpus Christi, et non est præsens in loco quem occupant accidentia panis, nisi *indirecte tantum* et mediantibus dimensionibus *alienis*, dimensionibus scilicet panis remanentibus. Hæ nempe dimensiones sunt in loco localiter, et quia in illis continetur Christus realiter præsens, sortitur, mediantibus illis dimensionibus, habitudinem ad corpora species ambientia, vi cuju habitudinis dicitur et est realiter præsens in illo loco; nullo autem titulo ibi est localiter: dimensiones enim panis, uti diximus, sunt alienæ cum in Ipso non inhæreant nec adeo eum afficiant (1).

---

(1) Inde est quod remanentia illa accidentium panis in Christi Corpus transsubstantiati, sit conditio sine qua non ad præsentiam Christi in Eucharistia. « Si enim, uti docet S. Thomas, *Summa Contra Gentiles*, L. IV, cap. 63, substantia panis in corpus Christi converteretur et panis accidentia transirent, ex tali conversione non sequeretur quod corpus Christi, secundum suam substantiam, esset ubi prius fuit panis; nulla enim relinqueretur habitudo corporis Christi ad locum prædictum. Sed quum quantitas dimensiva panis remanet post conversionem, per quam panis hunc locum sortiebatur, substantia panis in corpus Christi mutata, fit corpus Christi sub quantitate dimensiva panis, et per consequens locum panis quodammodo sortitur, mediantibus tamen dimensionibus panis ».

Et nota, juxta datam explicationem, Christum Dominum in Eucharistia dicto modo adesse cum quantitate dimensiva, eaque actuali, cum integra statura ac organismo perfecto. Equidem, quomodo hujusmodi præsentia non dimensiva conveniat corpori actu dimenso, mysterium est altissimum, ac positive intelligi nequit, cum talis modus adessendi transcendat naturalem modum a nobis cognitum: naturaliter enim substantia corporea directe comparatur ad locum *mediantibus propriis dimensionibus,* et harum sequitur præsentiam, dum hic, in sacramento corpus Christi dimensum directe comparatur ad locum *mediante substantia,* et hujus modum adessendi sequitur (1); attamen possumus intellectu percipere nullam evidentem contradictionem involvi, uti infrà adhuc latius ostendetur, et simul salvamus præsentiam Christi totius et integri, absque ulla status vel staturæ imminutione (2).

---

(1) Cf. citationem ex opusculo, *De Euchar. mirabilibus,* modò desumptam. Cf. etiam S. Thomam *In IV Sent.,* Dist. X, qu. I, art. II, qu. 3, ad 2: « Quia dimensiones corporis Christi non sunt ibi ex vi sacramenti, sed solùm ex eo quod concomitantur inseparabiliter substantiam, constat quod contrario ordine sunt ibi dimensiones propriæ corporis Christi et dimensiones locati corporis in loco.

(2) Sola differentia quam ponimus inter Christum, uti est in Eucharistia, et Christum, uti est in cœlo, unice reponitur in diversa habitudine ad corpora ambientia, quæ differentia est mere extrinseca, uti jam notavimus, apud *Collat. Brug.*, T. XI, p. 168. Porro plures auctores aliter explicant præsentiam Christi eucharistici, uti jam innuimus suprà, quasi nempe reduceretur corpus Christi et colligeretur ad punctum indivisibile. « Itaque, uti notat Billot, *De Ecclesiæ Sacramentis*, T. I, p. 410, necesse habuerunt prædicti theologi privare ipsum Christi corpus in sacramento existens, omni dimensione actuali. Ne autem cogerentur etiam auferre ab eo propriam quantitatem..., debuerunt consequenter asserere quantitatem corporis Christi adesse quidem in Eucharistia, sed sine formali effectu magnitudinalis extensionis. Verum, quia iterum absurdum est ponere formam sine suo formali effectu, saltem primario atque immediato, ideo tandem... duplicem quantitati formalem effectum attribuerunt, primarium unum, secundarium alterum. Primarius dat substantiæ corporeæ solummodo *aptitudinalem* dimensionem in longum, latum et profundum; secundarius vero *actualem.* Quo posito, aiunt secundarium illum effectum virtute divina suspendi in sacramento, et hoc

IV

Q. *Explica, attento illo modo præsentiæ, nullam involvi repugnantiam in hoc quod Christus præsens sit in SS. Sacramento totus et integer, quodque idem ac indivisus Christus præsens sit in cœlo.*

Prænotandum. Frustra aliquis tentaret, uti jam monuimus, *proprio conceptu* intelligere modum quo Christus Dominus præsens est in Eucharistia, vel præsentiæ eucharisticæ intrinsecam positive demonstrare possibilitatem; aliis verbis reconditur hîc altissimum mysterium (1), et omnis explicatio mysterium dissipans eo ipso probaretur inepta. Attamen possumus *negative* vindicare hujusmodi præsentiæ possibilitatem, ostendendo non posse probari ejus repugnantiam adeoque impossibilitatem intrinsecam.

Respondetur.

Ad I/ Non repugnat Christum Dominum totum et integrum, et signanter Christi corpus actu dimensum, cum statura et organismo perfecte constitutum, contineri in parva hostia, imo in quantumvis minima ejusdem particula.

Ratio est præcise in hoc quod Christus præsens sistitur in hoc sacramento *per modum substantiæ,* quodque proprium est hujusmodi præsentiæ, quemadmodum jam plus semel vidimus, ut res tali modo præsens tota

---

modo remanet ibi corpus Christi quantum, et nihilominus actu indimensum ».

Qua in explicatione ægre salvatur propria ratio quantitatis, nec satis videtur quomodo verificetur Christum esse totum et integrum in sacramento, non minutum et organis instructum.

(1) Dogma præsentiæ realis est de numero veritatum, quæ, uti dicit Concilium Vaticanum, *Constit. dogmat. de fide catholica*, cap. 4, « ex intrinsecis principiis naturali lumine notis intelligi aut demonstrari non possunt, sed suapte natura intellectum creatum sic excedunt ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contexta, et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac vita mortali peregrinamur a Domino ».

sit in toto et tota in qualibet parte, adeoque indifferenter sese habeat sive ad totum vel ad partes, sive ad magnum vel ad parvum.

Aliis verbis apparens contradictio oritur ex eo quod *imaginamur* corpus Christi esse præsens sub hostia consecrata, modo quo cognoscimus corpora dimensa naturaliter adesse in loco, localiter nempe et circumscriptive seu per contactum quantitatis: quo modo si Christus foret præsens in Eucharistia, non negamus contradictionem involvi in ejus præsentia sub hostia ejusdemque particula. Atvero ipsa contradictionis radix subtrahitur, ponendo Christum esse præsentem in modum substantiæ, ac mediante substantia directe comparari ad dimensiones specierum, adeo ut extra ordinem commensurationis ponatur, ac abstrahat ab omni contactu quantitativo, indifferenter sese habens ad magnum vel ad parvum.

Ita docet CATECH. CONC. TRIDENT., loc. cit., n. 44: « Christum Dominum ea ratione in Sacramento esse non dicimus, ut magnus aut parvus est, sed ut substantia est.... nemo vero dubitat substantiam æque in parvo atque in magno spatio contineri. Nam et aeris substantia totaque ejus natura sic in parva ut in magna aeris parte, itemque tota aquæ natura non minus in urnula, quam in flumine, insit necesse est ».

Quam doctrinam Auctor *De Eucharistiæ mirabilibus*, cap. 3, comparatione illustrat cum præsentia animæ in corpore, vel imaginis in oculo aut in speculo: « Anima, nostra... est tota in toto corpore; et ita magna in corpore infantis sicut in corpore gigantis: quia propter corporis augmentum et diminutionem, seu alicujus membri truncationem, ipsa anima non minuitur vel augetur: et tamen est tota in toto et tota in qualibet ejus parte, nec exceditur nec excedit. Si homo non potest perfecte intelligere de seipso, quod tamen tam philosophi infideles quam etiam doctores catholici verum esse indubitanter affirmant; non est mirum si hoc

perfecte non potest intelligi in hoc dignissimo sacramento ».

« Item tam longa est longitudo turris sicut ipsa turris, et tam lata quam lata est latitudo, et grossities ita grossa: sed species et figura turris tota comprehenditur in oculo et recipitur, qui est parvus... Si ergo hoc est mirabile et est certum, non est incredibile corpus Christi posse contineri sub hostia tam parva, quamvis hoc perfecte intelligere nequeamus. Et sicut dictum est de oculo, ita potest dici de speculo, in quo videt quilibet manifeste, quod in parvo speculo apparet maxima civitas, et imago maximi hominis, et montis, et cœli. Dic ergo mihi quomodo potest hoc esse, et ego dicam tibi quomodo in dominico sacramento est illud. Deus enim voluit in utroque ita esse ».

Quam comparationem cum imagine in oculo et in speculo cave ne sic intelligas, quasi præsentia Christi realis in sacramento sit identificanda cum præsentia speculari in speculo; sed comparatio unice instituitur circa hanc notam negativam abstractionis ab omni contactu quantitativo cum corporibus dimensis et inde consequentis indifferentiæ ad magnum vel ad parvum: quod utrumque obtinet tam in præsentia sacramentali quam in præsentia speculari, licet, uti patet, ex diversa ratione procedat.

Objiciet forsitan aliquis corpus Christi, si præsens est in Eucharistia etiam qua dimensum et organicum, habere partes extra partes determinate distantes, siquidem uti arguit S. Thomas, P. III, qu. LXXVI, art. 3, ad 2^{m}, de ratione est corporis organici determinata distantia singularum partium ab invicem, sicut oculus ab oculo, et oculi ab aure; unde videtur corpus Christi dimensum et organis instructum non posse sese indifferenter habere ad magnam vel ad parvam dimensionem hostiæ.

Cui objicienti pulchre respondet S. Thomas, loc. cit.: « quod illa determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitate dimensiva ipsius:

ipsa autem natura substantiæ præcedit etiam quantitatem dimensivam: et ideo, quia conversio substantiæ panis directe terminatur ad substantiam corporis Christi, secundum cujus (substantiæ) modum proprie et directe est in hoc sacramento corpus Christi, talis distantia partium *est quidem in ipso corpore Christi vero;* sed *non secundum hanc distantiam comparatur ad hoc sacramentum,* sed secundum modum substantiæ ». Cf. *In IV Sent.,* Dist. X, qu. I, art. II, qu. 4ª, ad 3ᵐ (1); et art. III, qu. 1ª, ad 2ᵐ (2); collato etiam S. BONAVENTURA, *In IV Sent.,* Dist. X, P. I, qu. 4, ad 2ᵐ, et qu. 5ª, ad 1ᵐ (3).

II/ Non repugnat eumdem ac indivisum Christum esse præsentem in cœlo et in SS. Eucharistia, idque per innumera loca.

Et quidem 1°/ repugnaret utique corpus Christi simul esse in pluribus locis *localiter* seu circumscriptive: nam, uti docet S. Thomas (4) « aliquod corpus esse localiter in aliquo loco nihil est aliud quam corpus circumscribi et comprehendi a loco secundum commensurationem propriarum dimensionum. Quod autem comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco quod nihil ejus

---

(1) « Quamvis enim non sit accipere ordinem partium corporis Christi secundum comparationem ad partes hostiæ, tamen est accipere ordinem ipsarum partium ad invicem in corpore Christi secundum propriam quantitatem,... nec tamen sequitur quod dicamus corpus Christi confusum, quia ordinem habent partes in se; sed secundum ordinem illum non comparantur ad dimensiones exteriores ».

(2) « Etsi partes (corporis Christi) non distinguantur secundum positionem *in loco,* distinguuntur tamen secundum distinctionem in toto; et ideo non est ibi confusio, quia ibi est positio, quæ est ordinatio partium in toto ».

(3) « Caro Christi, uti loquitur ALGERUS, *De Sacramentis corporis et sanguinis dominici* (Ed. Ill. Malou, 1847). L. I, c XIV, quæ super omnem creaturam a Deo exaltata est, super omnem et præter omnem naturam insignita est: ut per omnipotentiam quæ ei data est in cœlo et in terra, ubicumque, quomodocumque sibi placuerit, non de loco ad locum transeundo, sed ibi, ubi est, remanendo, et alibi ubicumque voluerit existendo, tota et integra et substantialiter sit in cœlo et in terra ».

(4) *Quæstiones quodlibetales,* III, qu. 1ª, art. 2°.

est extra locum illum: unde ponere quod sit localiter in hoc loco, et tamen ponere quod sit in alio loco (localiter) est ponere contradictoria esse simul » (1).

Atvero omnis evidens contradictio removetur, si, uti hic obtinet, idem corpus Christi est in uno loco, cælesti scilicet, circumscriptive et in modum quantitatis, et in alio loco, in sacramento nempe, in modum substantiæ, ita nimirum ut, pro modo quo est sub sacramento, non tantùm de se neget circumscriptionem, sed extra ordinem et genus ponatur contactus quantitativi ab eoque omnino abstrahere censeatur.

Nec magis implicat quod unum et idem corpus *diverso modo* sit præsens, in uno loco *dimensive* et in alio indimensivè: hæ namque duæ præsentiæ, uti suprà vidimus, sese invicem non excludunt, cum sibi invicem non sint in eodem genere oppositæ, sed in diverso genere ponantur, ac adeo possint uni eidemque, pro diverso loco, convenire (2).

Neque, uti pariter jam notavimus, ille duplex modus adessendi, dimensivus in cœlo et indimensivus in sacramento, aliam differentiam importat inter Christum, uti in cœlo est et Christum uti est in sacramento, quam differentiam extrinsecam tantùm.

2°/ Quod autem valet de præsentia sacramentali *sub*

---

(1) Cf. Billot, *op. cit.*, p. 419-420: « Asserere, ait, quod unum idemque corpus potest esse *localiter* in pluribus locis.... idem est ac asserere quantitatem determinatæ magnitudinis posse constituere, sine suo augmento, dimensiones duplo vel centuplo majores, quod quidem tunc tantum verum erit. quando verum erit nutare prima principia matheseos, et unicubitale commensurari posse bicubitali ». In eumdem sensum confer Remer, *Summa prælectionum philosophiæ scholasticæ*. Prati, 1895. II, p. 142; De Maria, *Philosophia peripatetico-scholastica*, Romæ, 1893, II, p. 100 ss.

(2) « Ideo, uti scite advertit Billot, *op. cit.*, I, p. 416, cum dicitur *dimensivo* et *indimensivo modo*, ne accipias, quæso, hos duos modos quasi *contrarie* oppositos; quod quidem tunc esset si ly *indimensivum* sumeretur *privative*, in ipso ordine dimensionum. Sic enim foret absoluta repugnantia, quia nihil potest contineri alicubi per modum extensi et alibi per modum puncti ».

una hostia, et in uno loco, concurrenter cum præsentia Christi in cœlo, id etiam valet de præsentia sacramentali *sub pluribus hostiis et in innumeris locis.* Manet idem et identicus Christus quantumvis multiplicetur præsentia ejus eucharistica in pluribus locis; quia in variis illis locis præsens sistitur Christus non localiter, sed per modum substantiæ, extra ordinem commensurationis quantitativæ.

Quæ ut aliquatenus illustrentur, non inepte forsan recurritur ad analogiam, supra non semel adhibitam, cum speculo ac præsentia speculari. Ita sume speculum: persona coram speculo sistens dimensive præsens in suo determinato loco, incipit esse præsens præsentia speculari in speculo, et, si plura apponuntur specula apte disposita, pluries reddetur ita præsens quin ejus identitas inde detrimentum patiatur ullum.

Quæ comparatio, ut hoc rursus instanterque moneamus, non instituitur nisi secundum notam illam negativam abstractionis ab omni contactu quantitativo, cum, in se spectata, præsentia Christi realis toto cœlo distet a præsentia hujusmodi speculari.

Neque dicatur Christum, uti est in Eucharistia in uno loco, distare a Christo eucharistico in alio loco præsente, ac proinde Christum a Christo dividi. Distantia namque localis non cadit in Christum, utpote non localiter præsentem, sed in solas species panis Christi corpus continentes: distat nempe una hostia, sub qua Christus est præsens, ab alia hostia Christum continente, non autem Christus a Christo.

« Et potest afferri exemplum de tempore, quia sicut attenditur quædam localis distantia qua aliquid per interjecta spatia dimensionum separatur ab altero, ita attenditur quædam temporalis distantia qua una res per interjectum temporis motum distat a præterito vel futuro. Sicut igitur impossibile est ut Deus temporaliter distet a quacumque parte durationis temporaneæ, quia non coexistit tempori per modum temporis, ita impos-

sibile est ut aliquid localiter distet a quacumque parte spatii, si sit in loco non per modum loci » (1).

Nota:

1°/ Ex dictis sub II vides Christum esse præsentem in Eucharistia *non definitive,* quemadmodum jam notavimus suprà, *Collat. Brug.,* T. XI, p. 170. Nullatenus enim restringitur ejus præsentia ad unum determinatum locum, sed potest multiplicari in variis locis, pro multitudine consecrationum quæ fiunt, quatenus nempe semper potest in pluribus locis consecrari panis et transsubstantiari in Christi corpus, ita ut in majori semper numero locorum sacramentaliter constituatur præsens. Quæ sufficiunt ut illicò appareat summa differentia cum modo quo Deus, ratione immensitatis suæ, non definitive sit præsens: « Divinitas enim est in omnibus locis non definitive, propter infinitum excessum suæ virtutis, cui nullus potest respondere effectus adæquatus; quia igitur semper excedit sua propria virtute loci terminos, nullibi est totaliter et nullibi continetur. Contrà, modus adessendi in sacramento non definitivus, fundatur in hoc quod semper possunt assignari nova convertibilia extrinseca in corpus Christi; quo fit ut, sicut ex parte ipsius nulla est ratio cur, *pro hoc genere præsentiæ,* ad certum locum restringatur, ita etiam est in eo perfecta indifferentia ad hoc ut per hunc modum sit vel nullibi » (2).

Quam differentiam suo modo exponit S. Bonaventura, *In IV Sent.,* Dist. X, P. I, art. unic., qu. III: Notandum docet « quod corpus Christi est individuum, et individuum in quod plura convertuntur secundum se. Quia individuum est, est in cœlo tantum in proprio et definitivo loco. Quia vero in ipsum plura convertuntur, non habet terminum substantiæ limitatum ad unum locum, sed extendit se ad locum conversionis. Et quia

(1) Billot, *op. cit.,* T. I, p. 421.
(2) Ibidem, p. 425.

loca conversionis non possunt esse omnia nec unum solum, imo plura, quantum ad hoc nec immense est sicut Deus, nec omnino definitive sicut aliquod individuum, sed medio modo, sicut Deus secundum modum essendi per gratiam non est in omnibus sed in pluribus » (1).

2°/ Nuperrime nova prodiit explicatio præsentiæ sacramentalis, eum potissimum in finem proposita ut removeatur omnis contradictio a multiplicatione simultaneæ præsentiæ Christi in SS. Eucharistia (2). Nimirum Auctor, nomine Koch (3), reducit præsentiam illam Christi Domini ad præsentiam *moralem*, ita ut non aliter foret Christus præsens sub speciebus eucharisticis quam rex seu imperator præsens censetur in legatis suis. Sicut nempe rex sibiipsi substituit personam legati ac legatum honorari jubet quasi regis personam gerentem, pari modo Christus Dominus sibimetipsi substituit panem et vinum, quibus honorem jubet referri quasi ipsi Christo.

Quæ substitutio, quemadmodum in legato peragitur per voluntatem regis illum legatum constituentem, ita et in Eucharistia obtinetur per voluntatem Christi verbis consecrationis manifestatam.

Hæc explicatio profectò eludit omnem difficultatem quæ posset occurrere in multipræsentia sacramentali; atvero, præterquam quod mysterium tollit, apertissime contradicit dogmati, a Synodo Tridentina definito, asserenti Christi corpus vere, realiter et substantialiter in

---

(1) Ibidem, ad 2m : « Posito autem per impossibile quod tantum essent tria loca (et quod in illis tribus præsens foret Christus); tunc dicendum quod esset ubique, sed non sicut Deus, quia Deus est ubique propter suam immensitatem, unde nulli potest abesse; sed corpus Christi esset ubique propter locorum paucitatem ».

(2) Præ cæteris consuli potest HOURCADE, apud *Bulletin de littérature ecclésiastique*, 1905, pp. 267-291; cf. etiam *Revue du Clergé français*, T. XLII, p. 186 et seq.; *Rev. ecclés. de Metz*, 1906, p. 114; *Revue Augustinienne*, 1906, p. 184 et seq.

(3) *Annales de philosophie chrétienne*, Dec. 1903, Jun. et Nov. 1904.

sacramento contineri (1), adeo ut mirum videatur in illa sententia confutanda tantopere inhærere periodica nonnulla.

V

Q. *Ex eodem illo modo præsentiæ crue Christum Dominum, uti est in SS. Eucharistia, nulli mutationi seu motui locali esse obnoxium, illumque nec tangi posse nec videri corporaliter.*

Respondetur.

I/ Aliquid potest moveri *per se* vel *per accidens:* movetur *per se* quando motus illud afficit directe et immediate; movetur *per accidens* quando movetur ratione alterius rei quæ per se movetur. Moveri autem per accidens contingit *dupliciter:* vel ita ut res per accidens mota participet de motu alterius rei, ratione cujus movetur, sicut nos quiescentes participamus de motu orbis circa solem volventis; vel ita ut res quæ per accidens movetur nullatenus particeps fiat motus seu mutationis localis susceptæ in altera re per se mota, sed unice sortiatur, ratione mutationis illius alterius rei, aliam atque aliam habitudinem ad corpora ambientia.

Jamvero Christus Dominus hoc altero tantum modo moveri potest per accidens. Ut enim aliquid sive per se et immediate motu locali afficiatur, sive etiam per accidens participet de motu locali alterius rei per se motæ, debet esse in loco *localiter,* cum nihil possit localiter moveri quod localiter non est præsens. Christus autem, uti vidimus, non est in loco localiter, sed per modum substantiæ, nec contingit locum nisi indi-

(1) « Cette interpretation, uti notat *Rev. ecclés. de Metz;* l. c., est absolument inacceptable, car la présence dont on nous parle, se résout en une présence *symbolique.* La présence affirmée par l'Eglise est une présence *physique,* tandis que dans la théorie de Koch c'est une simple présence morale qui comporte de sa nature l'absence réelle ».

recte dumtaxat et per accidens, ratione specierum alienarum, mediantibus quibus comparatur ad corpora ambientia.

Nullatenus proinde subest corpus Christi eucharisticum mutationi seu motui locali, sed, mediantibus speciebus localiter motis, varias habitudines consequitur extrinsecas ad corpora ambientia. Et ita quando hostia defertur vel elevatur, motus ille hostiæ impressus nullo modo communicatur corpori dominico, licet ipsi vere competant variæ præsentiæ in loco consequentes actionem attollendi et transferendi species sacramentales, in quibus per modum substantiæ continetur (1).

Quam quæstionem egregie solvit S. THOMAS, *In IV Sent.*, Dist. X, qu. I, art. III, sol. 4ª : « Dicendum quod moveri in loco includit esse in loco ; unde ad hoc quod aliquid *per se* moveatur in loco, oportet quod per se sit in loco, et quod per se moveatur, non ad motum alterius. Sed *per accidens* aliquid movetur in loco *dupliciter:* uno modo quia per accidens est in loco, sicut formæ moventur per accidens ; alio modo quia per se est in loco, sed per accidens movetur in loco, sicut patet in his qui vehuntur ; quia locus quem mutant est per se eorum proprius locus vel communis.

Corpus autem Christi in loco quem species transmutant, non est per se neque sicut in loco proprio, neque sicut in loco communi, sicut ex dictis patere potest ; et ideo per se in illo moveri non potest, neque per accidens sicut corpora per accidens moventur ; sed hoc modo quo aliquid et per accidens est in loco, et per accidens movetur ».

Christum Dominum non mutari nec moveri ex cor-

---

(1) Cf. BILLOT, *op. cit.*, I, p. 454, ubi comparationem instituit cum motu Angeli : « Hoc pacto, inquit, angelus potest per accidens moveri secundum locum, puta si corpus in quo est ratione suæ operationis (i. e. per contactum suæ virtutis) præsens, de loco in locum transferatur ; non enim communicaretur angelo impetus ille qui in solis corporibus esse potest, sed ipse ad modum corporis consequeretur successivas præsentias in successivis locis quos corpus localiter pertransiret ».

ruptione specierum ejusque præsentiæ desitione ostendetur infrà.

II/ Christum Dominum, uti est in SS. Eucharistia, non posse tangi nec videri, nec etiam quocumque sensu exteriori percipi, corollarii ad instar evidenter sequitur ex natura præsentiæ indimensivæ, seu per modum substantiæ, qua præsentia supra vidimus Ipsum adesse in hoc sacramento. Et sane eo ipso corpus Christi non comparatur ad hostiam et ad alia corpora mediante quantitate, ac abstrahit ab omni contactu quantitativo.

Jamvero nihil potest a sensibus externis attingi nisi *mediante quantitate* sua, mediante nempe contactu quantitativo, exercendo inter duo corpora quanta sive immediate, uti in tactu, sive per intermedium aërem vel æthereum elementum, uti in visu et auditu.

Quod argumentum sub duplici forma proponit S. Thomas, P. III, qu. LXXVI, art. 7°, ubi probat, Christi corpus, prout est in hoc sacramento, non posse videri nec consequenter audiri nec tangi; et quidem *primo* « quia corpus visibile per sua accidentia immutat medium; accidentia autem corporis Christi sunt in hoc sacramento mediante substantia; ita scilicet quod accidentia corporis Christi non habent immediatam habitudinem neque ad hoc sacramentum, neque ad corpora quæ ipsum circumstant, et ideo non possunt immutare medium, ut sic ab aliquo corporali oculo videri possint: *secundo,* quia... corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ. Substantia autem, in quantum hujusmodi, non est visibilis oculo corporali; neque subjacet alicui sensui, sed nec etiam imaginationi, sed soli intellectui, cujus objectum est quod quid est... Et ideo, proprie loquendo, corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in hoc sacramento, neque sensu neque imaginatione perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis ».

Nota:

1°/ Quemadmodum Christus Dominus, uti est in hoc

sacramento, nequit videri neque audiri, item et pari de ratione non valet, prout præsens in Eucharistia, nos videre vel audire *corporaliter,* licet altiori profectò cognitione omnia novit, videt, et audit quæ fiunt circa SS. Sacramentum.

2°/ Juxta S. THOMAM, P. III, qu. LXXVI, art. 8°, quando contingit miraculose apparere in altari puerum, vel carnem, vel sanguinem, non conspicitur corpus Christi vel sanguis in propria specie præsens; sed hoc factum una alterave hypothesi sequenti est interpretandum: vel « hoc contingit *ex parte videntium,* quorum oculi immutantur tali immutatione ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem vel puerum, nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti; et hoc quidem videtur contingere, quando uni videtur sub specie carnis, vel pueri, aliis tamen videtur, sicut et prius, sub specie panis; vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis vel pueri, et postmodum sub specie panis »; vel « contingit talis apparitio *non per solam apparitionem videntium,* sed specie quæ videtur realiter exterius existens (miraculose efformata circa accidentia panis vel vini): et hoc quidem videtur esse quando sub tali specie ab omnibus videtur, et non ad horam, sed per longum tempus ita permanet ». Nec in neutra hypothesi, ait, est deceptio, quia fit in figuram cujusdam veritatis, scilicet ad ostendendum per hanc visionis productionem vel miraculosam apparitionem, quod in sacramento est vere corpus et sanguis Christi » (1).

A. DESMET.

---

(1) Cf. circa hujusmodi miraculosas apparitiones, apud *Zeitschrift f. kath. theologie,* 1902, p. 492-517, dissertationem FR. SCHMID: *Die eucharistischen wundererscheinungen und die dogmatik.*

VI

Q. *Quid præcipit liturgia de materia et ornatu tabernaculi SS. Sacramenti?*

R. De tabernaculo sequentia tantum habet Rit. Rom. tit. IV, c. 1, nn. 5, 6: « Perpetuo aliquot particulæ consecratæ... conserventur... quantum res feret, *ornato in tabernaculo clave obserato. Hoc autem tabernaculum conopeo decenter opertum, atque ab omni alia re vacuum,* in altari majori vel in alio... sit collocatum ». Quibus adde præscriptionem S. Cong. Episcoporum et Regularium, 26 Oct. 1575 : « Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum » (1). Hæc magis determinantur decretis S. R. C., statutis diœcesanis et rationabili interpretatione doctrinali ac usuali.

I. **Materia**. Quamvis regulariter debeat aut possit esse ligneum (2), nihil obstat, imo melius est ut conficiatur ex alia materia solida convenienti præsertim nobiliore, v. g. « ex lapide pretioso » (3), ex « argento, auro vel alia pretiosa materia » (4), ex cupro, marmore, etc. Quo casu monet S. Carolus Borromæus in *Instructionibus fabricæ ecclesiæ* ut intrinsecus tabulis populeis vel aliis ejusmodi sit circumamictum, « ut ab humiditate, quæ ex metalli marmorisve genere existit, Sanctissima Eucharistia illo amictu omnino defendatur » (5).

Quod materia debeat esse solida, satis patet ex eo quod, juxta Rit. Rom., tabernaculum debet esse *clave obseratum*. Qua de re sequentia statuuntur pro diœcesi Brugensi: « Sit semper bene obseratum clave, quæ nonnisi a parocho aut alio sacerdote custodiatur » (6).

---

(1) Apud Cavalieri, *Opera liturgica,* t. IV, cap. V, decr. 10.

(2) S. Cong. Episc. cit. decr.; S. R. C. *Ord. Minor. Capuc. S. Franc.,* 7 dec. 1888, n. 3697[13].

(3) S. R. C., 20 Sept. 1806, *Toletana,* n. 2564[2] .

(4) S. R. C., 7 Aug. 1880, *Auxitana,* n. 3520.

(5) *Acta eccles. Mediolanensis,* part. IV, lib. I, c. 13.

(6) *Pastorale Brugense, De cultu SS. Eucharistiæ,* n. 1.

« Tabernaculum vero valida sera claudendum est ne vasa sacra a furibus facile auferri possint » (1). « *Duæ sint* in omni sacristia *claves tabernaculi, in loco tuto ad solum sacerdotis usum asservatæ,* ut si forte una non reperiatur, altera ad manum sit » (2).

II. **Ornatus interior** supra a S. C. Episc. laudatus non est de necessitate, quia juxta plura decreta S. R. C. potest tabernaculum « interius *panno serico* albi coloris vestiri aut ex laminibus deauratis ornari » (3) vel esse « *deauratum* » (4).

Interrogata S. R. C. de « *velo* pulchriori serico, sæpe etiam argento aut auro intexto » quod appenditur in tabernaculo, declaravit « usum veli prædicti tolerari posse » (5). Velum hujuscemodi valde conveniens est pro expositione privata SS. Sacramenti, quod in pyxide velo cooperta exponitur in ipso tabernaculo, ostiolo aperto. Adsunt enim sæpe plura vasa sacra, quorum unum tantum est exponendum. Cetera, tempore expositionis, recondenda sunt post prædictum velum, quod ideo expandatur versus medium tabernaculum, ita ut pars posterior tota tegatur. Pro majori facilitate in medio sit divisum a summo usque deorsum.

Color præfati ornatus interioris sit *albus,* qui est color proprius cultus SS. Eucharistiæ. Non prohibetur tamen quin sit auro vel argento intextus vel fimbriis aureis circumductus.

SS. Sacramento in tabernaculo semper, ut patet, debet esse *substratum corporale* benedictum et mundum,

---

(1) Ita Ill. Malou, *Collectio epist. pastoralium,* t. VIII, p. 50.

(2) Decretum prosynodale 12 Maii 1883.

(3) Dec. 5 Jun. 1859, *Calven. et Theaten.,* n. 3079.

(4) S. R. C. 19 Maii 1871, *Urgellen.,* n. 32547 ; 20 Jun. 1889, *Romana,* n. 4035, 4

(5) S. R. C. 28 Apr. 1866, *S Jacobi de Cile,* n. 3150. In hoc responso vox « tolerari » non videtur posse sumi sensu nimis presso, quasi aliquam reprobationem includeret; quia scopus præcipuus illius responsi est inculcare necessitatem conopei, cujus locum tenere non potest velum prædictum. Cf. *Collat. Brug.,* t. IX, p. 669.

quod ideo identidem renovandum est (1). Denique tabernaculum « *mundum* sit semper a minimo pulvere, ac omni alia re, quantumvis sacra, *vacuum* » (2). Ideo excludi debent vasa sacrorum Oleorum et Reliquiæ quæcumque (3); non tamen vasa SS. Eucharistiæ, quæ licet hostias consecratas integras non contineant, tamen nondum fuerunt purificata, adeoque parva fragmenta retinere possunt.

Ut convenientius institui possit expositio privata SS. Sacramenti in ipso tabernaculo, congruentius ostiolum tabernaculi dividatur in duas valvas, quæ optime possunt in hunc finem interius ornari, v. g. figura duorum angelorum adorantium, qui, patentibus valvis, in SS. Sacramentum convertuntur.

III. **Ornatus exterior** etiam debet esse conveniens et dignum habitaculo Christi Jesu. Ideo requiritur ut tabernaculum sit « *affabre elaboratum* » (4) et deauratum vel inaurato artificio decoratum, saltem in anteriori parte. Decet ut in ostiolo non alia repræsententur symbola aut figuræ quam quæ directe ad SS. Eucharistiam aut personam Christi referuntur.

Conveniens sane est ut tabernaculi summitas terminetur parva quadam *cruce;* imo nonnulli auctores affirmant hoc esse de præcepto. Censemus tamen, præsertim post decr. S. R. C. 11 Jun. 1904, hoc non esse præscriptum, et tabernaculum posse terminari superficie plana, ad modum quo solent exstrui plura tabernacula styli gothici nuncupati (5).

« Tabernaculum decenter *conopeo* opertum » esse omnino debet. A quo præcepto non excusat aut consuetudo, aut materia pretiosa ornatusve interior taberna-

---

(1) *Pastorale Brug. De cultu SS. Eucharistiæ*, n. 1.
(2) *Rit. Rom. l. c.; Pastorale Brug.*, ibid.
(3) Dec. S. Cong. Episc. et Reg., 3 Maii 1693.
(4) S. R. C. 7 Dec. 1888, *Ord. Min. Capucin.*, n. 3697[13].
(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 183.

culi, aut appositio tabulæ ornatæ, sed sola moralis impossibilitas.

Conopeum autem confici potest ex serico aut « ex panno sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto ». Debet esse coloris albi vel coloris ejusdem cujus sunt antipendium et cetera paramenta, excepto tamen colore nigro cujus loco assumitur violaceus (1).

Rationem ac significationem hujus præcepti Ritualis adæquate percipiet et populum docere poterit, qui perpendere velit semper ac ubique in usu fuisse et esse ut thronus, sedes, tentoria, habitacula in quibus honorifice recipiuntur personæ regiæ aut præcelsæ dignitatis, obumbrarentur et ornarentur velis, pannis, omnique opere textili varie intexto. Merito igitur censuit Ecclesia hunc amictum maxime honorificum concedendum esse Summo Regi in SS. Eucharistia nobiscum degenti. Ita præscribit ut altare sacrificii vestiatur *antipendio* et tegatur tribus *mappis;* ut SS. Sacramento semper substernatur *corporale* album; ut pyxis continens sacras species ornetur parvo suo *velo,* et si deferatur ad infirmos, insuper tegatur *velo humerali;* ut SS. Eucharistia processionaliter non deferatur nisi sub *baldachino* aut sub *umbella;* ut thronus expositionis ornetur *velis* albis. Quid mirum ergo tabernaculum, in quo continuo manet Christus, interius ornandum esse serico (vel auro) et exterius tegendum *conopeo?* Amictus ille specialis est quasi ornatus proprius SS. Sacramenti, et simul pro fidelibus signum manifestans præsentiam Christi Domini (2).

Supra tabernaculum collocari potest crux altaris (3) quæ requiritur pro Missæ sacrificio, aut thronus exposi-

---

(1) De conopeo vide *Collat. Brug.*, t. IX, p. 668 ss. Conopeum antiquitus etiam apud nos in usu fuisse patet ex inventariis sæc. XVI et XVII bonorum mobilium ecclesiæ S. Ægidii Brugis.

(2) Ideo pyxis et tabernaculum non sunt induenda velo et conopeo nisi dum de facto continent SS. Sacramentum. Ergo si in pyxide consecrentur particulæ, velum apponendum est tantum post communionem missæ; et post missam feriæ V in Coena Domini a tabernaculo auferri debet conopeum.

(3) Dec. S. R. C. *Ord. Frat. Min. Prov. Portugal.*, 11 Jun. 1904, ad 4, ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 182.

tionis SS[i] Sacramenti, non vero alia quæcumque imago, etiam SS. Cordis Jesu (1), aut reliquia sive sanctorum (2) sive ipsius Crucis aut instrumenti Passionis (3). Non enim convenit habitaculum ipsius Christi realiter præsentis esse pro basi rebus quidem sacris sed multo minoris dignitatis, et non requisitis (ut est crux); et decet Dominum sedere supra servos, ut ait Gavantus.

Ante ostiolum, ornatus gratia, non licet ita apponere vasa florum, aut quid simile, ut tegatur tabernaculum, sed collocari possunt in loco humiliori (4) qui magis conveniat scopo ornandi. Similiter ante tabernaculi ostiolum non licet exponere crucem (5), imaginem (6), aut reliquias (7) ne in illas divertatur honor et cultus qui heic ipsi Domino realiter præsenti debetur.

Notetur tandem, ex recentiori decreto S. R. C. n. 4035[4], « tabernaculum esse *benedicendum* priusquam S. Eucharistia in illo recondatur » (8). Adhibenda est formula Ritualis tit. VIII, c. 23, quæ est reservata Episcopis vel aliis facultatem habentibus.

C. Callewaert.

---

(1) Dec. S. R. C. 3 Apr. 1821, *Generale,* n. 2613[6] ; 31 Mart. 1887, *Cadurcen.,* n. 3673[2] .

(2) Dec. S. R. C. n. 2613[6] .

(3) Dec. S. R. C. 12 Mart. 1836, *Tridentina,* n. 2740[1] ; 17 Sept. 1897, *Ord. Min. de Observantia S. Fr.,* n. 3966. Cf. *Collat. Brug.,* t. III, 122 ss.

(4) S. R. C. 22 Jan. 1701, *Congreg. Montis Coronæ,* n. 2067[10].

(5) S. R. C. 11 Jun. 1904, ad. 4, ap. *Collat. Brug.,* t. X, p. 182.

(6) S R. C. 10 Sept. 1898, *Mexicana,* n. 4000[1] .

(7) S. R. C. 6 Sept. 1845; *S. Angeli in vado,* n. 2906.

(8) S. R. C. 20 Jun. 1899, *Romana,* n, 4035[4] .

Ex S. Congr. Indulgent. et SS. Reliq.

DECRETUM URBIS ET ORBIS

Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X vel maxime cordi est ut efficacius in dies propagetur uberioresque edat virtutum omnium fructus laudabilis illa ac Deo valde accepta consuetudo, qua fideles, in statu gratiæ rectaque cum mente, ad Sacram Communionem quotidie sumendam accedant. Quamobrem supplicia plurimorum vota ab Eminentissimo viro Cardinali Casimiro Gennari delata benigne libenterque excipiens, iis plane cunctis qui memoratam consuetudinem habent, aut inire exoptant, specialem merito gratiam elargiri statuit. — Clemens porro PP. XIII f. r. per decretum hujus sacri Ordinis sub die 9 Decembris 1763 « *omnibus Christifidelibus, qui frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpæ a se post prædictam ultimam confessionem commissæ conscii sunt, indulsit, ut omnes et quascumque indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione quæ cæteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias Jubilæi, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione præscripto peragatur.* » Nunc vero Beatissimus Pater Pius X, omnibus Christifidelibus, qui in statu gratiæ et cum recta piaque mente quotidie Sancta de Altari libare consuescunt, quamvis semel aut iterum per hebdomadam a communione abstineant, præfato tamen f. r. Clementis PP. XIII Indulto frui posse concedit, absque hebdomadariæ illius confessionis obligatione, quæ cæteroquin ad Indulgentias eo temporis intervallo decurrentes rite lucrandas necessaria extaret. Hanc insuper gratiam Eadem Sanctitas Sua futuris quoque temporibus fore valituram clementer declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romæ, e Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, die 14 Februarii 1906.

† A. Card. TRIPEPI, *Præf.*

Locus sigilli. D. Panici, *Archiep. Laodicen., Secret.*

Consultationes

I

Quæritur. In impositione incensi post offertorium:

I debetne diaconus manum celebrantis osculari ante an vero post incensi benedictionem?

II debetne prius osculari manum, an prius cochlear?

III debetne sacerdos jungere manus antequam benedicat incensum?

Respondetur. Ad I. Paululum recogitanti de motivo hujus osculi reverentialis — quod omittitur coram Sanctissimo exposito et in omni functione pro defunctis (1) — patebit responsum. Diaconus enim osculatur manum celebrantis, personam Christi gerentis, ratione recepti cochlearis. Ergo osculum dandum est, quantum fieri potest, *in ipso actu receptionis* vel saltem *immediate* post receptionem. Quodsi sinat diaconus intercedere aliam cæremoniam, puta in casu signum crucis ad benedicendum incensum, osculi jam nulla datur ratio.

Ad II. Applicanda est **regula generalis** juxta quam:

1/ in tradendo objecto celebranti oportet prius osculari objectum — cochlear, birctum, patenam, calicem, thuribulum, aspersorium, etc. — et deinde celebrantis manum.

2/ Contra in recipiendo objecto diaconus prius osculetur manum et deinde objectum.

Hujus regulæ ratio est major facilitas ita agendi, ut reflectenti liquebit.

In cæremoniis tamen benedictionum v. g. candelarum vel palmarum, recipiens prius osculetur rem proxime benedictam et deinde tantum manum celebrantis. Ratio hujus præcedentiæ videtur esse reverentia rei benedictæ debita.

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 675.

Ad III. Applica rursus **regulam generalem**, juxta quam in omni benedictione — nisi adsit impedimentum, ut in benedictione aquæ ad offertorium — manus jungendæ sunt antequam signum crucis ad benedicendum producatur (1).

Cujus regulæ ratio et ritus significatio sequens esse videtur. Sacerdos non sui sed Dei nomine, cujus minister est, benedictionem impertit aut apprecatur : ideoque decet ut ipse prius eam efflagitet, quod facit jungendo manus. Manus enim junctæ sunt tacita quædam supplicatio, qua sacerdos humiliter petit ut dignetur Deus revera concedere benedictionem quam rei aut personæ apprecaturus est.

II

Quæritur. Verumne est recenti quodam decreto prohibitum fuisse pro paramentis liturgicis colorem violaceum valde cæruleum?

Respondetur. Novum hujusmodi nullum cognoscimus decretum; sed tantum antiquius decretum *Congregat. Oblatorum B. M. V.* 23 Februarii 1839, n. 2788, ad 2, declarans ut abusum eliminandum esse usum coloris cærulei in paramentis sacris, sive pro colore albo, sive pro violaceo (2).

Nihilominus color violaceus qui ad rubrum magis accedit quam ad cæruleum absque hæsitatione commendandus est, utpote praxi romanæ et usui traditionali multo magis conformis quam violaceus ille color subcæruleus quem recentius nobis attulerunt vicini nostri ex Gallia.

C. Callewaert.

---

(1) Cf. *Missale, Rit. serv. in celebratione,* tit. VII, n. 5.

(2) Nisi exstet indultum pontificium quale concessum fuit v. g. pluribus Hispaniæ diœcesibus et vi cujus cæruleus color — qui habetur ut color B. M. V. extraliturgicus — adhiberi potest in paramentis sacris in missa Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Cf. Ill. Van der Stappen, *De celebrat. Missæ,* q. 123, B. Historice notari potest elapsis sæculis etiam apud nos in usu fuisse colorem cæruleum, ut patet v. g. ex antiquis inventariis bonorum ecclesiarum S. Ægidii et S. Jacobi Brugis.

III

Qu. Circa interpretationem facultatis confessariis diœceseos Brugensis concessæ absolvendi a reservatis, in favorem « personæ alicujus laicæ graviter decumbentis et alii confiteri renuentis » (1), duplex proponitur dubium:

1/ utrum voces « *graviter* decumbens » ita sint intelligendæ ut solum afficiant vita periclitantem?

2/ utrum ita interpretari liceat vocem « renuere », ut sufficiat infirmum multum desiderare extraneum confessarium cui præ aliis peccata sua accuset?

Respondetur.

Ad 1m. Opinamur non restringi exercitium facultatis concessæ ad solos periculose infirmantes, sed extendi ad quoscumque gravi infirmitate detentos, licet hic et nunc in probabili mortis periculo nondum constituantur.

Ratio est quia ex una parte gravis infirmitas quamvis nonnunquam æquivalenter sumatur pro infirmitate periculosa, presse tamen loquendo non importat vitæ discrimen; et ita, ubi determinatur subjectum Extremæ Unctionis, sedulò additur a *Rit. Rom.*, Tit. V, cap. I, n. 5, et a *Pastor. Brug.*, p. 88: infirmi qui « tam graviter laborant *ut mortis periculum imminere videatur* »; ex alia etiam parte facultates, utpote favores, sunt late interpretandæ, nisi de expressa concedentis mente aliter constet.

Ad 2m. Pariter in sensum benigniorem solvendum videtur alterum dubium, adeo ut non foret inquietandus sacerdos dicta facultate utens, semel ac constat infirmum serium ac spontaneum manifestasse desiderium tali extraneo sacerdote præ aliis utendi confessario.

Altera namque ratio sub 1° invocata etiam hic valet, eo vel magis quod Ecclesia tanta sollicitudine satagit ut liberrimus ad confessarium electum pateat accessus, signanter occurrente casu gravis infirmitatis.

---

(1) *Libellus*, p. 20.

Satis igitur esse videtur quod infirmus graviter laborans spontaneè et seriò, non ex animi levitate, cupiat determinatum aliquem sacerdotem præ aliis in confessarium adhibere, ut sacerdos ille, si sit in diœcesi approbatus, possit ejus confessionem excipere per universam diœcesim, illumque a censuris et a casibus quomodocumque reservatis absolvere, solis exceptis casu complicis et falsa denuntiatione confessarii, idque absque onere recurrendi Romam.

Nota. Si dicta persona laica ita graviter decumbat ut vita periclitetur, quivis confessarius imo quivis sacerdos potest, *vi juris communis,* illam valide absolvere etiam a reservatis, sed hac dumtaxat lege ut absolutæ a *censura specialiter reservata S. Pontifici* onus imponatur recurrendi ad S. Sedem ejusque standi mandatis (1). Quo attento apparet specialem facultatem de qua quæritur non concedi frustrà etiam respectu personæ in periculo mortis constitutæ, siquidem hujusmodi pœnitenti, *vi præfatæ facultatis* a quacumque censura absoluto, onus illud non foret injungendum.

IV

Qu. Juxta tenorem *Libelli,* p. 21, peculiaris facultas a reservatis conceditur in gratiam « militum præsidii alicujus civitatis aut oppidi, qui (a censuris et casibus reservatis) absolvi poterunt a quolibet istius civitatis aut oppidi confessario ». Quæritur autem quinam veniant nomine *confessarii illius civitatis aut oppidi:* an soli confessarii oppido seu civitati adscripti, an vero omnes confessarii qui, licet extra mœnia civitatis seu oppidi in ministerio laborantes, ibidem tamen jurisdictionem exercere valent, puta quia versantur in eodem decanatu aut in communitate oppido seu civitati contermina.

Respondetur.

Expressa mens est Episcopi reservantis ut tenor

(1) Cf. *Collat. Brug.,* T. IV, p. 32.

concessionis priori modo intelligatur; ac proinde facultate impertita erga milites præsidii uti possunt *soli confessarii adscripti civitati seu oppido* in quo præsidium situm habet. Quo pacto milites præsidii Brugensis non valent, vi præsentis facultatis, a reservatis absolvi a parocho seu vicepastore S. Crucis aut S. Andreæ, quamvis civitas Brugensis infra terminos eorum jurisdictionis contineatur: non sunt namque proprie confessarii civitatis Brugensis.

Notetur etiam, ad fruitionem concessæ facultatis, talem præsupponi confessarium civitatis seu oppidi cujus jurisdictioni subsint milites, adeo ut non suffragetur facultas illa confessariis in civitate approbatis, quorum approbatio restringitur ad determinatas personas, puta alicujus communitatis, collegii aut convictus.

V

Qu. In quibusdam paræciis mos est ut obstetrix sola suscipiat in Baptismate omnes proles illegitime natas. An consuetudo illa sustinetur?

Respondetur.

Consuetudo de qua quæritur nulla lege reprobatur, modò, quod supponitur, obstetrix conditiones impleat ad validam susceptionem requisitas, nec indigna sit quæ ad hoc munus assumatur.

Sufficit namque ut unus *vel* una officio patrini vel matrinæ fungatur, imo consulendum est, uti notavimus apud *Collat. Brug.*, T. IV, p. 556, ut prolem illegitimam suscipiat sola matrina absque patrino, ne hic contrahat cognationem spiritualem ac ita periculum forsan inducat matrimonium nulliter contrahendi.

Nec aliunde in jure præscriptum novimus ut distincti susceptores adhibeantur pro numero prolium in Baptismate suscipiendarum, quemadmodum in Pontificali Romano faciendum monetur pro Confirmatione, in quantum scilicet temporum adjuncta, arbitrio Episcopi, id fieri sinunt.

Sustinetur proinde invocata consuetudo; optandum tamen foret ut alia passim persona, et non pro omnibus eadem, adhibeatur in matrinam, quæ aptior existat et magis idonea ut efficaciter provideat, occasione data, christianæ educationi prolis illegitimæ: ast ægrius accedet, propter notam infamiæ, honesta matrina ut hujusmodi prolem e fontibus levet.

A. De Smet.

Libri dijudicantur.

P. Fr. Albertus a Puero Jesu, O. C. **Volledig handboek voor de Derde-Ordelingen van O. L. V. van den Berg Carmelus en van de Heilige Theresia.** Gent, Stepman, 1905. In-18, 634 pp. Prostat venale in conventu Gandavensi, pretio F. 2,50 (F. 2 pro Tertiariis).

Haud multi in nostris regionibus profitentur in sæculo hoc institutum, quod usque modo servavit pristinam severitatem: ita plurimi sunt dies abstinentiæ vel et jejunii, emittendum est duplex votum, simplex tamen et limitatum, obedientiæ et castitatis. Unde paucis sacerdotibus directe usu veniet manuale indicatum. At nonnullis placebit notitiam adquirere Tertii Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo et S. Theresiæ, et plures juvabit invenire utilia valde circa indolem generalem Tertiorum Ordinum, et præsertim circa orationem mentalem, examen conscientiæ et confessionem hebdomadariam, exercitium præsentiæ divinæ etc. Hæc proponit Auctor occasione explicationis regulæ, et sunt vere solida et practica, quæ v. g. in congregationibus B. M. V. et in conventibus Tertii Ordinis S. Francisci sæpius inculcari deberent.

*
* *

G. Van de Poel, Pastoor te Tildonck. **Sermonen over de Evangeliën der Zondagen van het kerkelijk jaar.** T. I. Abdij Averbode (Sichem), 1905, In-8, (19) — 285 pp. Pr. 1,75. T. II, (16) — 275 pp.

Auctor intendit edere, quinque vel sex tomis, seriem concionum, quas adnectit evangeliis dominicarum. Non sunt proprie dictæ homiliæ, quamvis una alterave concio appelletur homilia. Sic in tomo primo pro dom. I Adventus ponuntur tres sermones de ultimo judicio; pro dom. II Adventus, ex verbo Domini ad discipulos S. Joannis-Baptistæ: « Beatus qui non fuerit *scandalizatus* in me (Mt XI, 16), ansa sumitur ad habendos sermones de scandalo: plures vero conciones nullam habent relationem cum Evangelio. Attamen in se spectatæ merentur quæ commendentur: generatim enim doctrina est solide et practice proposita, quamvis forma paulo prolixiori.

***

B. Franken, Pastoor. **Conferenties voor geestelijke vergaderingen van vrouwen en jonge dochters,** zooals H. Familie, Congregatie, Derde-Orde, Sint Anna-Vereeniging, enz. Abdij Averbode (Sichem), 1905. In-8, VII-248 pp. Pr. 2,20.

Ejusdem auctoris merito laudantur, quæ in multorum manibus versantur, opera *Lijdenspreeken* et *Toespraken Eerste H. Communie*. In præsenti libello describit quasi in speculo imaginem mulierum Veteris Testamenti, et sic demonstrat vitia vitanda et virtutes imitandas a matre, uxore et puella christianis. Etsi generatim minus placeant nobis libri concionum præparatarum, has tamen conferentias libenter commendamus. Continent enim instructiones valde practicas, et refertæ sunt monitis et consiliis plane aureis. Lege v. g. *De opvoeding, het onderwijs, de bestraffing, de bewaking der kinderen* (p. 219-242). Auctor præterea perfecte asse-

cutus est scopum intentum, scil. « de conferenties voor de leden *aantrekkelijk* te maken, opdat zij met lust en ijver de vergaderingen bijwonen » (p. V).

*
* *

R. P. André Prévot, S. C. J., Docteur en théologie. **La vraie dévotion à Saint Joseph.** Tournai, Casterman, 1905. In-18, VIII — 311 pp. — Prix: 1 fr.

Il y a sans doute de bonnes choses dans ces méditations proposées pour chaque jour du mois de Mars, mais le livre ne tient pas les promesses du titre. On s'attend à un exposé théologique des principes de la vraie dévotion à Saint Joseph, et voici que dès les premières pages la déception est complète. Qu'on en juge par ces citations: Saint Joseph est père de Jésus « au plus haut degré, et on peut lui appliquer le mot fameux qui a été dit de Dieu le Père: *tam pater nemo*... Saint Joseph a donné Jésus au monde, comme le Père céleste dont il partage la paternité sublime.... » (p. 3). Il n'a été, il est vrai, que « la cause efficiente *inférieure* » de la naissance de Jésus, mais cependant la cause *efficiente*, et cela « par son amour et par ses désirs, par sa préparation et sa sainteté ».... (p. 3). En d'autres termes, il est cause *efficiente*, parce que cause *morale*. « Jésus aime Saint Joseph *du même amour* dont il aime son Père céleste, *et au même degré*, autant que la créature du moins peut recevoir d'amour » (p. 5). Mais, cette restriction détruit ce qui précède: alors, pourquoi parler ainsi? De même, pourquoi affirmer que « Marie avait pour Saint Joseph l'amour et la vénération.... qu'elle avait pour le Saint-Esprit, son Epoux céleste » (p. 7)? Il est évident que ces exagérations ne peuvent que compromettre auprès des lecteurs instruits la cause de Saint Joseph et la science théologique de l'auteur.

H. Mahieu.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X LITTERÆ APOSTOLICÆ DE RATIONE STUDIORUM SACRÆ SCRIPTURÆ IN SEMINARIIS CLERICORUM SERVANDA.

PIUS PP. X

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Quoniam in re biblica tantum est hodie momenti, quantum fortasse nunquam antea, omnino necesse est, adolescentes clericos scientia Scripturarum imbui diligenter ; ita nempe, ut non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum habeant ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possint et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus horum hominum defendere, qui quidquam divinitus traditum esse negant. Propterea in Litt. Encycl. *Providentissimus* recte decessor Noster illustris edixit: « Prima cura sit, ut in sacris » Seminariis vel Academiis sic omnino tradantur divinæ » Litteræ, quemadmodum et ipsius gravitas disciplinæ et » temporum necessitas admonent ». In eamdem autem rem hæc Nos, quæ magnopere videntur profutura, præscribimus:

I. Sacræ Scripturæ præceptio, in quoque Seminario impertienda, ista complectatur oportet: primum, notiones de inspiratione præcipuas, canonem Bibliorum, textum primigenium potissimasque versiones, leges hermeneuticas; deinde historiam utriusque Testamenti; tum singulorum, pro cujusque gravitate, Librorum analysim et exegesim.

II. Disciplinæ biblicæ curriculum in totidem annos partiendum est, quot annos debent alumni Ecclesiæ intra Seminarii septa commorari ob sacrarum disciplinarum studia: ita ut, horum studiorum emenso spatio, quisque alumnus id curriculum integrum confecerit.

III. Magisteria Scripturæ tradendæ ita constituentur, quemadmodum cujusque Seminarii conditio et facultates

ferent: ubique tamen cavebitur, ut alumnis copia suppetat eas res percipiendi, quas ignorare sacerdoti non licet.

IV. Quum ex una parte fieri non possit, ut omnium Scripturarum accurata explicatio in schola detur, ex altera necesse sit omnes divinas Litteras sacerdoti esse aliquo pacto cognitas, præceptoris erit, peculiares et proprios habere tractatus seu *introductiones* in singulos Libros, eorumque historicam auctoritatem, si res postulaverit, asserere, ac analysim tradere: qui tamen aliquanto plus, quam in ceteris, in eis Libris immorabitur ac Librorum partibus, quæ graviores sunt.

V. Atque is ad Testamentum vetus quod attinet, fructum capiens ex iis rebus, quas recentiorum investigatio protulerit, seriem actarum rerum, quasque hebræus populus cum aliis Orientalibus rationes habuit, edisseret; legem Moysi summatim exponet; potiora vaticinia explanabit.

VI. Præsertim curabit, ut in alumnis intelligentiam et studium Psalmorum, quos divino officio quotidie recitaturi sunt, excitet: nonnullosque Psalmos exempli causâ interpretando, monstrabit, quemadmodum ipsi alumni suapte industria reliquos interpretentur.

VII. Quod vero ad novum Testamentum, presse dilucideque docebit, quatuor Evangelia quas habeant singula proprias tanquam notas, et quomodo authentica esse ostendantur; item totius evangelicæ historiæ complexionem, ac doctrinam in Epistolis ceterisque Libris comprehensam exponet.

VIII. Singularem quandam curam adhibebit in iis illustrandis utriusque Testamenti locis, qui ad fidem moresque christianos pertinent.

IX. Illud semper, maxime vero in novi Testamenti expositione meminerit, suis se præceptis conformare eos, qui postea voce et exemplo vitæ erudire ad sempiternam salutem populum debeant. Igitur inter docendum commonefacere discipulos studebit, quæ sit optima via Evangelii prædicandi: eosque ex occasione ad exequenda diligenter Christi Domini et Apostolorum præscripta alliciet.

X. Alumni, qui meliorem de se spem facient, hebræo sermone et græco biblico, atque etiam, quoad ejus fieri possit, aliqua alia lingua semitica, ut syriaca aut araba,

erunt excolendi. « Sacræ Scripturæ magistris necesse est » atque theologos addecet, eas linguas cognitas habere, qui- » bus libri canonici sunt primitus ab agiographis exarati, » easdemque optimum factu erit si colant alumni Ecclesiæ, » qui præsertim ad academicos theologiæ gradus aspirant. » Atque etiam curandum, ut omnibus in Academiis de cete- » ris item antiquis linguis, maxime semiticis, sint magiste- » ria ». (Litt. Encycl. *Providentissimus*).

XI. In Seminariis, quæ jure gaudent academicos theologiæ gradus conferendi, augeri prælectionum de Sacra Scriptura numerum; altiusque propterea generales specialesque pertractari quæstiones, ac biblicæ vel archeologiæ, vel geographiæ, vel chronologiæ, vel theologiæ, itemque historiæ exegesis plus temporis studiique tribui oportebit.

XII. Peculiaris diligentia in id insumenda erit, ut secundum leges a Commissione Biblica editas, delecti alumni ad academicos Sacræ Scripturæ gradus comparentur: quod quidem ad idoneos divinarum Litterarum magistros Seminariis quærendos non parum valebit.

XIII. Doctor Sacræ Scripturæ tradendæ sanctum habebit, nunquam a communi doctrina ac Traditione Ecclesiæ vel minimum discedere: utique vera scientiæ hujus incrementa, quæcumque recentiorum sollertia peperit, in rem suam convertet, sed temeraria novatorum commenta negliget: idem eas duntaxat quæstiones tractandas suscipiet, quarum tractatio ad intelligentiam et defensionem Scripturarum conducat: denique rationem magisterii sui ad eas normas diriget, prudentiæ plenas, quæ Litteris Encyclicis *Providentissimus* continentur.

XIV. Alumni autem quod scholæ prælectionibus ad hanc assequendam disciplinam deerit, privato labore suppleant oportet. Quum enim particulatim omnem enarrare Scripturam magister præ angustiis temporis non possit, privatim ipsi, certo ad hanc rem constituto spatio in dies singulos, veteris novique Testamenti attentam lectionem continuabunt; in quo optimum factu erit, breve aliquod adhiberi commentarium, quod opportune obscuriores locos illustret, defficiliores explicet.

XV. Alumni in disciplina biblica, ut in ceteris theologiæ, quantum nimirum e scholæ prælectionibus profecerint, pe-

riculum subeant, antequam ex una in aliam classem promoveri et sacris ordinibus initiari possint.

XVI. Omnibus in Academiis quisque, candidatus ad academicos theologiæ gradus, quibusdam de Scriptura quæstionibus, ad *introductionem* historicam et criticam, itemque ad exegesim pertinentibus, respondebit; atque experimento probabit, satis se interpretationis gnarum ac hebræi sermonis græcique biblici scientem.

XVII. Hortandi erunt divinarum Litterarum studiosi, ut, præter interpretes, bonos lectitent auctores, qui de rebus cum hac disciplina conjunctis tractant; ut de historia utriusque Testamenti, de vita Christi Domini, de Apostolorum, de itineribus et peregrinationibus Palestinensibus: ex quibus facile locorum morumque biblicorum notitiam imbibent.

XVIII. Hujus rei gratiâ, dabitur pro facultatibus opera, ut modica conficiatur in quoque Seminario bibliotheca, ubi volumina id genus alumnis in promptu sint.

Hæc volumus et jubemus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Martii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MACCHI.

Constitutio Apostolica circa applicationem decreti TAMETSI in Germania.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Providа sapientique cura quavis ætate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quæ ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus illa eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina (1) clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanæ, contigit alicubi, et præsertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum hæreticis permixtionem in dies augescentem, ut cum prædictæ legis observantia incommoda etiam quædam nec levia conjungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput *Tametsi* non antea in singulis parœciis vim obligandi habere cœperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum hæc ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est juris diversitas et dissimilitudo, plurimæque et spinosæ exortæ sunt quæstiones quæ in judicibus quidem persæpe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniæ diœcesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quæ tamen juris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque hæc moverunt complures Germaniæ Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus

(1) Sess. XXIV, cap. I, *de Ref. Matr.*

precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens præcipuit ut ceterorum quoque Germaniæ Præsulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacræ Romanæ et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus præsenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostræ potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinæ unitati et constantiæ, certitudini juris, faciliori reconciliationi pœnitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicæ, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. — In universo hodierno Imperio Germaniæ caput *Tametsi* Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschæ (idest a die decimaquinta Aprilis) hujus anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. — Matrimonia mixta quæ a catholicis cum hæreticis vel schismaticis contrahuntur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente justa gravique causa canonica, datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus, per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtæ religionis rite fuerit obtenta. Quæ quidem matrimonia, dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiæ coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter delinquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subjacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quæ juxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subjecta fuerunt, non servata forma Tridentina jam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contra-

henda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschæ hujus anni legitime lata fuerit, et mutuus conjugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus.

III. — Ut autem judicibus Ecclesiasticis tuta norma præsto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive hæreticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum conjugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quæstione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. — Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, præcipimus Imperii Germanici Ordinariis ut illud per ephemerides diœcesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschæ anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romæ apud S. Petrum, die XVIII Januarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

Adnotatio.

Attento tenore præsentis Constitutionis, prouti eam interpretandam censemus, declaratur et decernitur:

I/ *Inde a festo die Paschatis*, i. e. a die 15ª Aprilis 1906, universum Imperium Germaniæ esse habendum uti locum *subjectum pro catholicis,* adeo ut, pro iisdem catholicis, ibidem vigeat lex clandestinitatis qua localis est et qua personalis est (1). Ad normam igitur juris com-

(1) Legem tridentinam de clandestinis matrimoniis « localem et personalem esse in confesso est apud omnes: quatenus localis, afficit territorium, eosque qui ibi matrimonio jungendi sunt obligat; quatenus vero personalis est, obligat qui domicilium vel quasi-domicilium habentes in

munis, lex clandestinitatis, *qua localis est,* deinceps afficiet omnia matrimonia, infra limites descripti territorii, ineunda inter catholicos, undecumque venientes, etiam e loco non subjecto; *qua personalis est*, attinget omnia matrimonia ubicumque terrarum, etiam in loco non subjecto, celebranda inter catholicos in dicto territorio Germanico domicilium vel quasi-domicilium retinentes (1): quæ omnia ac singula matrimonia irrita deinceps censebuntur, nisi coram parocho proprio et duobus testibus contrahantur.

II/ Inde ab eodem Paschatis festo die, integrum Imperium Germanicum esse habendum uti locum *simpliciter* (2) *exemptum pro acatholicis* (3), ad modum quo, juxta celebrem declarationem Benedicti XIV, diei 4 Nov. 1741 (4), locus exemptus pro hæreticis est Hollandia.

Unde sequitur acatholicos Germaniæ legi non esse obnoxios, qua personalis est, et simul territorium Imperii esse pro hæreticis exemptum a lege, qua localis est. Possunt proinde nupturientes hæretici vel schismatici, in Germania domicilium vel quasi-domicilium habentes, aut vagi existentes, ibidem matrimonium clandestinum valide inire, necnon in quolibet alio loco non subjecto aut exempto pro acatholicis: eo ipso

---

loco ubi tridentinum decretum... viget, in altero ubi illud non viget contrahere vellent ». *Instr.* C. S. O. 14 Dec. 1859, apud *Collectan. de P. F.*, n. 1403.

(1) Opinamur scilicet, uti postea data opera latius exponetur, nupturientes, e loco pro ipsis subjecto transeuntes in locum non subjectum, adstrictos esse legi clandestinitatis, quoad matrimonium in loco non subjecto ineundum, quousque ibidem domicilium vel quasi-domicilium non acquisierint aut vagi extiterint.

(2) Dantur etiam loca pro hæreticis quidem exempta, sed *secundum quid* dumtaxat, restricta scilicet exemptione ad solos acatholicos *inter se* contrahentes. Ita obtinet in Insula Melitensi, vi decreti C. S. O., 12 Jan. 1890 et 2 Junii 1892, apud *Nouv. Rev. Théol.*, XXV, p. 160 et seq.

(3) Hæreticis universim assimilantur schismatici.

(4) Bullarium Bened. XIV, ed. Mechlin., I, p. 178 et seq.

namque subtrahuntur legi tum qua personalis est tum qua localis est.

Possunt etiam et pari de ratione acatholici, alibi domicilium vel quasi-domicilium retinentes, infra præfati Imperii terminos, validè contrahere absque præsentia parochi et duorum testium, modò locus domicilii, unde transierunt peregrini, sit etiam locus non subjectus vel exemptus pro hæreticis. Nec refert, in utroque casu, utrum acatholici inter se contrahant vel cum parte catholica matrimonium mixtum ineant, uti expresse statuitur in documento pontificio: cæterum unius partis exemptio ab hac lege, formam contractus determinante, communicatur alteri parti, nisi illa communicatio expresse excludatur, uti contingit, juxta dicta, pro locis secundum quid exemptis.

Quibus attentis non erunt ceu valida reputanda quælibet matrimonia ab acatholicis in Imperii provinciis quomodocumque celebranda clandestine, licet hoc ex tenore Constitutionis prima specie videatur eruendum: oportet ut contrahentes vel in illis provinciis sint domiciliati vel ratione domicilii adhæreant loco pariter exempto vel non subjecto. Declaratio nimirum et concessio Pontificia est interpretanda juxta peculiarem indolem legis Tridentinæ quam moderat, et juxta principia canonica juris communis, eo vel magis quod eadem hic usurpetur formula quam adhibuit Benedictus XIV in memorata Declaratione anni 1741, cujus tenor similiter juxta principia generalia passim intelligitur, prouti cæteroquin ipsemet Pontifex monuit faciendum (1).

III. Quod conjugia attinet acatholicorum, tam mixta

---

(1) « Circa conjugia quæ contrahuntur vel in regionibus principum catholicorum ab iis, qui in Provinciis fœderatis domicilium habent, vel in Fœderatis Provinciis ab habentibus domicilium in regionibus catholicorum principum, nihil sanctitas sua de novo decernendum aut declarandum esse duxit; volens ut de iis, juxta canonica juris communis principia, probatasque in similibus casibus alias editas a S. Congr. Concilii resolutiones, ubi disputatio contingat, decidatur ».

quam non mixta, *ante* diem 15 Aprilis 1906 *jam contracta,* ea, utcumque fuerint nulliter inita, pronuntiantur fore valida inde a stata illa die, dummodò nec aliud obstet impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante dictum terminum legitime lata fuerit, et mutuus consensus conjugum eousque perseveraverit.

Nimirum hujusmodi matrimonia, contra præscripta juris antea vigentis nulliter contracta, poterant, ante Paschatis solemnia, declarari invalida ex capite clandestinitatis, per actum competentis auctoritatis, vel poterant privata conjugum opera irritari, retractato consensu matrimoniali: nulla autem ante illam diem interveniente invaliditatis declaratione, et supposita consensus perseverantia, illicò evaserunt valida per sanationem in radice.

Nota. 1°/ Ex dictis liquet breviter descriptam Constitutionem Pii X constituere partim juris antea vigentis declarationem et confirmationem, partim ejusdem juris moderationem. Ex una namque parte quædam provinciæ confœderationis Germanicæ jam erant aut reputabantur obnoxiæ regimini, nunc ad universum imperium extenso, subjectionis pro catholicis et exemptionis pro hæreticis; ex alia autem parte variæ dantur regiones in quibus decretum *Tametsi* vel nullatenus vigebat vel omnes tam hæreticos quam catholicos adstringebat (1).

2°/ Nova hæc inducta disciplina, maximi sane momenti, opportune attendetur etiam a nostris parochis, ut juxta illam judicare queant, data occasione, de valore matrimonii illorum quos ex Germaniæ oris huc migrare nonnunquam contingit.

A. De Smet.

(1) Quo circa cf. Joder, *Formulaire matrimonial*, 1891, pp. 323-347.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii

—

I

Ostende quibusnam et qua de causa scripta fuerit epistola S. Jacobi.

II

An et cur admittenda est in Christo homine scientia *per se* infusa?

III

Quotuplici titulo requiritur attritio in Sacramento Pœnitentiæ? Explica.

IV

An, quandonam et quomodo a pœnitente supplendum est defectui integritatis materialis in confessione?

V

Quomodo interpretandum est factum confessionis olim non raro institutæ coram laico, in defectu sacerdotis? (S. Thomas, *Supplementum,* qu. VIII, art. 2 et 3).

VI

Expone quatenus constitutio Leonis XIII *Officiorum ac munerum* abrogaverit jus antiquius de prohibitione et censura librorum.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

Q. *Interpretare Jo. XVI, 7-11.*

R. I. **Argumentum.** Christus in sermone post cœnam discipulis suis instantem suum discessum prædixerat (XVI, 5), quæ prædictio cor Apostolorum tristitia impleverat (v. 6). Statim autem Christus eos consolatur: discessum suum necessarium esse docet, ut mittere possit Spiritum s. (v. 7), qui venturus sit ut arguat seu convincat mundum incredulum de peccato, de justitia Christi et de judicio in mundum impium exercendo.

II. **Interpretatio.** 7. *Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.*

Sed. « Tristitia implevit cor vestrum quia locutus sum de instanti meo discessu (v. 5), *sed* tamen *ego veritatem dico vobis*, dicendo meum discessum vobis utilem fore. Unde, si intelligeretis quid vobis commodi e discessu meo sit proventurum, non tristarémini, cum potius vehementer gauderetis. Revera *expedit vobis ut ego vadam* ad Patrem qui misit me (v. 5) ». Propterea autem dicit expedire illis ut ipse abeat, quia expedit utique eis, ut *Paraclitus* ad eos mittatur, qui, nisi ipse abeat, mitti non potest. — *Quæritur* autem qua ratione Spiritus S. ad apostolos venire non potuerit nisi Christus abiisset? Discessus Christi necessarius erat ut Spiritus s. veniret, *non quidem absolute et ex natura rei* quæ in Christo aliquam mittendi impotentiam supponeret, (misit enim Spiritum qua Deus, non qua homo, unde eum mittere potuisset manens in terris), *sed juxta sapiens divinæ providentiæ statutum:* « ut, omnes tres personæ Trinitatis procurandæ saluti hominum operarentur, Pater mittendo Filio, trahendisque hominibus ad eum; Filius docendis, redimendis, liberandis ho-

minibus; Spiritus sanctus perficiendis, et variis divinis donis locupletandis; suas cuique vices fuisse, suum cuique tempus, suam quemque egisse personam; itaque nisi Christus abiret et de theatro quodammodo discederet, Spiritum sanctum venire non posse... Plus etiam quiddam significari mihi videtur, nisi ipse abeat, Spiritum sanctum venire non posse, quia futurus non sit qui eum mittat, et nisi mittatur non esse venturum; neminem autem posse eum mittere præter se... Cur ergo dicit se potius *(mittam eum ad vos)* quam Patrem missurum esse, cum non solum a Filio sed etiam a Patre procedat? Quia ipse non solum eum misit, sed etiam meruit ut mitteretur; et quia non solum mittit tanquam principium, ex quo procedit; sed alio etiam peculiari modo tanquam caput, tanquam summus Pontifex, tanquam rector Ecclesiæ » (1).

Paraclitus gr. παράκλητος (a v. παρακαλέω: advocare) significat « advocatum » (*I Jo.* II, 1) ad opem sive auxilium ferendum, itaque defensorem, adjutorem, tutorem. Sæpe explicare solent *Consolatorem*, quæ notio etiam consequitur ex generaliore illa adjutoris, auxiliatoris, at per se sola si sumatur, angustior apparet. (Cf. XIV, 16). — Ostenditur statim utilitas quam « Auxiliator » seu « Advocatus » afferet.

8. *Et cum venerit ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.*

Arguet (ἐλέγξει) i. e. certis ac firmis argumentis convincet, ità ut nihil opponi possit, *Mundus* intelligitur mundus incredulus, non tantum Judæorum (2), sed etiam Gentilium, ut patet e v. 11. Paraclitus *convincet* seu redarguet mundum « de peccato, et de justitia, et de judicio », quæ tria Christus ipse exponit, sed verbis concisis et obscuris, ab interpretibus vario modo explicatis et quorum sensum probabiliorem proponemus. Convictio illa fiet tùm per influxum gratiæ vivificantis quam Paraclitus infundet Ecclesiæ, tùm per ministerium Apostolorum quibus speciale adjutorium præstabit (3).

---

(1) Ità MALDONATUS, *Commentarius in Joannem, h. l.*

(2) Ità BELSER, *Das Evangelium des H. Johannes*, Freiburg i. B. 1905, p. 439.

(3) Verbum ἐλέγξει, *convincet* bene quadrat in munus *Paracliti* seu *Advocati* ut notant, PLUMMER, *The Gospel according to St John*, Cambridge,

9. *De peccato quidem quia non crediderunt in me.*

Verba « quia non crediderunt in me » (1) non explicant « de peccato » sed *arguet* seu convincet: ratio affertur cur mundus arguatur. Proin peccatum illud non est solum infidelitas, sed peccatum in genere quod utique ab infidelitate initium habet. Christus ergo significat: Spiritus s. per Ecclesiam numine suo vivificatam et ministerio Apostolorum convincet mundum adhuc obstrictum esse peccato; convincet autem hoc facto quod sc. multi Judæi et Gentiles claris testimoniis non obstantibus Christi messianitati ac divinitati non crediderunt neque credunt. « Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri » (*Act.* IV, 12). Incredulis per Apostolos peccata exprobrantur *Act.* II, 23; III, 14; IV, 10; XVII, 19; *I Cor.* XIV, 24; *II Tim.* III, 2; *Tit.* I, 10; *II Pet.* II, 10 etc.

10. *De justitia vero: quia ad Patrem vado et jam non videbitis me.*

Justitiam Christi intelligi ejusque innocentiam in vita et munere Redemptoris, probatur e ratione addita et est sententia plerorumque. Spiritus s. scil. convincet mundum Jesum, a Judæis tanquam peccatorem, violatorem Sabbati ac blasphematorem reprobatum, ab infidelibus Ethnicis velut impostorem rejectum, fuisse virum justissimum (*I Jo.* III, 7), verum Messiam ac Dei Filium: idque eo potissimum argumento quod gloriose rescuscitatus ascenderit in cœlum *ad Patrem*, ad cujus dexteram, mortalium oculis subductus, in æternum gloriosus sedebit. Ideo additur: *jam non videbitis me* sc. in hac carnis humilitate. Etenim si Christus non fuisset innocens et verus Messias, Deus Pater eum in æterno suo glorioso consortio non admisisset. Hoc modo pro justitia Jesu revera arguit S. Petrus *Act.* II, 22-36; III, 15; *I Pet.* I, 18-22; III, 18 et S. Paulus frequenter. Idem probatum est mirabili Ecclesiæ propagatione et conservatione necnon miraculis nomine Jesu operatis (2).

1902, p. 298, et Loisy, *Le quatrième Evangile*, Paris, 1903, p. 779. « Cette façon de parler invite à garder au Paraclet le caractère d'assistance judiciaire et non seulement d'auxiliaire en face du monde ennemi ».

(1) Gr. οὐ πιστεύουσιν: *non credunt.*

(2) Knabenbauer, *Commentarius in Evangelium secundum Joannem*, Pa-

11. *De judicio autem: quia princeps hujus mundi jam judicatus est.*

Convincet mundum *de judicio* condemnationis ipsi imminente, eo quod *princeps hujus mundi* impii et increduli, diabolus, *jam* (1) *judicatus est* sc. judicio condemnatorio. Ostendet nempe diabolum per mortem resurrectionemque Christi fuisse, eo quod justum morti tradiderit, judicatum ac condemnatum, atque ità ostendet mundo quoque incredulorum et Dei inimicorum judicium ac condemnationem reservari: principis enim condemnatio certum est pignus condemnationis subditorum ejus (2). De judicio in principem scribit S. Paulus *ad Col.* II, 15: « Et (Christus in cruce moriens v. 14) expolians principatus, et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso » (3). Tunc enim Christus « principem hujus mundi ejecit foras » seu per mortem suam piacularem eum principatu suo spoliavit (*Jo.* XII, 31).

Dicitur *judicatus est* (κέκριται) quia Christus loquens de suo ad Patrem reditu, cogitatione se in tempore post mortem sistit. *Judicium* autem mundi incipit inde a die Pentecostis, et usque ad finem temporum perdurabit et a Filio gloriose redeunte consummabitur. At quomodo judicatum esse diabolum mundus cognoscet, ità ut instantis proprii judicii convincatur? Spiritus s. condemnationem principis mundi

---

risiis, 1898, p. 469 meritò observat: « Si autem justitia Christi ità comprobatur et mundo manifestatur, eo ipso quoque tota ejus doctrina totumque opus ejus eodem testimonio commendatur. Unde facile consequitur hac sua redargutione Spiritum sanctum pariter mundum convincere quod nemo justus esse possit nisi qui fide in Christum veram justitiam a Christo edoctam meritis et gratia Christi sibi acquisierit. Proin quod multi explicant de justitia discipulorum Christi, de justitia quam Christus morte sua nobis comparavit, non quidem primo et per se verbis enuntiatur, at necessaria consequentia ex ipsa illa Christi justitia consequitur, qua scil. is esse arguitur quem se professus est. Hæc redargutio mundi fit quoque virtutibus et multiplici sanctitate eorum qui fidem Christi profitentur; fit per Spiritum sanctum quia ejus gratia et donis ejusmodi fructus enascuntur quibus mundus plane caret ».

(1) Quam particulam temporalem Vulgata addit.

(2) Cf. Corluy, *Commentarius in Evangelium S. Joannis*, Gandavi, 1889, p. 422.

(3) Cf. *Heb.* II, 14.

manifestabit ruinâ idololatriæ, energumenorum liberatione et vanis impiorum contra perennem Ecclesiam oppugnationibus (1).

III. **Periphrasis.** (Tristitia implevit cor vestrum quia locutus sum de instanti meo discessu), 7 *sed tamen ego veritatem dico vobis* dicendo meum discessum vobis utilem fore: *expedit vobis ut ego* proficiscar a vobis et *vadam* ad Patrem qui me misit: *si enim non abiero, Paraclitus,* Patre ita disponente, *non veniet ad vos: si autem abiero,* (ego qui merui ut Paraclitus mitteretur) *mittam eum ad vos.* 8 *Et cum venerit ille,* vestram causam contra mundum agens, *arguet* seu convincet *mundum* infidelium numine suo vivifico et ministerio Apostolorum *de peccato, et de justitia, et de judicio.* 9 *De peccato quidem* cui obstrictus manet, *quia non crediderunt in me,* Messiam ac Filium Dei; 10 *de justitia vero* ac innocentia mea: *quia vado ad* Deum *Patrem* meum gloria coronandus, ubi in æternum manebo, adeoque *jam non videbitis me* in hac carnis humilitate; 11 *de judicio autem* condemnationis mundo imminente, eo quod *princeps hujus mundi* impii et increduli, diabolus, (jam) judicio condemnatorio *judicatus est.*

A. Camerlynck.

II

Q. *An et cur in Christo homine admittenda est scientia naturaliter acquisita?*

R. Affirmative.

Nam Verbum veram ac integram assumpsit humanam naturam, cum omnibus ejusdem operativis potentiis, tum cognoscitivis, tum appetitivis, tum sensitivis, tum intellectivis. Porro sicut Christus utebatur sensibus

(1) Cf., præter opera jam citata, Ceulemans, *Commentarius in Evangelium secundum Joannem,* Mechliniæ, 1901, p. 220 ss.; Calmes, *L'Evangile selon S. Jean,* Paris, 1904, p. 404 s.

externis, videndo, audiendo, etc., ita et internis connaturaliter, nominatim phantasia, ex qua intellectus agens Christi, vi propriæ activitatis, abstrahebat species immateriales quæ impressæ intellectui possibili ibi determinabant apprehensiones e quibus tunc consequebantur et judicia et ratiocinia : sic experientia acquirebat sibi Christus veram scientiam, quæ habitualiter remanebat in Ipso et qua utebatur quando volebat, sicut et nos facere possumus.

Ex his sequitur quod non nisi miraculose impediri potuisset in Christo talis scientiæ acquisitio. Porro nulla afferri potest ratio admittendi talis miraculi ; e contrario : hæc scientia est vera perfectio, nec ullam impedit altiorem perfectionem, ne perfectiores quidem cognoscendi modos, qui fuerunt etiam in Christo et de quibus agemus in sequentibus responsis. Imo inordinatio fuisset in Christo, si non adfuisset hæc scientia : nam intellectus agens frustra fuisset in ipso : non enim habuisset in Christo propriam operationem : quum hæc sit abstrahere species intelligibiles a phantasmatibus. Quum autem agatur de facultate cujus operatio est perfectio subjecti in quo est, carentia talis operationis foret privatio, nempe carentia perfectionis naturaliter debitæ (1).

Nec dicas : si habetur in Christo scientia naturalis per infusionem, jam non admittenda est hæc scientia per acquisitionem ; atqui admittenda est in Christo scientia naturalis per infusionem, quemadmodum hæc fuit in Adam ; ergo.

R. Concedo antecedens : si a primo instanti Incarnationis fuisset in Christo scientia *per accidens* infusa, h. e. scientia ejusdem speciei ac est scientia naturaliter

(1) Si quis non admittat sententiam Scholasticorum de origine idearum, argumentum ad thesim nostram demonstrandam habeat ex hoc quod fuit in Christo naturalis facultas intelligendi : operatio hujus facultatis est perfectio quæ minime impeditur ab altiori perfectione : ergo hujus operationis carentia esset privatio in Christo.

acquisita (1), tunc non posset jam Christus postea paulatim sibi acquirere illam cognitionem, tunc etiam nullus esset profectus in scientia Christi.

Nego minorem; ad rationem additam, nego paritatem.

Et sane « Adam creatus est ut principium naturæ humanæ in naturalibus, tam secundum corpus quam secundum animam... ideo Adam, sicut secundum corpus creatus est perfectus in quantitate, ita et secundum animam creatus perfectus in scientia. Christus autem non est productus ut principium hominum in esse naturæ, nec in naturalibus pro hoc statu: sed ut doctor mysteriorum Dei et regni cœlestis. In cujus signum productus est, secundum corpus, quantitatis imperfectæ: et similiter, secundum animam, in pura potentia quoad scientiam naturaliter acquisibilem. Et sicut *crevit ætate* et vere augmentum corporale habuit, ita *crevit sapientia:* simul enim Evangelista hæc dicit. Nec docuit mathematicam aut astrologiam et hujusmodi; sed arcanum Trinitatis, et vias ac secreta regni cœlorum » (2).

Quum autem humana natura assumpta fuerit perfecta, nec concupiscentia aut alia inordinatio impediret in Christo rectum usum facultatum cognoscitivarum, acquirebat Christus scientiam, quæ semper fuit perfecta secundum ætatem in qua erat.

J. Van der Meersch.

---

(1) Scientia dupliciter esse et vocari potest *infusa*, scilicet *per se* et *per accidens*. Per se infusa est illa scientia quæ talis est speciei ut non possit haberi nisi per infusionem; per accidens infusa est illa scientia quæ talis est speciei ut possit acquiri et tamen de facto infunditur. Si Deus homini infunderet scientiam rerum naturalium quæ posset naturaliter et per studium acquiri, hæc esset scientia *per accidens* infusa; si vero Deus homini infunderet scientiam quæ nullo modo posset naturaliter acquiri ab homine hæc esset scientia *per se* infusa. Cf. Cajetanus, in III, Q. IX, a. 4.

(2) Cajetanus, *o. c.*, *l. c.*

III

Q. *Determina modum quo accidentia panis et vini existunt in Eucharistia absque substantia panis et vini.*

Respondetur.

Existunt accidentia panis et vini (1) *absque subjecto inhæsionis, sustentantur autem divina virtute, ita tamen ut sola quantitas dimensiva immediate sustentetur divina virtute, reliqua vero accidentia subjectentur in quantitate ut in vice-substantia.*

Explicatio et probatio.

1°/ *Absque subjecto inhæsionis existere* accidentia panis et vini probat S. Thomas (2), via exclusionis, ostendendo nullam posse excogitari substantiam cui inesse valeant dicta accidentia. Et sane « non sunt sicut in subjecto in substantia panis et vini, quæ non manent;... manifestum est etiam quod... non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi, sicut in subjecto; quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates ». Neque sunt « sicut in subjecto in aëre circumstante... primo quidem quia aër non est hujusmodi accidentium susceptivus, secundo quia hujusmodi accidentia non sunt ubi est aër, quinimo ad motum harum specierum aër depellitur, tertio... quia, cum aër non spolietur accidentibus propriis, simul haberet accidentia propria et aliena ».

2°/ Quod existant species panis et vini absque sub-

---

(1) Loquimur de solis accidentibus *absolutis*, afficientibus substantiam *secundum seipsam*, sepositis accidentibus *respectivis tantùm*, substantiæ superaddentibus *ordinem aliquem ad terminum extrinsecum*. Vocantur passim *species*, quatenus spectantur secundum relationem suam ad sensus nostros, dum accidentia vocantur, prout spectantur secundum relationem inhærentiæ in subjecto. Cf. Van Noort, *Tractatus de sacramentis*, Amstelodami, 1905, I, n. 349.

(2) P. III, qu. LXXVII, art. 1.

jecto cui inhæreant, et quo sustententur, hoc non habent ex se et ex virtute propria, cum accidens essentialiter exigat esse in alio, sed hoc habent ex virtute divina supplente defectui substantiæ sustentantis; quod, supposita reali distinctione accidentis a substantia, non implicat fieri: « cum enim effectus magis dependeat a causa prima quam a causa secunda, Deus, qui est prima causa substantiæ et accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in esse accidens, subtracta substantia, per quam conservabatur in esse sicut per propriam causam: sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formavit in utero Virginis sine virili semine » (1).

Quibus attentis frustrà opponitur accidentia, ex eo quod actu separata existant a substantia mutare suam essentiam et induere rationem substantiæ: non est enim « definitio substantiæ, ens per se sine subjecto, nec definitio accidentis, ens in subjecto; sed quidditati seu essentiæ substantiæ competit habere esse non in subjecto, quidditati autem sive essentiæ accidentis competit habere esse in subjecto » (2); juxta explicationem autem datam accidentibus panis et vini sola denegatur *actualis* inhæsio in subjecto, non vero ab ipsis aufertur inhæsionis essentialis *exigentia,* cum non ex sese nec ex virtute propria existant sine subjecto sed ex virtute divina sustentante. Et ideo, uti concludit S. Thomas (3), « non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis, quæ est aptitudo ad subjectum, quæ semper manet in eis,... nec competit eis definitio substantiæ ».

Neque dicatur quod influxus ille quem in accidens naturaliter exercet substantia, non possit suppleri a

---

(1) Ibidem.
(2) S. Thomas, P. III, qu. LXXVII, art. 1, ad 2m.
(3) Ibidem.

Deo, cum videatur ad genus *causæ materialis* pertinere. « Substantia namque ad accidens comparatur non tantum ut potentia ad actum et materia ad formam, quod imperfectionis est; sed etiam ut causa ad effectum, quod perfectionis est. Ergo repugnat quidem Deum substare accidentibus *ut formabile subjectum;* non autem manifestò repugnat Deum immediata sua virtute supplere substantiæ erga accidens influxum effectivum » (1).

3°/ Omnia accidentia *collective* sumpta existunt sine subjecto inhæsionis; sed, si considerantur *distributive,* secundum ordinem ad invicem, videtur quod sola quantitas immediate sustentetur virtute divina, reliqua vero accidentia subjectentur in quantitate ut in vice-substantia.

Nimirum « inter accidentia propinquius inhæret substantiæ quantitas dimensiva, deinde qualitates in substantia recipiuntur quantitate mediante, sicut color mediante superficie » (2). Jamvero « subtracto subjecto, remanent accidentia secundum esse quod prius (ante

---

(1) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 249. Qua de re cf. Billot, *De Ecclesiæ sacramentis,* I, p. 467 et seq., ubi monet notandum esse « quod causalitas substantiæ respectu accidentis est duplex. Substantia enim causat ut causa materialis in quantum subjectat accidentia, causat etiam quasi efficienter, in quantum accidentia ab ea dimanant per quamdam resultantiam, et jugiter conservantur per continuum influxum. Porro, cum in sacramento Deus dicitur supplere causalitatem substantiæ, non sic intelligas quasi ipse suppleret causalitatem materialem, gerendo vices subjecti, quod absit; sed, sublato substantiæ influxu, quicumque ille est, conservat accidentis essentiam sub proprio actu essendi ».

(2) S. Thomas, *Summa contra gentiles*, l. IV, cap. 63. Cf. etiam Ill. ac Revum Waffelaert, apud *Collat. Brug.*, T. VI, p. 567, ubi probatur quantitatem esse primum accidens et simile inducitur argumentum ex S. Thoma. *In IV,* Dist. XII, qu. I, art. 1, ad 1m: « Prima accidentia consequentia substantiam sunt quantitas et qualitas, et hæc proportionantur duobus principiis essentialibus substantiæ, scilicet materiæ et formæ..... sed qualitas ex parte formæ. Et quia materia est subjectum primum, quod non est in alio, forma autem est in alio, scilicet materia, ideo magis appropinquat ad hoc quod est non esse in alio quantitas quam qualitas, et per consequens quam alia accidentia ».

conversionem) habebant » ; ergo « consequens est quod omnia accidentia remaneant fundata super quantitate dimensiva » (1), ita ut « sola quantitas dimensiva sine subjecto subsistat, et in ipsa qualitates fundentur sicut in subjecto » (2).

Quod comparatione illustrant Salmanticenses (3): « Sicut intellectus, aiunt, est ratio proxima per quam anima rationalis recipit species et habitus scientiarum, ita quantitas est proportionaliter dispositio aut ratio proxima per quam substantia corporea recipit colorem, saporem, figuram et alia accidentia ; unde, sicut species et habitus inhærent animæ mediante intellectu, ita color et alia accidentia corporalia inhærent substantiæ corporeæ mediante quantitate. Ergo si per impossibile, destructa anima, maneret intellectus, eo ipso manerent species et habitus...; ita etiam, cessante substantia panis per conversionem, quantitas, quæ miraculose perseverat, retinet per modum subjecti colorem, saporem et cætera accidentia, quæ ante conversionem substantiæ habebat sibi unita ».

Equidem, uti advertit S. Thomas, P. III, qu. LXXVII, art. 2, ad 1m, accidens per se non potest esse subjectum alterius accidentis, quia per se non est, et ideo, in naturalibus, unum accidens dicitur esse subjectum alterius in quantum unum recipitur in subjecto alio mediante: sed quando accidenti datur divinitus ut per se sit, potest etiam per se alterius accidentis subjectum esse.

Nota. Juvat hic memorare singularem aliquam, quam proposuit P. Leray (4), theoriam, vel ut ostendatur quales nonnunquam ineptiæ proponantur prætextu pro-

---

(1) S. Thomas, P. III, qu. LXXVII, art. 2.

(2) S. Thomas, *Summa c. gentiles*, l. c.

(3) *De Eucharistia*, Dist. VIII, Dub. III, par. 3in.

(4) *La constitution de l'univers et le dogme de l'Eucharistie*, Paris, 1900. Item: *Le dogme de l'Eucharistie*, Paris, 1904, in collectione « *Science et Religion* ». Citationes referuntur ex hoc altero opusculo.

fectus theologici, in ipsis etiam opusculis sic dictis apologeticis. Audiamus ipsum Auctorem confidenter loquentem :

« Nous pensons avec le cardinal de Lugo (1), que le corps de Jésus-Christ devient le support des accidents du pain en général et conséquemment des accidents de chacun de ses atomes en particulier. Or le mode le plus simple d'obtenir ce résultat serait, nous semble-t-il, que notre Seigneur substituât un élément analogue de son propre corps à la place de chacun des éléments de pain qui disparaîtrait. Aussi dans le lieu occupé par un atome quelconque du pain, hydrogène, oxygène, azote ou carbone, le corps de Jésus-Christ serait présent tout entier d'une manière non sensible (2), et il permettrait à un élément analogue de son corps de modifier l'espace comme faisait l'élément du pain et de jouer absolument le même role physique ». L. c., p. 51-52.

Et ne cogites te somniari, audi eum pergentem : « Mais n'est-il pas étrange de supposer que Notre Seigneur localise avec impénétrabilité un des éléments de sa chair sans les autres ? Ce fait préternaturel n'est pas plus étonnant que les nombreuses apparitions où il n'a laissé voir qu'une partie de son corps..... Ainsi Jésus rend visible à S. Thérèse, tantôt son corps entier, tantôt son visage et tantôt ses mains. Pourquoi ne

---

(1) Nititur doctrina male intellecta quam exponit De Lugo, *De Eucharistia*, Disp. VI, sect. 2 : de quo cf. Van Noort, *Tractatus de sacramentis*, I, n. 357, necnon *Revue Thomiste*, 1901, p. 168 et seq.

(2) Nimirum, ut anathema vitet Ecclesiæ, admittit Christum Dominum esse totum ac integrum sub unaquaque specie ac quavis ejus parte, ac adeo duplicem supponit præsentiam Christi, unam indimensivam, secundum quam totus adest, et alteram dimensivam, secundam quam ex parte præsens sistitur : « Dans le lieu occupé par un atome quelconque du pain, le corps de Jesus-Christ serait présent tout entier d'une manière non sensible, (sans impénétrabilité à la manière d'un esprit), et il permettrait à un élément analogue (de même espèce chimique) de son corps, de modifier l'espace (en le rendant impénétrable), comme faisait l'élément du pain ».

pourrait-il montrer seulement un doigt, une phalange; et, en descendant par transitions insensibles du plus au moins, pourquoi ne pourrait-il localiser, s'il lui plait, une cellule, une molécule, et, à l'extrême limite, un atome de sa chair sacrée? Tous ces faits sont du même ordre et n'impliquent pas plus de difficultés l'un que l'autre ». p. 52-53.

Quibus in absurditatibus refutandis absit immoremur: unusquisque illicò videt quantopere contradicant hujusmodi placita certissimæ doctrinæ Ecclesiæ. Nimirum Auctor ille aperte negat accidentia panis et vini existere sine subjecto inhæsionis, quod punctum doctrinæ, si absque hæresi negari possit, profectò absque temeritate rejici nequit (1); deinde, prorsus adulterat notionem transubstantiationis, eam reducendo ad meram substitutionem unius elementi alteri; ac undequaque implicat, in Auctoris explicatione præsentiæ eucharisticæ, Christi multipræsentia, ejusque identitas pessumdatur penitus; cogitur etiam idem Auctor, velit nolit, admittere Christi corpus, in illis elementis pani substitutis, affici speciebus eucharisticis, earumque quantitate, figura, colore etc. (2).

Qui plura desiderat adeat dissertationem P. Lehu, apud *Revue Thomiste,* 1901, pp. 22-39, 156-171 et 338-351, ubi, præter explosa figmenta P. Leray, simul sanam ac solidam reperiet expositionem scholasticam mysterii eucharistici. Cf. etiam, si lubet, *Revue Augustinienne,* 1905, p. 407 et ss., sub titulo: *Les théories du Père Leray sur l'Eucharistie;* item *La science catholique,* 1903, p. 929 et seq., ac 1904, p. 211 et seq.

---

(1) Cf. Catech. Conc. Trid., *De Sacr. Euchar.,* nn. 26 et 45.

(2) Ipse non veretur fateri: « sans doute nos yeux perçoivent les atomes de sa chair, qui ont pris la place des atomes correspondants du pain ». p. 53.

IV

Q. *An et quare accidentia panis et vini possunt immutare corpora ambientia atque ab eis immutari?*

Respondetur.

I/ Possunt immutare corpora ambientia, sive substantialiter sive accidentaliter, non secus ac ante conversionem.

Quod egregie *probat* S. Thomas (1): « Quia, ait, unumquodque agit in quantum est ens actu, consequens est quod unumquodque, sicut se habet ad esse, ita se habeat ad agere : quia igitur secundum prædicta (in responso ad III^m Qu.) speciebus sacramentalibus datum est divina virtute ut remaneant in suo esse quod habebant, substantia panis et vini existente, consequens est quod etiam remaneant in suo agere, et ideo omnem actionem quam poterant agere, substantia panis et vini existente, possunt etiam agere, substantia panis et vini transeunte in corpus et sanguinem Christi, unde non est dubium quod possunt immutare exteriora corpora », idque non secus ac ante conversionem.

Specialis tamen datur difficultas circa mutationem *substantialem,* quomodo nempe non repugnet species, accidentia cum sint, ad hujusmodi immutationem pertingere : nihil enim agit ultra speciem suam, quia effectus non potest esse potior causa.

Apposite autem respondet S. Thomas (2): « Dicendum, inquit, quod immutatio, quæ est ad fórmam substantialem, non fit a forma substantiali *immediate,* sed *mediantibus qualitatibus* (3)... quæ agunt in virtute

(1) P. III, qu. LXXVII, art. 3.

(2) Ibidem, ad 3^m.

(3) Subjectum agere *mediante qualitate* ostendit S. Thomas, *In IV,* Dist. XII, qu. I, art. 2, sol. 1 : « Agere non est nisi rei per se subsistentis, et ideo neque materia agit neque forma sed compositum; quod tamen non agit ratione materiæ sed ratione formæ, quæ est actus et

formæ substantialis; hæc autem virtus instrumentalis conservatur in speciebus sacramentalibus divina virtute sicut et priùs erat, et ideo possunt agere ad formam substantialem instrumentaliter (1): per quem modum aliquid potest agere ultra suam speciem, non quasi virtute propria sed virtute principalis agentis ». Cf. etiam *In IV,* Dist. XII, qu. I, art. 2, sol. 2, et ad 1m; item *Collat. Brug.,* VI, p. 567 et seq.

Et ita actionem chimicam quam vinum naturale (vel panis), seu unum alterumve ex ejus elementis constitutivis, exercere potest in aliud corpus, illud substantialiter permutando, eamdem illam actionem exercere potest vinum eucharisticum, i. e. accidentia remanentia vini in Eucharistia (2).

II/ Possunt per influxum ab aliis corporibus receptum immutari accidentia illa eodem plane modo ac si substantia panis et vini remansisset. Quod pari ac sub I/ modo ostenditur:

Nimirum compositum substantiale, quemadmodum agit, uti notavimus, mediante qualitate ita aliorum

---

actionis principium. Et quia quantitas se tenet ex parte materiæ et qualitas ex parte formæ, ideo quantitas (adeoque subjectum quantum) non agit nisi mediante qualitate ».

(1) Conservatur nempe in qualitate miraculosè a Deo sustentata virtus illa seu energia instrumentalis, subtracta licet substantia, quemadmodum virtus generandi manet in semine quamvis separato a corpore, uti notat Cajetanus ad S. Thomam, h. l.: « Sicut conservato semine, semen bovis generat bovem, et semen hominis generat hominem, procul dubio virtute hominis a quo fluxit, et tamen non oportet semen illud subordinari defuncto homini ita quod referatur ad illum aut moveatur ab illo, (sat enim est conservari sicut fluxit ab illo); ita qualitas vini conversi in sanguinem Christi, quia erat virtus vini, productiva est non secus ac si substantia vini subesset. Nec oportet subordinari vino converso, nec moveri ab illo, sed dicitur agere in virtute illius, quia est virtus quæ fluxit ab ipso.

(2) Mettez le vin en présenee de l'acide chlorhydrique, l'acide réagira sur l'alcool et l'alcool réagira sur l'acide, et par leur action mutuelle combinée vous obtiendrez deux corps nouveaux, le chlorure d'éthyle et l'eau: $C^2 H^5$, o H (alcool) + H Cl. (acide chlorhydrique) = $C^2 H^5$ Cl. (chlorure d'éthyle) + H^2 o (eau).

corporum actionem ac influxum subit mediante quantitate; hanc enim quantitatem vidimus sese habere ex parte materiæ, per quam est omnis potentia passiva et omnis passio, dum omnis actio est per formam, ex cujus parte se tenet qualitas (1). « Sicut corpus ratione materiæ capax est patiendi ab aliis corporibus, potius quam agendi in illa, ita quantitas quæ se habet ex parte materiæ, non dat ipsi activitatem sed potius capacitatem subeundi influxum aliorum activitatis » (2).

Jamvero quantitas conservatur in esse quod habebat ante conversionem, uti ex suprà dictis abunde eruitur. Ergo eodem modo immutari possunt et corrumpi accidentia panis et vini sicut et prius ante conversionem poterant immutari ac corrumpi. Satis igitur erit indicare immutationes quas panis et vinum recipere possunt in accidentibus suis, ut illicò habeamus modum quo immutari possint accidentia panis et vini post conversam substantiam remanentia.

Porro panis et vinum duplici modo immutari possunt, vel 1/ tali immutatione quæ non expellat substantiam, putà cum modicum immutatur color aut sapor, vel 2/ tali mutatione quæ non compatiatur naturam panis et vini.

Quod autem spectat hanc *alteram* immutationem, naturam panis et vini expellentem, multipliciter contingere potest. Ad quod intelligendum juvat notare panem et vinum esse corpora quidem composita sed non chimice composita (composés chimiques); non sunt nempe talia « quæ nascuntur ex elementarium commixtione perfecta, seu, uti nunc dicunt, quæ ex corporibus aliis specie diversis chimica combinatione conflantur, et rursus per chimicam analysim abeunt in alia specie diversa » (3); sunt potius heterogeneorum aggregata, *seu mixtiones* (mélanges), uti vocantur, quæ

(1) *Collat. Brug.*, T. VI, p. 566 et 567.

(2) Illmus ac Revermus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, apud *Collat.*, VI, p. 657.

(3) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 323.

constituuntur imperfecta elementorum mixtione, ita ut miscibilia singula servent suam propriam naturam et mere extrinsece aggregentur in unum per accidens (1). Ita panis constat ex aggregatione aquæ cum « amidon » et « gluten », et quibusdam aliis corporibus minoris momenti; vinum autem aqua potissimum constat et alcool (2).

Quo posito dicta immutatio intelligitur in pane et vino fieri signanter per dissociationem elementorum quibus panis et vinum constituuntur (3), vel per chimicam transformationem unius alteriusve elementi constitutivi (4), necnon per adjunctionem, in relative magna quantitate, sive corporis heterogenii, sive corporis homogenii uni alterive elemento compositum ingredienti (5).

---

(1) Cf. De Jaegher, l. c.; Nys, *Cosmologie,* Louvain, 1903, p. 74 et seq.

(2) Hisce attentis circa panis et vini constitutionem, patet dicta suprà de *substantia* panis et vini eorumque forma substantiali, non esse stricte et presse sumenda, cum non detur vera forma substantialis panis et vini, nec adeo proprie dicta substantia panis et vini, sed potius dentur in pane et vino plures substantiæ cum distincta respective forma substantiali. Transsubstantiatione igitur panis et vini, presse loquendo, conversæ sunt singulæ substantiæ variorum corporum mixtionem panis et vini ingredientium, et remanserunt accidentia variorum illorum corporum: conversis tamen illorum corporum substantiis, conversa est omnis entitas substantialis panis et vini, ac remanentibus illorum accidentibus, remanent accidentia illius totius quod vocatur panis et vinum. Placuit autem servare terminologiam usu Ecclesiæ consecratam, licet coram scientia chimica minus accuratam.

(3) Sic v. gr. si in vino alcool sejungitur ab aqua, et ita porro.

(4) Sufficit ut in vino elementum alcool, vel in pane gluten aut amidon in aliud corpus specie diversum mutetur. Ita, uti jam vidimus, sub responso ad 2m Quæst., la réaction de l'acide chlorhydrique sur l'alcool du vin produit du chlorure d'éthyle avec de l'eau; de même, pour le pain, l'amidon sous l'action de la salive et le gluten sous l'action du suc gastrique se transforment respectivement en sucre et en peptone.

(5) Sic si vino misceatur liquor heterogeneus in relative magna quantitate, adeo ut, coram æstimatione communi, jam non appareat esse vinum, sed potius alterius naturæ mixtio videatur; item, si magna copia aquæ infundatur vino, disrumpitur proportio juxta quam aqua ingredi debet compositum: quæ proportio inter varia mixtionis elementa non est quidem servanda mathematica, sicut pro compositis chimicis, habet tamen quosdam limites qui excedi nequeunt.

Possunt igitur accidentia panis et vini remanentia immutari vel ita ut non cessent esse accidentia panis et vini, ac remaneret natura panis et vini si adesset; vel ita ut desinant esse accidentia panis et vini, ac recederet substantia panis et vini, si adesset, suscepta transformatione una alterave via modò indicata.

Nota: 1°/ Immutatio hujusmodi vel corruptio illarum specierum « non est miraculosa, sed naturalis: præsupponit tamen miraculum, quod est factum in consecratione, scilicet quod illæ species sacramentales retineant esse sine subjecto, quod prius habebant in subjecto; sicut et cæcus miraculose illuminatus naturaliter videt (1).

2°/ Quando immutantur ac corrumpuntur accidentia, illa corruptio nullatenus afficit Christum eucharisticum. Non tantùm enim absolute incorruptibilis est Christus Dominus, sed, uti ex supra delibatis abundantissime liquet, pro modo præsentiæ suæ, prorsus subtrahitur sacratissimum ejus corpus omni actioni corporum ambientium, ac sola accidentia aliena, sub quibus continetur, immutationis ac corruptionis sunt susceptiva, quin immutatio ullatenus attingat Christum per modum substantiæ præsentem.

V

Q. *Expone modum quo Christus desinit esse præsens in SS. Eucharistia.*

Respondetur.

Ut methodice et complete propositam quæstionem solvamus, tria exponemus: 1/ quid requiratur ac sufficiat ut Christus desinat esse præsens, 2/ quo modo Christus recedat, et 3/ quid ejus loco succedat.

Ad I. Ad hoc ut Christus Dominus cesset esse præsens requiritur et sufficit quod species eucharisticæ

(1) S. Thomas, P. III, qu. LXXVII. art. 4, ad 3m.

desinant esse accidentia panis et vini, seu quod adeo immutentur ut expelleretur substantia panis et vini, si adesset.

Quod sequitur ex germana notione transsubstantiationis, quam dedimus apud *Collat. Brug.*, T. IV, p. 148 et seq.: una namque ac indivisa actione omnipotentis Dei convertitur substantia panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi, ita ut inter desitionem unius et positionem alterius nexus intercedat immediatus et intrinsecus, utque ipsa desitio substantiæ panis et vini sit ipsa successio substantia corporis Christi: unde una ac eadem actione conversiva accidentia cessant continere substantiam panis et incipiunt continere Christum, adeoque eadem speciebus acquiritur habitudo ad continendum Christum, quam habebant ad continendam substantiam panis et vini, præterquam quod, uti vidimus, substantiæ Christi non inhæreant accidentia sicut inhærebant, ante conversionem, substantiæ panis et vini (1).

Idem confirmatur ex genuino sensu formulæ consecrationis « hoc est corpus meum » et « hic est sanguis meus »; quæ formula significat: substantia quæ *sub hisce accidentibus* continetur, est substantia corporis et sanguinis Christi, ita ut præsentia Christi alligetur ad perseverantiam accidentium panis et vini.

Quousque igitur manent accidentia panis et vini, seu quousque manent in eo statu qui compateretur præsentiam substantiæ panis et vini, si adesset, manet præsens Christus eucharisticus.

Ad II. Quod spectat ipsum *modum*, juxta quem,

---

(1) L. c., in corpore: « Cum corpus Christi et sanguis succedant in hoc sacramento substantiæ panis et vini, si fiat talis immutatio ex parte accidentium, quæ non suffecisset ad corruptionem panis et vini, propter talem immutationem non desinit corpus et sanguis Christi esse sub hoc sacramento;... si vero fiat tanta immutatio quod fuisset corrupta substantia panis aut vini, non remanet corpus et sanguis Christi sub hoc sacramento ».

corruptis accidentibus panis et vini, cessat esse præsens : Christus desinit ibidem adesse absque ullo motu locali, quippe cui vidimus ipsum non esse obnoxium, sed, uti docet S. Thomas (1), « sicut Deus... desinit esse in aliqua creatura corruptibili per hoc quod creatura corruptibilis desinit esse ».

Ad III. Recedenti corpori et sanguini Christi Domini, succedit substantia correspondens accidentibus immutatis, vel succedunt plures substantiæ dictis accidentibus convenientes, pro varia immutatione recepta.

Et sic v. gr. si species comburuntur, adsunt sub accidentibus transformatis veri cineres ; pariter ubi species in stomacho eas manducantis, sub chimica actione digestionis, ita transformantur ut jam non sustineretur præsentia panis et vini, si adessent, locum cedit Christi corpus substantiæ vel variis substantiis quæ consequerentur digestionem peractam in pane et vino naturali ; rursus autem illa substantia vel illæ substantiæ assimilabuntur et in substantiam nutriti convertentur.

Quæ novæ substantiæ substitutio indubitanter est asserenda, ne cogamur miracula frustrà multiplicare ac deceptiones. Sola difficultas est in explicatione dogmatica facti : undenam nempe et quomodo generetur nova substantia vel substantiarum aggregatio.

Imprimis extra omne dubium est novam illam substantiam nequaquam generari ex ipso corpore et sanguine Christi Domini, quemadmodum sacrilege contendit fœdissima ac absurdissima secta stercoranistarum, docentium sacratissimum corpus dominicum digestioni, adeoque assimilationi partim et partim secessui esse obnoxium. Absolute namque incorruptibilem vidimus Christum Dominum, ac, pro modo præsentiæ, omni actioni corporum ambientium prorsus subtractum (2).

---

(1) P. III, qu. LXXVI, art. 6.

(2) Ideo caute tractandæ sunt locutiones nimium indulgere videntes

Neque placet explicatio quam refert ac reprobat S. THOMAS, quatenus « quum contingit hoc sacramentum in carnem converti aut sanguinem per nutrimentum, vel in cinerem per combustionem,... redit divino miraculo substantia panis quæ prius fuerat, et ex ea generantur illa in quæ hoc sacramentum converti invenitur » (1).

Remanet igitur dicendum : accidentibus eousque immutatis ut, recedente Christo Domino, naturaliter subintraret nova substantia vel substantiarum complexus, defectui elementorum naturalium ipse Deus omnipotenti sua vi supplet, substituendo, pro varia necessitate, sive substantiam novam ex integro sive elementum materiale dumtaxat (2).

Utrum nunc hujusmodi substantiæ substitutionem

---

huic conceptioni, quatenus caro Christi fiat nostra caro, sanguis Domini misceatur nostro sanguini, consanguinei fiamus Christi, et alia hujusmodi, uti jam notavimus, apud *Collat. Brug.*, IV, p. 225.

(1) *Summa contra gentiles*, l. IV, cap. 66, ubi pergit : « Hoc omnino stare non potest. Ostensum est enim suprà quod substantia panis in substantiam corporis Christi convertitur ; quod autem in aliquid conversum est redire non potest, nisi e converso illud reconvertatur in ipsum. Si igitur substantia panis redit, sequitur quod substantia corporis Christi convertitur in panem, quod est absurdum.

Adhuc : si substantia panis redit, necesse est quod vel redeat speciebus panis manentibus vel speciebus panis jam destructis. Speciebus quidem panis durantibus, substantia panis redire non potest ; quia, quamdiu species manent, manet sub eis substantia corporis Christi : sequeretur ergo quod simul esset ibi substantia panis et substantia corporis Christi. Similiter etiam neque corruptis speciebus panis, substantia panis redire potest, tum quia substantia panis non est sine propriis speciebus, tum quia, destructis speciebus panis, jam generata est alia substantia ad cujus generationem ponebatur quod substantia panis rediret ». Cf. P. III. qu. LXXVII, art. 5 ; *In IV*, Dist XII, qu. I, art. 2, sol. 4.

(2) Quando accidentia immutantur viâ immutationis physicæ, uti vocatur, seu mecanicæ, puta per meram dissociationem elementorum, vel per adjunctionem alterius corporis, chimice non reagentis, in excedenti quantitate, integraliter forent substituendæ substantiæ quæ novam mixtionem componere debent ; contrà, quando immutatio contingit esse chimica, satis est, pro quanto immutatio sese exerit chimice, ut suppleatur defectui solius materiæ ad suscipiendam formam substantialem novæ substantiæ quæ succedere debet.

Deus operetur, eam immediate creando, vel potius dimensionibus panis et vini dando vim et proprietatem substantiæ, quod alterum præplacet S. Thomæ (1), difficile est dictu ac minoris cæteroquin momenti. Quomodocumque autem hoc fiat, non est in eo novum reponendum miraculum, cum divinus ille interventus transsubstantiationem logice sequatur, ab eaque postuletur (2).

Corollarium 1m. Species sacramentales corporaliter reficiunt ac nutriunt eas sumentem, per assimilationem nempe in corpus manducantis substantiæ, seu substantiarum quæ, sub accidentibus panis et vini digestione immutatis ac corruptis, succedant corpori Christi Domini.

In hoc igitur non est sequendus ALGERUS, alioquin egregie disserens de sacramento altaris, in aureo libello, cui titulus « *De sacramentis corporis et sanguinis dominici* » : nimia nimirum reactione contra stercoranistarum figmenta, non tantum rejecit nutritionem corporalem ex corpore Christi Domini, sed illam prorsus denegavit speciebus sacramentalibus, et eousque processit ut hisce putredinem ac corruptionem abjudicaverit (3).

---

(1) P. III, qu. LXXVII, art. 5, in corpore, ad 2m et ad 3m.

(2) « In quo quidem juvari poteris, uti notat BILLOT, *De Ecclesiæ sacramentis*, I, p. 479, exemplo generationis humanæ; nam postquam inductæ sunt dispositiones exigentes infusionem animæ rationalis, ad Deum pertinet animam creare, quia virtus generantis usque ad effectionem animæ sese extendere nequit; et non solum non est miraculosa animæ creatio atque infusio in corpus, sed imo miraculum potius foret, si tunc a Deo anima non crearetur. Ita ergo in præsenti exigit naturæ ordo ut impotentia naturalis agentis consequens miraculum transubstantiationis suppleatur divinitus ».

(3) « Nec solum corpori Christi, sed et ipsi sacramento visibili eadem causa mucorem negamus et putredinem, qua superius digestionem, quia cum illæ species sine panis et vini substantia sint, quomodo muscescere et putrescere magis quam digeri possint, non facilis patet causa. Ipsis vero speciebus, cum non sint æternæ, defectum negare non possumus; sed ipsum defectum ita dicimus simplicem ut nullam fæditatis admittamus corruptionem », p. 227 (ed. Ill. Malou). Cf. etiam p. 220-221, quo loco curiosè respondet objectioni deductæ ex facto illorum qui ex pane consecrato magna copia sumpto alantur ac sustententur.

2°/ Quando per apparitionem miraculosam sanguinis, carnis vel pueri, uti nonnunquam contigisse narratur, in supposito quod apparitio sit objectiva et non tantum subjectiva ex parte videntium, videtur cessare præsentia sacramentalis quotiescumque ex integro immutata apparent accidentia, et non ex parte dumtaxat : contrarium tamen docet S. THOMAS, P. III, qu. LXXVII, art. 8°, juxta quem miraculosa immutatio fit non circa dimensiones quæ manent, sed circa reliqua accidentia, puta figuram, et colorem et alia hujusmodi. Qua de re cf. SCHMID, *Die eucharistischen wundererscheinungen und die dogmatik,* apud *Zeitschrift f. k. theologie,* 1902, p. 503-511.

A. DE SMET.

VI

Q. *Quid sit delictum ecclesiasticum?*

Nota. In foro canonico, delictum a crimine non distinguitur. Proinde sub hac voce intelligimus tum crimina, tum delicta, tum excessus prælatorum et subditorum (1).

R. Delictum ecclesiasticum est *dolosa, externa et ordinem socialem disturbans legis transgressio pœna ecclesiastica sancita.*

Dicitur 1° *dolosa;* delictum enim supponit culpam seu voluntatem faciendi aut omittendi quod cognoscitur esse prohibitum aut præceptum. Illa culpa, nomine proprio, in jure criminali vocatur *dolus*, sive injustum damnum inferatur modo doloso per simulationem aut dissimulationem sive actio prohibita perpetretur ex simplici prava intentione aut voluntate seu propositò aut consultò (2). Consequenter, in delicto primaria causa

(1) DEVOTI, *Institutionum canonicarum libri IV,* t. II, p. 231 (1). Gandæ, 1830; VECCHIOTTI, *Institutiones canonicæ*, t. II, p. 229. Augustæ Taurinorum, 1876; MÜNCHEN, *Das kanonische Gerichtsverfahren und Strafrecht*, t. II, p. 19 ss. Köln, 1874; HOLLWECK, *Die kirchlichen Strafgesetze,* § 2, § 4, p. 66 s. Mainz, 1899.

(2) MÜNCHEN, *o. c.*, p. 24.

surgit a voluntate et ab anima rationali et ita consideratur voluntas in delictis etiam prout temporaliter puniuntur, non autem simplex et rude factum (1). Ideo qui doli non sunt capaces, uti pueri et insani, delictorum sunt insontes; qui vero non sunt plene sui compotes, uti impuberes, mitius sunt tractandi (2).

2° *Externa;* quod intelligitur de peccato verbo, facto aut signo exterius manifestato, sive probari possit sive nequeat, ad exclusionem tantummodo peccati omnino occulti seu mere interni: si quis v. gr. negaret articulum fidei sola mente, committeret peccatum mere internum. Ratio est, quia de internis non judicat Ecclesia, et quia ex illis culpis internis externus ordo socialis Ecclesiæ per se non turbatur. Inde in jure canonico (3) derivatum est a jure romano principium: *Cogitationis pœnam nemo patitur;* inde contrà, propagatio doctrinæ ordinis socialis subversivæ delictum constituit (4).

3° *Ordinem socialem disturbans;* quia in statu sociali, ad criminosum constituendum non sufficit quodcumque peccatum externum etiam grave, sed requiritur ut sit ordinis societatis ecclesiasticæ perturbativum (5), cum tota justitia criminalis, ut in ultimo fundamento nitatur in tuitione et quasi-defensione ordinis publice constituti (6). Hac ratione differt præprimis delictum a peccato: dum peccatum est quævis legis violatio, delictum

---

(1) Fagnanus, ad c. *Cum voluntate*, X. *de sent. excom.* (V, 39) n° 5.

(2) München, *o. c.*, p. 40 ss.; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 1371, t. II, p. 724.

(3) c. 14, D. 1 de pœnit.; coll. c. 21, C. XI, qu. 3.

(4) Cavagnis, *Institutiones juris publici ecclesiastici*, ed. 3, t. I, p. 69, n° 130 ss. Romæ, 1898; Hollweck, *o. c.*, § 1, nota 3; ejusdem auctoris, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts*, p. 548. Freiburg-i-B., 1905. Cf. etiam Suarez, *De censuris*, Disp. IV, Sect. 2. Merito abstrahimus a quæstionibus: num possit Ecclesia peccata mere interna plectere pœnis latæ sententiæ, saltem pro foro interno et, num possit imperare actus internos.

(5) De Brabandere-Van Coillie; *o. c.*, n° 1255, 3°, t. II, p. 588.

(6) Cavagnis, *o. c.*, n° 128 ss; Hollweck, *Die kirchlichen Strafgesetze*, *l. c.*, p. 66, nota 4.

est illa legis violatio quæ per se societati præjudicat; hac ratione distinguitur crimen ecclesiasticum a crimine civili: quot enim sunt species ordinum socialium præ diversitate finium societatum, tot sunt et criminum; hac demum ratione non tantum peccata contra justitiam sed et peccata contra religionem, fidem, castitatem etc., non tantum peccata consummata, sed et peccata exterius attentata legitime pœnis compescuntur (1).

Cum vero illa ratio perturbationis ordinis socialis pendeat ab adjunctis temporum, locorum, rerum et personarum, fieri potest quod, mutatis adjunctis, mutetur etiam ratio criminis; ita ut v. gr. quod tantummodo haberetur ut peccatum, imo ut peccatum per se leve, propter mutatas circumstantias, tanquam crimen reputetur, imo gravibus sanctionibus puniatur. Quod abunde patet ex iis quæ affert Benedictus XIV, in suo libro *De Synodo,* lib. X, c. 3, nº 1, 2. Cæteroquin, sicuti graviter aut leviter perturbari potest ratio boni societatis et animarum, ita dari possunt crimina gravia aut crimina levia, quibus proportionari debent pœnæ graviores aut leviores (2).

4º *Legis transgressio,* seu violatio legis etiam divinæ sed præsertim humanæ, per actionem vel omissionem. Etenim ordo juridicus societatis christianæ fundatur in lege divina et ecclesiastica. Unde delictum non est necessario transgressio legis ecclesiasticæ, sed potest esse læsio legis divinæ, sanctione pœnali ab Ecclesia munitæ (3).

5º *Pœna ecclesiastica, sancita.* Lex mere prohibens divina aut humana non facit delictum; nec sola reservatio absolutionis indolem delicti peccato tribuit, sed oportet ut legislator humanus adnexuerit *huic pec-*

---

(1) Tarquini, *Institutiones juris ecclesiastici publici,* n. 25, Romæ, 1877; Vecchiotti, *o. c.*, p. 229; Cavagnis, *o. et l. c.*, n. 128 ss.

(2) Fagnanus, ad c. *Omnipotens.* X, *de accusat.* (V. 1) n. 17; Suarez, *De censuris,* Disp. IV, Sect. 4, n. 1 ss.

(3) Hollweck, *o. c.*, p. 66, nota 4.

cato, pœnam sive latæ sive ferendæ sententiæ, sive specialem sive arbitrariam. Porro, legislatoris ecclesiastici est, positiva lege, determinare elementa seu notas quibus constituitur corpus delicti (1), simulque hujus gravitati proportionatas edicere pœnas. Inde semper verificatur axioma: *Pœna criminis ex tempore legis* (2), quod doctrina clarius interpretatur: *Nullum crimen sine lege pœnali* (3).

Corollarium. De discrimine peccatum inter et delictum.

a/ Peccatum potest esse internum, delictum debet exterius sese prodere.

b/ Peccatum est quævis malitiosa juris violatio, delictum est illa legis violatio quæ redundat in damnum societatis.

c/ Peccatum divinæ ultioni reservatur, delictum sanctione pœnali, lege ecclesiastica est interdictum.

A. De Meester.

---

(1) München, *o, c,,* p. 71; Hollweck, *Kirchenrecht,* p. 549, nº 716.
(2) C. 3, C. XXXII, qu. 4.
(3) Hollweck, *Die kirch. Strafgesetze,* p. 66, nota 5.

Législation civile.

Divorce. — Séparation de corps.

I

Loi modifiant l'article 295 du Code civil.

Le 22 Février 1906 parut au Moniteur (1) la loi modifiant l'article 295 du Code civil, article qui refusait d'une façon absolue aux époux divorcés le droit de se réunir : « Les époux qui divorceront pour quelque cause que ce soit ne pourront plus se réunir ».

Voici le texte de la nouvelle loi :

« *Article unique.* L'article 295 du code civil est remplacé par la disposition suivante :

Article 295. Les époux divorcés pourront se réunir en faisant célébrer de nouveau leur mariage, sans être tenus d'observer ni le délai de trois ans fixé par l'article 297, ni même le délai fixé par les articles 228 et 296, si l'épouse n'a pas contracté dans l'intervalle un autre mariage dont la dissolution remonte à moins de dix mois.

Dans l'acte de mariage, on énoncera le lieu et la date de leur première union.

Les articles 1098, 1496 et 1527 ne seront applicables que s'il existe des enfants issus d'un mariage contracté entre les deux unions ».

Le principe que consacre la présente disposition a été admis par un vote presque unanime dans les deux Chambres ; tous, à peu d'exceptions près, ont été d'accord pour faire disparaitre de notre Code une clause aussi odieuse qu'immorale et anti-chrétienne.

Il est vrai, comme le fit remarquer Mr le Ministre de la Justice (2), que « c'est une pensée de prudence qui a

(1) N° 53, p. 1161.

(2) *Annales. — Chambre des Représentants,* 1904-1905, p. 164.

fait introduire dans le Code Napoléon l'article 295, portant interdiction pour les époux divorcés de se réunir de nouveau : le législateur d'alors a craint qu'en instituant un divorce qui serait en quelque sorte révocable, et dont on pourrait, après quelques années, supprimer et effacer les effets par un nouveau mariage, il affaiblirait le sentiment salutaire d'appréhension qu'éprouvent les époux qui songent à divorcer et rendrait ainsi plus facile de leur part cette détermination regrettable » ; mais d'autre part, il n'est pas moins vrai, comme le proclama Mr Dohet, rapporteur de la commission de la Chambre, que « l'abrogation de l'article 295 du Code civil constituera une œuvre de logique, de raison, de moralité, d'humanité et de justice » (1).

Aussi dans plus d'un pays, vivant sous le régime de notre code, on a jugé opportun de supprimer ou de modifier l'art. 295 ; c'est notamment le cas pour la France, où cependant le législateur a restreint la faculté accordée aux époux divorcés de se remarier au cas où

---

(1) Ibidem, p. 167-168 : « Une œuvre d'abord de logique et de raison. Il est incompréhensible et contradictoire que le législateur, en principe défavorable au divorce,... ait interdit de mettre fin à une situation qu'il considère, si non comme un mal, du moins comme un remède à un mal et qu'il voit toujours avec regret. Il est illogique de donner au divorce une sorte d'indissolubilité que la loi n'accorde pas au mariage. Le mariage est un bien, la loi permet de le dissoudre ; le divorce n'est pas un bien et les époux ne pourront plus se réunir : le divorce est éternel... ».

« La disposition proposée est une œuvre de moralité, d'humanité et de justice *pour les époux*. Un des effets les plus considérables du divorce est que, suivant la loi civile, les époux divorcés peuvent contracter un nouveau mariage. Toute latitude leur est laissée pour contracter une union nouvelle ... ; une seule réunion est interdite : celle des époux dont le divorce a été prononcé... ».

« Le nouvel article est enfin et surtout une œuvre de haute moralité, d'humanité et de justice *pour les enfants*. S'il y a des enfants nés du mariage, s'il en vient à naître après la réconciliation, la disposition prohibant la réunion des époux revêt un caractère immoral et odieux ; elle frappe non seulement l'époux coupable et son conjoint, mais elle atteint d'une pénalité injustifiable les enfants ».

ni l'un ni l'autre n'a contracté un nouveau mariage, rompu depuis par un autre divorce (1).

En Hollande la commission de révision du Code civil s'est ralliée à la suppression de l'art. 295 ; par contre la commission Belge, saisie à son tour de la question, s'est prononcée dans un sens absolument contraire. Elle a craint, comme autrefois les auteurs du Code civil, qu'en permettant les remariages, on ne fît évanouir la plus grave des appréhensions qui arrêtent les époux au seuil du divorce, l'éternité de la rupture, et elle a maintenu l'article 295.

Malgré l'avis contraire de la dite commission Belge de révision, quelques membres de la Chambre des Représentants, usant de l'initiative parlementaire, ont déposé un projet de loi tendant à l'abrogation de l'art. visé ; voici le texte amendé au sein de la commission : « *Article unique.* L'article 295 du Code civil est remplacé par la disposition suivante : *Art. 295.* Les époux divorcés pourront se réunir en célébrant de nouveau leur mariage et en rétablissant leurs conventions matrimoniales telles qu'elles ont été primitivement réglées. Toutefois, si la séparation de biens avait été judiciairement prononcée, les époux se trouveront replacés sous ce régime.

Les nouvelles conventions matrimoniales ne peuvent préjudicier aux droits des enfants, tels qu'ils résultent notamment des articles 305, 1098, 1496 et 1527 du Code civil ».

---

(1) Loi des 19-27 Juillet 1884 : « Les époux divorcés ne pourront plus se réunir, si l'un ou l'autre a, postérieurement au divorce, contracté un nouveau mariage suivi d'un second divorce. Au cas de réunion des époux une nouvelle célébration du mariage sera nécessaire. — Les époux ne pourront adopter un régime matrimonial autre que celui qui réglait originairement leur union. — Après la réunion des époux, il ne sera reçu de leur part aucune nouvelle demande de divorce, pour quelque cause que ce soit autre que celle d'une condamnation afflictive et infamante prononcée contre l'un d'eux depuis leur réunion ». Cf. COULON, *Le divorce et la séparation de corps*, Paris, 1890, T. I, p. 291 s.

Le rapport fut déposé à la séance du 22 Novembre 1904, et la discussion du projet commença, devant la Chambre, à la séance du 30 Novembre suivant.

Nous donnerons brièvement l'économie générale du projet de loi, ainsi que les principaux remaniements qu'il eut à subir avant le vote définitif.

Aux yeux des auteurs de la proposition, et notamment aux yeux du Rapporteur, soutenu d'ailleurs par le Gouvernement et par Mr Woeste, la nouvelle union permise par la loi serait la continuation de la première, la reprise de l'ancienne : « A la vérité,... il faudra bien une célébration de mariage nouvelle ; cette célébration devra être précédée de publications. Pourquoi? Parce que l'officier de l'état civil aura, à la suite de la décision des tribunaux, dissous le mariage ; il est donc nécessaire que l'on recoure aux formes ordinaires du mariage pour que cette union première soit rétablie. Mais il n'en est pas moins vrai qu'en étant rétablie, cette union doit être envisagée comme la continuation du premier mariage » (1).

La conséquence logique qui leur sembla en résulter, est qu'il faudra, lors du rétablissement de l'union, rétablir aussi le régime matrimonial antérieur ; aussi la proposition de loi exige formellement que les conventions matrimoniales soient reprises, tout en stipulant, au second paragraphe, qu'il faut respecter les droits acquis, en vertu des articles 305 (2), 1098, 1496 et 1527 (3), par les enfants nés avant la réunion.

---

(1) Discours de Mr Woeste, *Annales parlementaires — Chambre des Représentants*, 1904-1905, p. 165.

(2) En vertu de l'art. 305, « dans le cas de divorce *par consentement mutuel*, la propriété de la moitié des biens de chacun des deux époux sera acquise de plein droit, du jour de leur première déclaration, aux enfants nés de leur mariage ».

(3) Les articles 1098, 1496 et 1527 restreignent la liberté des époux, *ayant des enfants d'un autre lit*, à faire des donations mutuelles lors d'un second mariage ; notamment l'art 1098 stipule que « l'homme ou la femme qui, ayant des enfants d'un autre lit, contractera un second ou subséquent

Mr Woeste a, par voie d'amendement, proposé de limiter l'application de ce 2d paragraphe, pour ce qui regarde les articles 1098, 1496 et 1527, au cas où les époux, ou l'un d'eux, auraient contracté une nouvelle union à la suite du mariage dissous et que des enfants seraient nés de cette union. De cette façon l'existence d'enfants issus de la première union dissoute par le divorce, ne constituerait pas, en dehors du cas prévu par l'art. 305, un obstacle pour les époux qui se remarient, à reprendre les mêmes conventions matrimoniales qui régissaient la première union; et les enfants nés avant le divorce seraient mis sur le même pied que les enfants qui naîtraient après le remariage, et ceux-ci ne seraient pas considérés comme des enfants d'un autre lit. C'était la seconde conséquence de l'identité des deux unions matrimoniales (1).

D'ailleurs on a fait valoir une autre raison pour justifier le rétablissement obligatoire du régime matrimonial antérieur: il pourrait se faire que les époux n'aient d'autre but en divorçant que de faire tomber leur contrat de mariage, pour se remarier ensuite sous un autre régime; d'où de graves inconvénients pourraient résulter au point de vue de l'intérêt, soit de l'un des époux soit des tiers.

---

mariage, ne pourra donner à son nouvel époux qu'une part d'enfant légitime le moins prenant, et sans que, dans aucun cas, ces donations puissent excéder le quart des biens ».

(1) Il est clair, déclara Mr le Ministre de la Justice, que la nouvelle union ne fera que reprendre et continuer l'ancienne, D'où découlent, ajouta-t-il, logiquement deux conséquences: « La première conséquence, c'est que le régime matrimonial, quant aux biens, réglant la nouvelle union, ou plutôt la seconde phase de l'union des deux époux, doit être le même que celui qui en a réglé la première phase. La deuxième conséquence, c'est que, au point de vue de l'application des règles sur la quotité disponible, les enfants nés avant l'interruption du mariage, ne doivent pas être envisagés, dans leurs rapports avec les enfants qui naîtraient après celle-ci, comme des enfants d'un autre lit. Les uns et les autres sont et doivent être traités comme des enfants du même lit ». *Annales. — Sénat*, 1904-1905, p. 288.

La proposition de loi, amendée par Mr Woeste dans le sens indiqué, fut, sauf une légère modification (1), adoptée en première lecture dans la même séance du 30 Novembre.

*
* *

Lors de la discussion en seconde lecture, Mr Huysmans déposa un double amendement tendant à restreindre la faculté donnée aux divorcés de se remarier entr'eux: il proposait d'exclure d'abord le cas où l'un ou l'autre époux divorcé aurait, postérieurement au divorce, contracté un nouveau mariage suivi d'un second divorce, ensuite le cas où des époux divorcés, après avoir rétabli leur union, l'auraient dissoute par un nouveau divorce. La première restriction est littéralement copiée de la loi française de 1884.

Le rapporteur a, dans la séance du 19 Janvier 1905, victorieusement réfuté les arguments apportés à l'appui du double amendement (2); d'ailleurs il avait déjà, au cours de la première discussion (3), fait valoir les raisons qui avaient déterminé les auteurs du projet de loi, à ne pas admettre la disposition restrictive du législateur français.

Quant à la seconde restriction proposée par Mr Huysmans, son application serait excessivement rare et rien ne la justifie: il serait plus logique, si l'on veut éviter le jeu des divorces et des remariages, d'introduire la règle établie en France, aux termes de laquelle, lorsque des époux divorcés se sont réunis, ils ne peuvent plus divorcer à nouveau.

Il n'est donc pas étonnant que les amendements développés par Mr Huysmans furent rejetés, et que le projet de loi fut adopté en seconde lecture à une forte

---

(1) *Annales.* — Chambre, 1904-1905, p. 173.
(2) Ibidem, p. 476-477.
(3) Ibidem, p. 168.

majorité ; sauf quelques modifications de rédaction, le texte adopté en 1re lecture fut conservé (1).

***

Lorsque le débat fut porté devant le Sénat, la commission de la haute assemblée avait apporté au texte voté à la Chambre des changements importants.

Mr le sénateur Braun, au nom de la commission dont il était le rapporteur, proposait *premièrement* de laisser aux époux divorcés qui veulent se réunir, la liberté d'adopter un régime matrimonial autre que celui qui régissait leur première union ; *deuxièmement* de ne pas leur imposer, avant le remariage, les délais fixés par les articles 297 et 296, délais de trois ans et de dix mois à observer respectivement par les époux divorcés par consentement mutuel ou pour cause déterminée : l'art. 296 serait applicable au seul cas où l'épouse aurait contracté dans l'intervalle un autre mariage dont la dissolution remonte à moins de dix mois.

Il faut en convenir, cette double mesure dilatoire, introduite aux articles 296 et 297, vise sans aucun doute le mariage que les époux divorcés pourraient contracter *avec un tiers,* d'autant plus que, sous le régime de l'article 295, c'était la seule hypothèse possible. D'autre part il n'y a, en dehors du cas formellement excepté dans le texte même, aucun motif de maintenir ces délais, lorsqu'il s'agit de deux époux qui veulent reconstituer leur foyer primitif ; au contraire il importe d'écarter autant que possible les obstacles qui pourraient contrecarrer les bonnes intentions des époux divorcés.

Quant au rétablissement des conventions matrimoniales antérieures, la commission du Sénat était d'avis de ne pas l'imposer d'office ; elle estimait qu'il serait préférable de ramener les époux qui se remarient au

(1) Ibidem, p. 482.

droit commun et de les rendre à leur liberté initiale, afin qu'ils arrêtent avec pleine et entière latitude les conditions juridiques, sous lesquelles il leur plaira de restaurer la vie commune. Elle craignait, et la crainte semble fondée, que le rétablissement obligatoire du régime antérieur ne constituât une entrave légale au rapprochement des conjoints, qui peut-être auront appris par l'expérience que d'autres conventions matrimoniales leur conviendraient mieux et rendraient leur union moins précaire.

Aux tenants du système adopté par la Chambre, qui invoquent l'identité du nouveau mariage avec le mariage antérieur, pour en déduire l'identité du régime matrimonial, les partisans du système préconisé par la commission du Sénat répondent: « Vous confondez deux choses parfaitement distinctes : d'une part le mariage religieux ; de l'autre cette formalité légale à laquelle on a donné le nom de mariage civil. Nous ne discutons pas le premier mais le second. Le mariage religieux est indissoluble ; le mariage civil ne l'est pas. Celui-ci a été rompu, complètement rompu, il n'en reste plus rien. Peut-on dire que la seconde union n'est que la reprise et la continuation de la première? Canoniquement, oui, civilement, non. Du contrat signé devant l'officier de l'état civil, il ne subsiste plus que les deux personnes qui l'avaient passé; mais identité de personnes n'entraine pas identité d'acte.

Le contrat lui-même a été déchiré, anéanti par le divorce, et le néant ne saurait pas revivre. Au point de vue légal, les époux vont contracter une alliance nouvelle, qui n'a rien de commun avec l'ancienne. Pourquoi donc les forcer à reprendre les conventions qui les régissaient jadis? » (1).

D'autre part les membres de la commission estimaient, contrairement à l'avis qui avait prévalu à la

(1) *Annales. — Sénat*, 1904-1905, p. 286.

Chambre, qu'il n'y a pas lieu de craindre que les époux ne spéculent sur le divorce pour changer leur contrat de mariage: le divorce par spéculation répugne trop à la nature humaine pour qu'il faille appréhender qu'il se traduise dans les mœurs.

Le Sénat s'est rangé, malgré l'opposition de Mr le Ministre de la Justice, à la manière de voir de la commission, éloquemment défendue par Mgr Keesen et par le rapporteur Mr Alex. Braun : le projet, tel qu'il fut amendé au sein de la commission, a été adopté en première et seconde lecture à l'unanimité à une voix près et une abstention.

On voit, d'après les indications données, que le Sénat a non seulement apporté au projet de loi, des remaniements importants, mais qu'il en a bouleversé toute l'économie, en rejetant le principe, admis à la Chambre, de l'identité légale des deux unions.

Le texte adopté par le Sénat fut renvoyé à la chambre, où il fut voté, sans autre modification, dans la séance du 31 Janvier 1906 (1), par 103 voix contre trois et une abstention, celle de Mr Woeste, qui tint à protester contre le principe, admis par le Sénat, de la distinction juridique et légale des deux mariages, et conséquemment contre la faculté accordée aux époux qui se remarient, de modifier le régime matrimonial primitif.

La sanction royale fut donnée à Villefranche s/m le 8 Février 1906, et la loi parut au Moniteur le 22 Février suivant.

II

Proposition de loi portant modification au régime de la séparation de corps.

Le 12 Avril 1905 le Sénat a voté la prise en considération (2) d'une proposition de loi, déposée par Mr le

(1) *Annales.* — Chambre, 1905-1906, p. 558.
(2) *Annales parlementaires.* — *Sénat,* p. 296.

Sénateur Alex. Braun le 7 du même mois, et portant modification au régime de la séparation de corps (1).

C'est assurément un projet de la plus haute importance : s'il passait en force de loi, il comblerait plus d'une lacune regrettable de notre code, et réparerait des inégalités révoltantes dont souffrent, depuis plus d'un siècle, les époux à qui leur conscience ne permet pas de recourir au divorce.

On sait que les conjoints, qui se voient acculés à la triste nécessité de rompre la vie commune, ont à leur disposition, sous le régime de notre code civil actuel, deux moyens légaux : ou bien le divorce, qui dissout devant la loi civile l'union conjugale, soit la séparation de corps, qui respecte et laisse intact le lien matrimonial. Ce dernier moyen fut introduit dans notre législation par égard aux scrupules religieux des catholiques ; seulement il y a pour les époux chrétiens de graves inconvénients à préférer la séparation de corps au divorce, à tel point que des avocats chrétiens et catholiques croient pouvoir conseiller à leurs clients, de demander le divorce de préférence à la séparation de corps.

Il y a en effet 1°/ l'art. 299, qui, d'après la jurisprudence actuellement en vigueur en Belgique, n'est pas applicable à la séparation de corps, mais uniquement au divorce. L'article porte : « Pour quelque cause que le divorce ait lieu, hors le cas du consentement mutuel, l'époux contre lequel le divorce aura été admis perdra tous les avantages que l'autre époux lui avait faits, soit par leur contrat de mariage, soit depuis le mariage contracté ». Par conséquent, l'époux innocent, qui réclame contre son conjoint coupable la séparation de corps plutôt que le divorce, devra renoncer aux privilèges garantis par l'art. 299.

---

(1) Voir *Exposé des motifs*, dans les *Documents parlementaires. — Sénat*, p. 134 s.

Il y a 2°/ l'art. 310, aux termes duquel, « lorsque la séparation de corps, prononcée pour toute autre cause que l'adultère de la femme, aura duré trois ans, l'époux qui était originairement défendeur, pourra demander le divorce au tribunal, qui l'admettra si le demandeur originaire, présent ou dûment appelé, ne consent pas immédiatement à faire cesser la séparation ». Ainsi la partie qui a obtenu en sa faveur un jugement en séparation de corps se trouve placée dans l'alternative de reprendre, après trois ans, la vie commune ou de voir prononcer d'office le divorce contre elle.

Laurent lui-même n'hésite pas à dénoncer l'iniquité et l'incohérence manifeste de cette étrange disposition : « Pourquoi le législateur a-t-il admis la séparation de corps ? Uniquement par respect pour les scrupules de conscience de l'époux lésé. La religion lui défend le divorce, elle lui permet la séparation de corps. Il use du droit que la religion et la loi lui accordent. Après trois ans, l'époux coupable vient le sommer de rétablir la vie commune, et si le conjoint innocent s'y refuse, le divorce sera prononcé malgré ses scrupules religieux. N'est ce pas mettre l'innocent à la merci du coupable ? Il y a plus. Le législateur ne se contredit-il pas lui-même en autorisant la séparation de corps par respect pour la liberté de conscience, et en remplaçant ensuite la séparation de corps par le divorce, au mépris de cette liberté ? ». L'auteur du nouveau projet propose d'abroger l'art. (1).

Il y a 3°/ les articles 215-219 du code : ces articles restent applicables à la femme séparée de corps, et elle ne peut ester en justice, ni aliéner ou acquérir des biens,

---

(1) En France l'article 310 a été revisé et laisse au juge un pouvoir d'appréciation dans l'instance en conversion ; il stipule que « lorsque la séparation de corps aura duré trois ans, le jugement *pourra* être converti (en Belgique il *doit* être converti) en jugement de divorce, sur la demande formée par l'un des époux ». La commission Belge de révision s'est ralliée au système de la loi française.

sans l'autorisation de son mari ou du tribunal, tandis que la femme divorcée recouvre le plein exercice de sa capacité civile.

« Il est à peine besoin d'insister, remarque Mr Braun, dans l'exposé des motifs, sur l'inégalité choquante résultant de la séparation de corps et du divorce au point de vue de la capacité de la femme. L'épouse séparée de corps doit recouvrer la libre administration et la libre disposition de ses biens au même titre que l'épouse divorcée, sans être obligée de solliciter l'autorisation maritale, et, à son défaut, l'autorisation de justice, pour les actes qui rentreraient dans sa capacité civile, si elle n'était pas, comme elle ne l'est plus, en puissance de mari. Sans aller aussi loin que la loi française du 6 Février 1893, qui a rendu le plein exercice de sa capacité civile à toute femme séparée de corps, sans distinguer entre celle qui a obtenu la séparation, et celle contre qui celle-ci a été obtenue, on admettra... que l'épouse au profit de qui la séparation a été prononcée a tout au moins le droit de revendiquer sa libération ».

Il y a enfin et surtout 4°/ la difficulté pour le mari séparé de corps d'éviter d'une manière efficace l'intrusion d'enfants adultérins. En effet en vertu de l'art. 312 actuel, l'enfant conçu pendant le mariage, et conséquemment aussi pendant la période de séparation de corps, a pour père le mari; celui-ci ne pourra désavouer l'enfant, à moins de prouver que, pendant le temps qui a couru depuis le trois-centième jusqu'au cent quatre-vingtième jour avant la naissance de cet enfant, il était dans l'impossibilité physique de cohabiter avec sa femme.

La proposition de loi, déposée par Mr Braun, en éliminant une à une de notre code ces choquantes anomalies; tend à modifier heureusement le régime déplorable sous lequel nous vivons, et qui met l'époux catholique entre son intérêt et son devoir, sa conscience lui disant qu'il doit se contenter de la séparation de corps et son

intérêt exigeant qu'il demande le divorce. Il est à souhaiter que le Sénat ne tarde guère longtemps à en aborder la discussion.

Voici le texte de la proposition :

« *Art. 1er.* L'article 299 du Code civil est applicable à la séparation de corps.

Art. 2. L'article 310 du Code civil est abrogé.

Art. 3. La séparation de corps a pour effet de rendre à la femme, au profit de qui elle a été prononcée, le plein exercice de sa capacité civile, sans qu'elle ait besoin de recourir à l'autorisation de son mari ou de la justice.

Art. 4. La disposition suivante est ajoutée à l'article 313 du Code civil : En cas de jugement ou même de demande en séparation de corps, le mari pourra désavouer l'enfant né trois cents jours après la décision qui aura autorisé la femme à avoir un domicile séparé, et moins de cent quatre-vingts jours depuis le rejet définitif de la demande ou depuis la réconciliation. L'action en désaveu ne sera pas admise si la femme prouve qu'il y a eu réunion de fait entre les époux » (1).

Note. 1°/ Nous signalons, en passant, à l'attention du lecteur la loi du 23 Févr. 1905 (2), modifiant la procédure en matière de divorce ; seulement, à notre point de vue, elle ne semble pas assez importante pour qu'il soit opportun d'en faire un exposé détaillé (3).

2°/ Mentionnons encore pour mémoire une proposition de loi, due à l'initiative de Mr le Sénateur Wiener ; elle a pour objet d'abroger l'art. 298, aux termes duquel, « dans le cas de divorce admis en justice pour cause

---

(1) C'est la formule adoptée en France en 1884 ; la seule différence c'est que le texte de Mr Braun met explicitement à la charge de l'épouse la preuve des circonstances de fait qu'elle invoquerait pour renverser les présomptions légales.

(2) Voir *Moniteur*, 1905, 1r trimestre, p. 865-866, avec les renvois aux Documents et aux Annales parlementaires.

(3) Voir l'aperçu succinct de la loi par M. Soudan, dans la *Revue catholique de droit*, 1906, p. 198 et ss.

d'adultère, l'époux coupable ne pourra jamais se marier avec son complice ». Le projet fut déposé dans la séance du 4 Avril 1905 (1), et pris en considération le 12 Avril suivant (2).

A. De Smet.

(1) Voir l'Exposé des motifs, *Documents parlementaires*. — *Sénat*, 1904-1905, p. 133-134.

(2) Voir *Annales*. — *Sénat*, 1904-1905, p. 296.

De Sequentia « Dies iræ »

Sæpius agitatur quæstio admodum practica utrum sufficiat ut in missis *de Requiem* cantatis, *Dies iræ* a celebrante legatur, quin a choro cantetur. *Dies iræ,* de quo scribebat auctor quidam Protestans: « uno omnium consensu sacræ poëseos summum decus et ecclesiæ latinæ κειμήλιον est pretiosissimum », est cantilena quædam, probabiliter a Thoma Celano, S. Francisci Assisinatis socio, confecta, quæ primitus privata, postea (sæc. XIV) ad modum sequentiæ in missis de *Requiem* inseri cœpit et tandem a Pio V præscripta fuit. Novemdecim strophis valde simplicibus sed animum intime moventibus, 1° describitur, prælucente propheta Sophonia (I, 15 ss.) (1), « dies iræ, dies illa » in qua Judex supremus omnes judicaturus adveniet et timor qui omnes invadet (1-7); dein 2° orat homo peccator ut rex tremendæ majestatis qui simul est fons pietatis, donum concedat remissionis ante diem rationis, post mortem inter oves locum præstet et defunctis donet requiem (8-19). Sive intrinsecam rythmicæ compositionis indolem spectes, sive originem perquiras sequentiarum in genere (2), patet Sequentiam *Dies iræ* confectam et missis de Requiem insertam fuisse eo fine *ut decantaretur.*

Quum autem usus ab Ecclesia probatus primævam institutionem mutare possit, videndum est præprimis quid S. C. R. censeat de usu non cantandi Sequentiam.

---

(1) Eamdem Sophoniæ descriptionem diei vindictæ divinæ præ oculis habuit et magis presse imitatus est auctor responsorii *Libera me.*

(2) Cantus versus alleluiatici, quo absolvitur Graduale extra tempora pœnitentiæ, solebat in fine protrahi pluribus modulationibus quæ cantabantur sine verbis quæque *jubilationes,* ratione indolis cantus, vocabantur, vel *sequentia* quasi id quod sequitur. Medio autem ævo inductus est mos ut his modulationibus adaptarent verba, seu potius ut has modulationes assumerent quasi thema initiale alicujus decantandæ orationis rythmicæ indoli festi congruæ: hæc ipsa oratio vocata fuit *Sequentia,* et ut patet, inducta fuit tantum ut decantaretur. Per longum tempus *Dies iræ* in pluribus ecclesiis non fuit admissa, quia Sequentia non solebat admitti nisi in diebus festivis in quibus adest versus *alleluia* et non Tractus.

Pluries rogata fuit S. R. C. utrum consuetudo etiam immemorialis (n. 2959[2]) non cantandi ea quæ ex regulis liturgicis canenda sunt, admitti aut tolerari possit. In dubiis propositis enumerantur in specie: *Gloria*, totum Graduale vel Tractus, *Sequentia*, *Credo,* Offertorium, Præfatio, *Benedictus, Pater noster*, Communio, et non quæritur tantum de missa conventuali (n. 2424[2]) sed de omni missa, etiam sine ministris, cantata. Hujuscemodi dubiis constanter respondit S. R. C.: *Negative*. Videri possunt decreta sub nn. 2424[2]; 3365[7]; 3624[11], quibus addatur responsum recens diei 3 jul. 1904.

Ex integro citari meretur decretum 29 dec. 1889, *Lucionen.*, n. 3624[11], tum ob motiva quæ in favorem insuetudinis allegantur, tum ob modum quo consuetudo ut abusus eliminanda declaratur.

XI. In tota fere diœcesi Lucionensi adest consuetudo canendi Missas quæ infra hebdomadam a diversis fidelibus petuntur, omittendo in choro *Gloria* et Graduale vel Tractum, necnon Sequentiam vel Credo, si dicenda occurrant; ea ratione quod cantor unicus omnes Missæ cantus difficillime solus peragere possit, populusque diuturnitatem Missæ in diebus servilibus ægre sustineat. Quæritur utrum prædictus modus canendi Missas servari possit; an prout abusus eliminandus sit ejusmodi consuetuo?

Ad. XI. « *Consuetudo, de qua in casu, veluti abusus prorsus eliminanda est* ».

Patet illa non minus applicanda esse missis de *Requie* quam missis de die. Sed plura decreta in specie agunt de missis pro defunctis et notatim de Sequentia *Dies iræ*.

In parte expositiva decreti S. R. C., 11 sept. 1847, *Taurinen.*, n. 2959[3], asserebatur esse « immemorabiles nonnullas consuetudines quæ ecclesiasticis sanctionibus non apprime concordant » et quærebatur ut S. C. « illas permittere saltem dignaretur ». Nempe:

« 2. An pariter tolerandus sit usus quod in Missis cum cantu prætermittatur cantus Introitus, Offertorii, Commu-

nionis et quando post epistolam occurrit, etiam sequentiæ? Item quod in Missis defunctorum prætermittatur cantus *saltem integræ Sequentiæ Dies iræ* et Offertorii? Et an post easdem Missas defunctorum, quæ tamen ex nulla obligatione decantantur, prætermitti possit cantus saltem alicujus partis absolutionis? »

Respondetur ad 2: Negative, quoad primam partem; quoad secundam vero et tertiam: *vel non celebrandas Missas defunctorum vel canenda esse omnia quæ precationem suffragii respiciant.*

Ortum dubium de significatione verborum « precationem suffragii » solvitur sequenti decreto S. R. C., 9 maii 1857, *Portus aloisii*, n. 3051[1]:

I. Num in responso a S. Rit. C., die 11 sept., in *Taurinen.* ad dubium secundum dato, quod respicit Missas defunctorum cantandas, verba illa *precatio suffragii* includant sequentiam *Dies iræ*, quæ vix vocari potest oratio vel precatio. Item: Num in dictis Missis cantari necessario debeat Offertorium?

Ad I. « Affirmative, ad utrumque ».

Nec dicatur his non prohiberi prætermissionem alicujus partis cantus Sequentiæ si celebrans Sequentiam integram legat. Hanc enim interpretationem, quæ pugnat cum verbis præfatorum responsorum, sequens decretum S. R. C. 2 mai 1900, *Tirasonen.*, ad 6, expresse reprobavit:

6. An sufficiat ut in quibusdam Missis de Requiem, anniversariis late sumptis quæ cum diacono et subdiacono cantantur, Sequentia *Dies iræ* legatur tantum a celebrante, aut debeat etiam cantari a choro?

Ad 6. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Difficultas olim forte moveri potuisset ex decr. S. R. C., 12 aug. 1845, *Briocen.*, in antiqua collectione inserto sub n. 5208, ad 12, quo concedebatur « aliquas strophas Sequentiæ *Dies iræ* cantores prætermittere posse ». Licet petita fuerit « pro speciali dispensatione

super Sequentia *Dies iræ* cantanda », quidam forsan dubitare potuissent utrum responsum non esset conceptum ad modum concessionis generalis. Verum hoc ipsum effugium omnino evanuit ex eo quod præfati decreti dubium 12m in nova collectione authentica, n. 3029, fuit expunctum.

Præfata generali modo confirmantur in cap. III *Motu proprio De musica sacra,* n. 8 : « Il n'est permis ni d'intervertir l'ordre [des textes liturgiques]... ni de les omettre en entier ou seulement en partie, si toutefois les rubriques liturgiques ne permettent pas de remplacer par l'orgue plusieurs versets du texte, pendant que ceux-ci sont simplement récités dans le chœur » (*Collat. Brug.*, t. IX, p. 116).

Ex quibus omnibus luculentissime apparet Sequentiam *Dies iræ* — sicut et cetera quæ cantanda sunt — nec in toto nec in parte posse omitti a cantoribus.

Jamvero juxta præsentem disciplinam, decreto generali S. R. C. 30 jun. 1896, n. 3920[1] (1), statutam, *Dies iræ* est de præcepto « *in quibusvis cantatis Missis* (2), uti etiam in lectis quæ diebus privilegiatis fiunt ».

Nec dicatur præfatas præscriptiones non fuisse publicatas in diœcesi. Nam 1° leges pontificiæ et decreta Rom. Congregationum non debent promulgari in singulis diœcesibus, ut theoretice satis notum est ; 2° præscribitur imo pro diœcesi Brugensi, in decretis prosynodalibus anni 1904, « ut serventur ad amussim præscripta sacræ liturgiæ, cantando ea quæ, quo tempore et modo juxta rubricas, imprimis Missalis romani, cantanda sunt » (3).

***

(1) Ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 477.

(2) Ante præfatum decretum, *Dies iræ* erat de præcepto dumtaxat in « missis *de Requie* quæ cum unica tantum oratione decantantur ». Ita habet decretum mox citatum *Briocen.*, ad 12, quod invocatur ap. *Nouv. Rev. Theol.*, t. VII (1875) p. 635. Sed, ut patet, illud jam invocari nequit, sicut ceteroquin in nova collectione fuit suppressum.

(3) Ap. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 421.

An possunt quædam strophæ Sequentiæ Dies iræ *recitari alta voce?*

Decretum generale, 22 Maii 1894, n. 3827[2] sic habet:

Ea quæ cantorum schola exequi alternatim debet, nunquam esse omittenda: sed vel per integrum cantanda, vel si vocibus jungantur organa, partim concinenda, partim sub organis clara voce legenda, prout Cæremoniale Episcoporum præscribit: Symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit.

Jamvero diversas strophas *Dies iræ* alternatim exequitur schola cantorum, et ex rubrica Cæremonialis Episcoporum in editione typica anni 1886 reformata, in missis defunctorum licet pulsare organum infra cantum (1). Ergo, quamvis, decreta soleant exigere ut *Dies iræ* ex integro cantetur, tamen licet alternatim stropham cantare et sequentem alta voce sub organis recitare (2).

Quonam momento cantari debet Dies iræ?

Ut patet ex origine Sequentiarum et ex rubricis Missalis Romani, locus ipsi ex auctoritate assignatus est immediate post Tractum. Hanc autem dispositionem mutari non posse statuunt, inter alios, textus jam laudati *Motu Proprio De musica sacra* et decreti prosynodalis anni 1904.

Unde sequitur Sequentiam *Dies iræ* non posse legi a celebrante post Tractum et cantari a choro dum fideles oblationes offerunt.

Si celebrans et ministri infra cantum *Dies iræ* velint sedere, statim post recitatam Sequentiam accedant ad sedilia, ibique remaneant usque ad stropham 15: *Inter oves locum præsta.* Tunc accedant ad altare, genuflectant in primo gradu, subdiaconus ascendat ad cornu epistolæ, et dum celebrans legit *Munda cor,* transferat Missale, ut evangelium legatur.

C. Callewaert.

---

(1) Cærem. Episc. lib. I, c. XXVIII, n. 13.

(2) Vide *Ephem. liturgicæ*, 1896, p. 275, IV, *nota;* 1904, p. 552, Dub. 3.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii

—

I

Interpretare ep. S. Jac. I, 12-15.

II

An et cur admitti potest in Christo homine *ignorantia?*

III

Expone undenam confessarius sæcularis accipiat jurisdictionem in peregrinos sæculares, ex aliena diœcesi accedentes.

IV

Indica quædam specialiter attendenda in excipienda confessione puerorum.

V

Titius laicus confitetur, extra tempora privilegiata, peccata hæreseos, abortus et sodomiæ. An, quomodo et quibusnam sub cautelis absolvi potest a communi confessario: 1/ in articulo mortis, 2/ in periculo infamiæ?

VI

Quid præscribit liturgia de lumine coram tabernaculo?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

Q. Demonstra auctorem Evangelii S. Joannis I, 14 et I ep. Joannis I, 1-3 se non ut testem spiritualem (1), *verum ut testem oculatum et corporalem vitæ Christi exhibere.*

Respondetur. I. *Jo.* I, 14: *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.* — Auctor in hoc textu se velut testem oculatum et corporalem vitæ Christi exhibet, quod e textu et contextu apparet. Etenim

1° testatur se ad generationem seu cœtum hominum pertinere, inter quos (*in nobis* = inter nos) Verbum, caro seu homo factum, habitavit, gr. ἐσκήνωσεν i. e. tabernaculum fixit. Qua allusione ad tabernaculum testimonii, in quo Jehovah in medio filiorum Israel visibili modo habitabat (2), haud obscure realitatem Incarnationis inculcare intendit: Verbum, caro factum, visibile inter nos testes habitavit et conversatum est.

2° Testatur pariter se de numero fuisse illorum qui

---

(1) Quod HARNACK, *Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius*, II, 1, Leipzig, 1897, p. 676, et LOISY, *Le quatrième Evangile*, Paris, 1903, p. 131 contendunt.

(2) Vox enim ἐσκήνωσεν in memoriam revocat modum quo in V. T. gloria Dei in populo electo habitavit et sese manifestavit. Ibi Deus se nube lucida symbolo quodam præsentem sistebat, sc. super Sinai (*Exod.* XXIV, 16) et super tabernaculum testimonii (*Num.* IX, 22; X, 12). Habitare hebr. = *schacan*: unde manifestatio gloriæ Dei vel symbolum præsentiæ Dei appellabatur postea *schecinah*. In mysterio incarnationis adimpleta est illa σκήνωσις, cujus in V. T. figura habetur. Cf. KNABENBAUER, *Comment. in Ev. sec Joannem*, Parisiis, 1898, p. 82 s.; — CALMES, *L'Evangile selon S. Jean*, Paris, 1904, p. 121 s.

gloriam Verbi incarnati, i. e. splendorem ejus divinitatis, *oculis corporeis* contemplati sunt. Ad rem Toletus (1): « Evangelista narrati mysterii reddit testimonium ex visu. Posset enim peti ab eo, quomodo scis Verbum factum carnem, et habitasse in nobis? Vidimus, inquit, testes sumus oculati. Verbum græcum (ἐθεασάμεθα) visum diligentem et attentum significat, quasi aspeximus et considerate vidimus, non quidem ipsum Verbum in se, quia corporeis oculis videri non potest, sed in sua gloria et splendore ab eo procedente... His etiam verbis declarat Joannes non sic Verbum carnem factum in nobis habitasse, ut occultaret se Dei Verbum et filium esse, sed splendorem suæ divinitatis multifariam dedisse, nempe prædicatione, innumeris et inauditis miraculis, morte et resurrectione sua, transfiguratione ». Verbum θεᾶσθαι quod ubique (2) in N. T. significat « oculis corporeis videre », in limine evangelii, seu narrationis vitæ ac prædicationis Christi, positum, rerum narrandarum veritati stabiliendæ haud obscure destinatur.

II. Si dubium quoddam superesset utrum auctor *Jo.* I, 14 testis oculatus et corporalis, vel potius testis spiritualis i. e. mere mentalis ac mysticus ministerii Messianici Jesu fuerit, omne hujusmodi dubium, attento textu *I Jo.* 1-3, evanesceret.

Etenim identitas auctoris primæ Joannis epistolæ cum quarti evangelii auctore a viris criticis communiter (3) et meritò quidem (4) propugnatur. Jamverò

---

(1) *Comment. in S. Joannis Evang., h. l.*

(2) Verbum θεᾶσθαι, ut notat SANDAY, *The Criticism of the fourth Gospel*, Oxford, 1905, p. 76, in 22 locis N. T. reperitur, et in omnibus et singulis de visione oculata et corporali, non autem de visione spirituali seu mentali adhibetur.

(3) Ità GODET, EVANS, WESTCOTT, H. HOLTZMANN, W. BOUSSET, HARNACK, B. WEISS, ZAHN, KNABENBAUER, SANDAY, WETZEL, CALMES, KNABENBAUER etc. etc.

(4) Cf. dissertationem nostram *De quarti Evangelii Auctore*, P. I, Lovanii, 1899, p. 17 ss.

auctorem *I Jo.* I, 1 ss. testem oculatum et corporalem vitæ Christi fuisse; omnino constare apparet. « 1 *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus* (ἑωράκαμεν) *oculis nostris, quod perspeximus* (ἐθεασάμεθα), *et manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ: 2 et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et apparuit nobis: 3 quod vidimus et audivimus, annunciamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo* » (1).

Textus allegatus si quid significat, de testimonio sensili et de visione oculata interpretandus est. Quominus enim pericopam de testificatione quadam mystica et de visione mere intellectuali intelligamus, obstant 1/ imprimis multiplices definitiones sensiles et corporeæ quibus auctor testimonium suum continua gradatione describit, ut illud omni exceptione majus esse ostendat. Quasi asserere non sufficiat se Verbum vitæ *vidisse* et *audisse*, addit se illud *perspexisse:* (ἐθεασάμεθα): verbum autem θεᾶσθαι, ut jam observavimus, ubique in N. T., quin ulla reperiatur exceptio, de visione oculata et quidem attenta usuvenit. Utque nullum supersit dubium, addit: *quod manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ:* quæ verba de perceptione physica et sensili unice intelligi posse apparet (2). In v. 2 explicat quomodo tale testimonium auritum et oculatum ac corporeum tribuere valeat: ratio quia Verbum, quod invisibile erat apud Patrem, *ipsi (nobis)* visibile factum est seu *apparuit* per Incarnationem.

2/ Obstat præterea aperta atque distincta oppositio ab auctore posita inter seipsum qui vidit, audivit,

---

(1) Ad textus intelligentiam notandum est v. 2 esse quasi parenthesim, qua explicat auctor quomodo dicere potuerit v. 1: audivimus, et vidimus, et perspeximus, et manus nostræ contrectaverunt Verbum vitæ: ratio est quia Verbum, quod per se invisibile est, visibile factum est per Incarnationem. Post parenthesim v. 2[i], resumitur v. 1 et periodus absolvitur.

(2) Cf. Sanday, *l. c.*

perspexit atque contrectavit Verbum, — et credentes qui non viderunt (1) etc., quibus scil. *annuntiat* ipse quod vidit et audivit ut et illi societatem cum eo habeant. Annuntiat ipse Verbum, utpote hujus testis oculatus et auritus, iis qui tali experientia sensili ejus apparitionem percipere non potuerant.

Contendit nihilominus Harnack (2) dictum testimonium velut perceptionem quamdam spiritualem seu intellectualem et mysticam explicari posse. Ad sententiam suam stabiliendam observat imprimis in scriptis joanneis textus occurrere in quibus verbum « videre » (οἶδα, εἰδέναι) de visione Dei spirituali seu intellectuali accipiendum apparet, uti *I Jo.* III, 6: « omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum », *III Jo.* 11: « qui malefacit, non vidit Deum », et *Jo.* I, 18: « Deum nemo vidit unquam ». — Non negamus quidem verbum « videre » hoc alio sensu quandoque usurpari. Verùm, contextus in istis locis hunc sensum prodit, sicut *Jo.* I, 14 et *I Jo.* I, 1-3 contextus, necnon usus verbi θεᾶσθαι et aliarum determinationum sensilium, de visione corporea et de perceptione physica seu corporea agi invicte probat (3).

---

(1) Loisy, *o. c.*, p. 187 s. ad *Jo.* I, 14 notat: « L'évangéliste parle comme un témoin oculaire de la vie de Jésus, et les personnes qu'il s'associe doivent être dans les mêmes conditions. Toutefois, la distinction des anciens disciples qui ont vu, et des fidèles qui ont cru sans avoir vu, n'est pas accentuée dans ce passage, si bien que le témoignage apostolique, le seul qui serait visé si l'on interprétait le texte à la rigueur, se confond, dans la perspective, avec le témoignage de la chrétienté contemporaine, pour constituer l'attestation unique de ceux qui ont vu où voient le vrai Christ. La distance qui sépare l'âge proprement apostolique de l'époque plus récente où écrit l'auteur est hardiment supprimée, ou négligée comme n'important pas à la signification du témoignage. ». Contra hanc theoriam observandum est verbum « vidimus » (*Jo.* I, 14) ad cœtum discipulorum Christi, quibus se auctor accenset, restringendum esse, neque arbitrarie extendi posse ad totam generationem Christo coævam et multo minus ad generationem postapostolicam credentium. Præterea hujusmodi theoria aperte contradicit *I Jo.* I, 1-3, ubi distinctio inter discipulos qui viderunt et credentes qui non viderunt explicite stabilitur.

(2) *o. c.*, p. 675 s.

(3) Ad rem Van Hoonacker, *Rev. Bibl.* 1900, p. 230: « On ne voit

Porro, Harnack ex historia Thomæ quæ *Jo.* XX, 29 ità concluditur: « quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt et crediderunt », sequi contendit auctorem *I Jo.* I, 1-3 visionem corpoream non intendere. — Verùm, ni fallor, nedum sententia nostra e *Jo.* XX, 29 infirmetur, ex hoc loco potius egregie confirmatur. In utroque enim loco visio corporalis opponitur fidei in prævia cognitione sensili non fundatæ; quatenus scil. ex una parte Thomas qui Christum viventem vidit oculis corporeis eumque rescuscitatum credidit, iis opponitur qui credere debent quin sensili modo Christum videant; et ex alia parte auctor *I Jo.* explicite et instanter suam realem atque materialem visionem velut fidei argumentum iis exhibet qui ità non viderunt.

Harnack præterea autumat e *Jo.* XIX, 35 et XXI, 24 erui posse quarti Evangelii auctorem non fuisse testem oculatum vitæ Christi. De utroque loco alibi fusius scripsimus (1). Hìc autem hæc pauca sufficiant. Ad priorem locum quod attinet XIX, 35: « Et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus; et ille (καὶ ἐκεῖνος) scit quia vera dicit, ut et vos credatis », sive *ille* (ἐκεῖνος) loquentem designet (2), sive Christum (3), indubium videtur eum « qui vidit » esse Evangelii auctorem. Scriptor enim testimonium firmissimum tradere intendit cui lectorum fides inniti valeat: « ut et vos credatis »: ad hoc autem non tertiæ cujusdam personæ, sed ipsius auctoris oculatum testimonium expostûlatur. « Le passage XIX, 35, loin de distinguer l'auteur du témoin oculaire mis en cause, semble bien plutôt supposer leur identité. Le *parfait* employé dans le premier membre ne contredit point cette supposition; il se justifie pleinement comme allusion à toute la vie passée, apostolique de l'évangéliste; celui-ci avait attesté le fait dans sa prédication orale.

---

point comment ces passages, qu'on les compare entre eux où avec ceux où l'auteur affirme qu'il a vu ce qu'il atteste, seraient de nature à modifier ou à infirmer la portée de ces derniers. Le témoignage que l'auteur se rend à lui-même est confirmé par le ton et par bien des détails de ses récits ».

(1) *De quarti Evangelii Auctore*, II, Brugis, 1900, p. 322 ss.

(2) Sicut ἐκεῖνος loquentem designat *Jo.* IX, 37.

(3) Cf. ZAHN, *Einl. in das N. T.*, Leipzig, 1900, II, p. 474; SANDAY, *o. c.*, p. 78. Cf. *II Cor.* XI, 11, 31 et *III Jo.*, 12.

D'autre part, le *présent* employé dans le second membre semble difficilement se comprendre en dehors de l'hypothèse que c'est le témoin oculaire lui-même qui tient la plume » (1). Demùm narrator testis sui veracitatem quidem, non vero ipsius testis de sua veracitate persuasionem stabilire valet, quam intimam persuasionem verba « et ille scit quia verum dicit » expresse proponunt. Auctor ergo suiipsius persuasionem expressit (2).

Ad alterum locum *Jo.* XXI, 24 quod spectat, sive ab ipso auctore conscriptus fuerit (3), sive occasione editionis evangelii ab aliena manu fuerit additus (4), argumentum haud spernendum exhibet quo confirmatur evangelii scriptorem fuisse testem oculatum (5). Etenim testatur ille locus evangelium a « discipulo quem diligebat Jesus » fuisse exaratum (6).

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Quæritur utrum error admitti possit in Christo.*

R. I. **Prænotandum.** De notione *erroris.*

Error, *subjective* spectatus, est *judicium quo falsum pro vero approbatur* (7). — *Judicium* est actus intellectus quo affirmatur vel negatur objectiva identitas duarum idearum: v. g. Deus est bonus; Deus non est corpo-

---

(1) VAN HOONACKER, *Revue Bibl.* 1900, p. 230.

(2) Cf. WETZEL, *Die Echtheit und Glaubwürdigkeit des Evangeliums Joannis aufs neue untersucht und verteidigt*, Leipzig, 1899, p. 11.

(3) Quod plures tenent. Cf. *De Quarti Evangelii auctore*, P. II, p. 327 ss.

(4) Cf. SANDAY, *o. c.*, p. 81 s.

(5) SANDAY, *o. c.*, p. 81 ait: « I accept, then, this last verse (XXI, 24) as a weighty testimony to the autoptic character of the Gospel ».

(6) Conferri possunt, præter auctores jam adductos, CORLUY, *Commentarius in Evangelium S. Joannis*, Gandavi, 1889; BATIFFOL, *Six Leçons sur les Evangiles*, Paris, 1897; CEULEMANS, *Commentarius in Evangelium secundum Joannem*, Mechliniæ, 1901; BELSER, *Das Evangelium des H. Joannes*, Freiburg, i. B., 1905; NOUVELLE, *L'authenticité du quatrième Evangile et la thèse de M. Loisy*, Paris, 1905; *Collationes Namurcenses*, Maii 1906.

(7) Cf. S. THOMAS, *De Malo*, Q. III, a. 7; *De Veritate*, Q. XVIII, a. 6; I, Q. CXIV, a. 4; S. BONAVENTURA, in II, D. XXIII, a. 2, q. 2; DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 143.

reus. Inde error in hoc consistit quod vel *affirmatur* identitas objectiva duarum idearum quæ objective *non* sunt identicæ, vel *negatur* illa identitas quando reapse *est*.

Caveamus a confundendo *errore* cum *falsitate*. Error subjective, est formaliter ipse *actus* intellectus inordinatus, ipsum *judicium* inordinatum. Sicut peccatum, in genere, sive in rebus naturalibus, sive artificialibus, sive voluntariis, nihil aliud est quam *deflexio operationis a propria regula,* i. e. *a fine,* cum aliquid agitur, non secundum quod debitum est agi (1), ita error, subjective, est deflexio *judicii,* a fine, quum judicat intellectus non secundum quod est debitum judicari, seu quum non habet debitum ordinem ad finem ad quem tendit.

Logica falsitas, si abstracte sumitur, est ipsa *difformitas* judicii a re de qua est judicium, inde falsitas est privatio rectitudinis in operatione judicandi, est frustratio judicii a fine suo. Non raro adhibetur falsitas pro vocabulo concreto ad designandum *enuntiatum* in judicio erroneo et tunc est *objectum* erroris subjective spectati: sic de uno vel alio enuntiato falso dicitur est aliqua falsitas. Pariter dicendum de vocabulo veritas: *veritas* si abstracte sumitur, est conformitas judicii cum re de qua est judicium, est igitur qualitas judicii recti, i. e. attingentis finem suum; sæpe adhibetur illud vocabulum pro voce concreta ad designandum *enuntiatum* a judicio recto et tunc est *objectum* judicii recti: sic sermo fit de tali vel tali veritate, vel de veritatibus fidei catholicæ. — Licet error primaria significatione sumendus sit subjective et designet ipsum actum inordinatum judicii tamen etiam sæpe adhibetur hoc vocabulum *objective* ad designandum enuntiatum a judicio erroneo, seu *objectum* judicii erronei, et tunc idem importat ac falsitas objective et in concreto sumpta. Oportet autem

(1) Cf. S. Thomas, *De Veritate*, Q. XXIV, a. 7; I, Q. LXIII, a. 1; I-IIæ, Q. XXI, a. 2, ad 2.

ut distinguantur illæ variæ rationes et significationes formales, præsertim quando sermo fit de errore formali et materiali, ut statim dicemus (1).

Error, subjective acceptus, est ipsum *judicium* inordinatum, etiam verbis non expressum, sed in mente cogitantis latens. Inde inaccurate saltem loquuntur quidam auctores, qui agentes de inerrantia S. Scripturæ statuunt ibi tantum esse errorem ubi aliquid *docetur* (2). Minime requiritur ut quis *doceat*, aut velit docere, ad hoc ut possit errare: sed statim ac judicat, suum judicium est verum aut falsum, ac statim ac enuntiat suum judicium, hæc propositio est vera vel falsa. — Ad hoc autem ut ex scriptis alicujus sciamus quid judicet, oportet ut inquiramus quid intendat *dicere* in tali vel tali propositione, quisnam sit sensus verborum ab ipso intentus.

Distinguitur inter errorem *formalem* et errorem *materialem*. Hæc distinctio respicit errorem, subjective spectatum, quatenus est *actus intellectus judicantis*. « *Materialis* error dici potest omne judicium dissonum

---

(1) « Nomen *erroris*, secundum quod intellectui tribuitur, significat *positivum actum*, quo mens a tramite veritatis deflectit ac nihil aliud est nisi *approbare falsa pro veris*. . Quid autem sit *falsum* seu *falsitas*, quæ objectum erroris constituit, intelligitur per oppositionem ad veritatem cognitionis... Sic porro definitur: *positiva difformitas* mentis cognoscentis a suo objecto. Ut hanc descriptionem probe intelligas, adverte duplicem adesse posse difformitatem cognitionem inter, qua talem, ejusque objectum, nimirum, *negativam* et *positivam*. Prior habetur, si cognitio non omnia referat quæ objecto insunt, sed in eo, quod refert, ei consentit. Hæc difformitas est quidem imperfectio aliqua in cognoscendo, sed veritati minime est contraria, ac propterea ratio falsitatis non potest ei attribui. Requiritur proinde alia difformitas, *positiva* nempe, quæ in eo consistit quod mens dicat esse quod non est, vel dicatn on esse quod est ». SCHIFFINI, *Principia philosophica*, Augustæ Taurin. 1892, n. 247.

(2) « Wie steht es dann mit der durchgängigen Irrtumlosigkeit der Heiligen Schrift? Auf diese Frage läszt sich antworten: Von Irrtum kann nur dort die Rede sein, wo eine wirkliche Belehrung intendiert ist. Zum Lehren gehört eben die ausgeprochene Absicht, iemand etwas mitzuteilen und sein Verständnis darauf hinzulenken » HÖPFL, *Das Buch der Bücher*, Freiburg i. Br. 1904, p. 150.

a re; *formalis* autem error illi proprie judicio accidit, quo de se natus est intellectus objecto plene conformari, i. e. judicio *firmo:* quo si falsa approbes pro veris, plene deficis a fine intellectus » (1).

Quam notionem sic exponit P. *Schiffini:* « Diligenter observa errorem duobus modis contingere. Primo, si quis opinioni adhæret, ductus tamen *motivo vere probabili;* secundo, si quis opinioni alicui adhæret nullo sufficiente motivo ex parte objecti, sed præsumptione quadam ac levitate animi ductus. In priori hypothesi error potest esse *opinio* (2) quædam prudens, si quis non tenacius adhæreat in rebus hujusmodi quam motiva mereantur. Quare ejusmodi error appellatur *materialis;* respicit quippe potius objectum materiale judicii quam formale, seu motivum. Contra accidit in alia hypothesi, in qua proprie et severe loquendo, mens *formaliter deviat a tramite veritatis,* ex quo talis error appellatur *formalis,* ac prudentiæ regulis adversatur » (3).

Datur ergo *error* materialis et formalis: *materialis* est quando mens *opinatur,* h. e. assentit uni contra-

---

(1) De Jaegher, *o. c.*, n. 143.

(2) « Opinio (subjective accepta) est assensus mentis in unam quæstionis partem cum formidine de veritate partis oppositæ. — Opinio omnis, utpote quæ est enuntiatio, necessario est aut *materialiter vera* aut *materialiter falsa,* pro eo quod illud, quod *esse videtur,* est reipsa aut non est; nulli tamen opinioni competit ut sit formaliter vera aut formaliter erronea: non enim opinio *natura sua* et vi sui proprii motivi necessario ordinatur ad rem definite exprimendam uti reipsa est; ideoque, sive concordet cum re, sive a re dissonet, neutrum *per se* competit illi, sed utrumque *accidit.* Attentis autem rationibus quibus in assensu opinativo determinando voluntas ducitur, aut *prudens* aut *imprudens* opinio dicitur: prudens quidem, ubi voluntati prælucet judicium, virtuale saltem: *enuntiabile, cui opinando adhæres, esse probabile*; imprudens vero, ubi præter dignitatem rationum objectivarum voluntas assensum determinat eumve tenacius sustinet. Quam imprudentem opinionem, etiam ubi est materialiter vera, jure dixeris esse modo suo *formaliter erroneam.* Deficit enim a lege propria assensus opinativi: non *temere,* sed *ratione* esse opinandum ». De Jaegher, *o. c.*, n. 93.

(3) *Institutiones Philosophicæ in compendium,* Augustæ Taurin. 1893, n. 117, p. 66.

dictionis parti cum formidine de veritate partis oppositæ, ex motivo vere sufficienti et non tenacius quam meretur motivum, et tamen objectum opinionis est falsum; *formalis* vero quando mens *firmiter* judicat seu dicit esse id quod non est, non esse id quod est: quæ firmitas adhæsionis, in casu, semper importat formalem inordinationem in operatione intellectus.

Hæc distinctio, uti patet, est de errore *subjective*, non objective, spectato; inde non valet hæc distinctio de *falsitate*.

Nota. Quæstio nostris diebus agitatur inter theologos num et quomodo errores materiales, ut distinguuntur a formali errore, in Scriptura admitti possint vel debeant. Sed plerique nomine erroris materialis *aliud* omnino intelligunt ac id quod suprà exposuimus. Imprimis sumunt nomen *error* objective, h. e. ad designandum *objectum* judicii erronei, seu aliquam *falsitatem* vel *aliquid falsum*. Præterea aliter et aliter interpretantur illud *materialiter* falsum. *P. Chr. Pesch* (1) triplicem assignat significationem secundum quam aliquid diceretur materialiter falsum. « Potest enim hic terminus habere multiplicem significationem: a/ In locutionibus metaphoricis sensus materialis est falsus. Sed cum hunc sensum loquens non intendat, nullus adest error nisi forte ex parte eorum, qui verba contra sensum auctoris crasse materialiter intelligunt. In Sacra Scriptura sunt locutiones propriæ et sunt locutiones metaphoricæ. Ad rectam intelligentiam requiritur ut hæ ab illis distinguantur. Idem valet de aliis dictionibus poeticis vel rhetoricis; idem valet interdum de locutionibus typicis. b/ Cum quis judicia vel dicta refert, potest verum esse hæc esse ab aliis dicta vel judicata, etsi hæc dicta vel judicia falsa sunt. Unde oritur quæstio, num et ubi in Scriptura referantur falsa dicta, mythi, legendæ, traditiones populares etc. Tales relationes sunt formaliter veræ, sed materia, quæ refertur, sæpe non est vera. Ergo ut maneat formalis veritas, perspicuum esse necesse est auctorem nolle affirmare materialem veritatem. c/ Potest aliquis vera dicere, sed simul uti consuetis loquendi formulis vel

(1) *De Inspiratione Sacræ Scripturæ*, Friburgi Br. 1906, p. 375.

opinionibus, quæ materialiter sunt falsæ. Dicere : Sol oritur vel occidit, est materialiter falsum, formaliter verum, quia loquens significat res, prout sensibiliter apparent, non prout in se sunt. Theologus qui vult probare doctrinam aliquam jam fuisse a SS. Patribus propositam, formaliter vere loquitur, etsi e. g. secundum communem opinionem sub nomine S. Augustini citat opus S. Prosperi, ut sæpe temporibus medii ævii factum est. Unde oritur quæstio, num sacri auctores interdum veritatem proponant ratione materialiter erronea, sed tum communiter admissa, quæ ipsam veritatem proponendam non afficit ».

Hæc enumeratio per se sola sufficit ut pateat distinctionem inter materialiter et formaliter falsum posse magnæ confusioni ansam præbere. Sed præterea non videtur admitti posse : nam si agitur de *objecto* judicii, nempe de eo quod affirmatur aut negatur, illud est vel conforme rei, vel difforme a re : si primum, est simpliciter verum ; si secundum, est simpliciter falsum : nec ulla invenitur ratio cur distinguatur inter formaliter et materialiter falsum. De singulis exemplis allatis a P. Pesch breviter dicamus. a/ Cur dici possit : « in *locutionibus metaphoricis* sensus materialis est falsus » ? In metaphora non datur duplex sensus, unus materialis, alter formalis, sed in locutione metaphorica subjectum vel prædicatum sumitur metaphorice et unum quid affirmatur aut negatur. V. gr. : *Vicit leo de tribu Juda*. Subjectum *leo* sumitur metaphorice et affirmatur esse victorem. Hæc affirmatio est simpliciter vera ; nihil falsi habetur et proinde nulla est ratio distinguendi inter formaliter et materialiter falsum. Quodsi aliquis male intelligeret metaphoricam locutionem, hic error non ad ipsam metaphoram pertineret !

b/ Iterum si quis recte refert dicta, vel judicata ab aliis, illæ assertiones, seu relationes, ut adhibeam ipsum vocabulum Auctoris, sunt simpliciter veræ. *Id quod* refertur ut judicatum aut dictum ab aliis non est objectum, nec materia judicii hominis qui refert : hujus judicii objectum est *talia fuisse dicta vel judicata :* jamvero, ex hypothesi, hoc est verum ; consequenter, licet dicta vel judicata ab aliis sint in se falsa, relatio vera dictorum est simpliciter vera, non est materialiter falsa ; nec etiam dici potest quod materia hujus relationis est falsa, quia, ut statim diximus, materia hujus relationis, nempe existentia illorum dictorum, est simpliciter vera.

c/ Si quis, loquens secundum *apparentias* rerum physicarum, dicit: sol oritur et occidit, illud factum quod est objectum judicii est simpliciter verum: abstrahit tunc judicans a natura hujus facti. Quodsi *affirmaret* hujus facti intimam naturam esse *motum solis circa terram immobilem,* tunc erraret: si firmiter assereret error subjectivus esset formalis; si vero non firmiter et propter motiva probabilia, tunc error subjectivus esset materialis: sed ipsa enuntiatio, *objective* spectata, esset simpliciter falsa (1). Pariter si quis, sine speciali rei inquisitione, credit, secundum opinionem communem, talem librum esse talis auctoris et si hoc non est verum, hæc fides, objective spectata, est simpliciter falsa: non perit ratio falsitatis quia est objectum erroris communis vel invincibilis; sed ipsum judicium, subjective spectatum, poterit esse *formalis* vel *materialis* error secundum ea quæ fuerunt suprà exposita.

II. **Quæsiti solutio.** Nullus error, nulla falsitas admitti potest in humano Christi intellectu.

1. Si consideratur cognitio Christi prouti hæc elucet in ejus dictis et factis narratis in Evangelio, apparet Ipsum perfectissima, imo supernaturali, donatum fuisse scientia. Etenim non solum religiosas veritates ac præcepta dilucido ac potenti sermone exponit et explicat, sed etiam secreta cordium cognoscit; prædicit cum determinatis adjunctis mortem ac resurrectionem suam; annuntiat apostolos futuros esse piscatores hominum et miraculosa piscatione manifestat miros eorumdem præ-

(1) Recte dicit P. Pesch, *o. c.*, p. 517. « Nam si loquimur de solis ortu et occasu et similibus, non cogitamus in secreta mente: Noli tamen me tam stultum habere, quasi nesciam quomodo res objective se habeant: sed simpliciter abstrahimus ab intima rerum natura et significamus verbis ea quæ sensus referunt. Unde tales locutiones non minus veræ sunt in ore idiotarum quam in ore doctorum, cum neuter velit iis scientiam suam expromere. Sic etiam plane extra statum quæstionis est, quas ideas de rerum adspectabilium naturis hagiographi in mente repositas habuerint cum solum id agatur, *quid verbis dixerint.* Sine dubio de rebus physicis multos conceptus non rectos habuerunt. Sed quia noluerunt esse doctores rerum physicarum, sed secundum communem hominum consuetudinem loqui, *nullum errorem docuerunt* ». Ergo, concludimus, nihil falsi docuerunt hagiographi, ne materialiter quidem falsum.

dicationis effectus; prædicit ruinam urbis Jerusalem, et Evangelii prædicationem in universo mundo, Ecclesiæ suæ permanentiam usque ad consummationem sæculi.

Erroris nullum datur vestigium in tota Christi vita. — Non pauci rationalistæ propugnant Christum erravisse circa circumstantias et præsertim tempus secundi Ejus adventus seu judicii universalis: dicunt Christum putavisse illum eventum adventurum statim post ruinam urbis Jerusalem: quod locum non habuit. Licet illa Christi oratio ad quam alludunt, (quæ invenitur apud Matth. XXIV, 3-51; Marc. XIII, 3-37; Luc. XXI, 5-36), valde sit difficilis intellectu et variis sententiis exponatur (1), tamen si regulas hermenenticæ quis recte sequatur, minime cogitur ad concludendum Christum secundum suum adventum annuntiasse ut statim secuturum cladem Hierosolymitanam. Ex altera parte si consideratur perfectissima Christi scientia, de qua constat plena certitudine, et in qua etiam continetur cognitio de existentia et de modo ultimi judicii (2) patet impossibile esse ut Christus erraverit circa tempus secundi sui adventus. Et sane temporis illius eventus futuri cognitio nequit naturaliter acquiri sed tantum ex Dei revelatione accipi potest. Omnis homo, ordinaria præditus in judicando prudentia, cognoscit se non posse viribus suis ad talis rei cognitionem pervenire et prædictionibus de tali re non posse rationabiliter adhibere fidem nisi plane constet de Dei revelatione circa hanc rem. Jamvero Christus non solum ordinaria prudentia se præditum ostendit, sed extraordinaria et eminenti omnino scientia de Deo et de ejus operibus etiam

---

(1) Cf. Van Steenkiste, *In Matthæum*, Brugis, 1903, p. 733; Knabenbauer, *In Matthæum*, Parisiis, 1893, p. 304; Mangenot, *Dictionnaire de la Bible*, art. Fin du monde; Lepin, *Jésus Messie et Fils de Dieu*, 2e Edit. Paris, 1905, p. 377; Cellini, Saggio storico-critico di esegesi biblica sulla interpretazioge del sermone escatologico, Firenze, 1906; Camerlynck, *Collat. Brug.*, T. XI, p. 108.

(2) Cf. Matth. XXV, 31 et ss.

futuris. Ergo cum perfecta Christi scientia, qualis in ipsius vita elucet, componi nequit error circa tempus secundi ejus adventus.

2. In Christo erat visio beatifica a primo instanti Incarnationis, uti alia in responsione demonstrabimus; atqui secundum hanc visionem debebat Christus cognoscere omnia quæ ad ipsum pertinebant: ratio enim cur haberet hanc visionem erat ipsa incarnatio, seu unio hypostatica, qua erat homo Deus: ergo omnia omnino quæ ut homo cogitabat etiam cognoscebat in visione beatifica. Jamvero impossibile est ut idem intellectus secundum unam scientiam recte cognoscat et, secundum alteram, erret circa idem objectum: intellectus enim est facultas essentialiter cognoscitiva, tota quanta est ordinata ad verum attingendum; præterea est facultas quæ ipsa suos cognoscit actus: si ergo visione beatifica Christus aliquid cognoscebat, impossibile erat ut de eodem objecto eliceret judicium erroneum per aliam speciem cognitionis: scivisset enim tale judicium esse erroneum.

3. « Causa judicium erroneum determinans est voluntas. Deficiente nimirum rei evidentia, sola voluntas est quæ mentem pertrahit in assensum. Ut autem assensum voluntas determinet, ipsa movetur *appetitu specialis boni* quod sive in exercitio sive in specificatione assensionis relucet » (1). Igitur ad errorem duo requiruntur: carentia evidentiæ et imperium voluntatis. Si agitur de judicio firmo et erroneo, illud imperium est aliquid inordinatum: recte enim agendo non posset homo judicium firmum elicere nisi quando adest evidentia, determinans necessario intellectum, vel, si agitur de fide, non posset voluntas imperare assensum, nisi quando constat de evidentia credibilitatis alicujus rei. Ergo in omni errore formali habetur saltem præci-

(1) De Jaegher, *o. c.*, n. 143.

pitatio: (1) inde error formalis est privatio perfectionis debitæ in operatione tum intellectus, tum voluntatis. Porro quum humana Christi natura, hypostatice Verbo unita, esset instrumentum conjunctum divinitatis ad manifestationem divinæ Bonitatis, illa natura tota erat sub regimine divinitatis, proinde non potuit Deus in ipsa admittere positivam inordinationem in operando, præsertim in operatione intellectus et voluntatis: sane talis inordinatio nullo modo inservire potest ad finem Incarnationis ad quem assumpta est humana natura.

Sed nec materialis error in Christo admitti potest: opinio enim falsa, scilicet adhæsio non firma alicui sententiæ propter motivum probabile, licet sit inter homines quandoque moraliter necessaria est tamen etiam positiva inordinatio, quæ nec cum visione beatifica, nec cum regimine, quod in humana natura assumpta exercebat Deus, componi potest.

Nota. Non ipsa unio hypostatica reddit intellectum Christi physice incapacem errandi, nec confert ullam scientiam, sicut non reddit Christi voluntatem physice incapacem peccandi, nec confert ullam virtutem moralem; sed unio hypostatica est *ratio exigitiva* tum immunitatis ab errore, tum perfectissimæ scientiæ, sicut est ratio exigitiva sanctitatis (2).

4. *Confirmatur* ex hoc quod plerique scholastici statuunt non potuisse adesse errorem in Adamo ante peccatum: si primus homo, propter dona supernaturalia ac præternaturalia, ita fuerit a Deo constitutus ut in ipso impossibilis fuerit error omnis, a fortiori hoc debemus de Christo tenere, qui, utpote Deus et secundus Adam ad regenerandum humanum genus missus, saltem iisdem fuit ornatus donis quibus primus gaudebat.

---

(1) De aliis erroris causis, plus minusve remotis, cf. Bossuet, *De la connaissance de Dieu et de soi-même*, ch. XVI; Remer, *Summa prælectionum philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1895, T. I, p. 166; Ill^mus^ Mercier, *Logique*, Louvain, 1897, p. 268.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 299.

Nec objicias quod Deus reddidit Adamum immunem a dolore et morte, non vero Christum: ratio hujus differentiæ plane intelligitur: dolor physicus et mors non sunt positiva inordinatio in operando; præterea dolor et mors Christi optimum erant medium satisfactionis pro nostris peccatis.

J. Van der Meersch.

III

Q. *An et quandonam ad s. communionem admitti possunt peccatores publici?*

Respondetur.

Prænotandum. Agimus de solis peccatoribus absolute publicis seu notoriis, saltem in loco ubi sacramentum postulatur suscipiendum, adeo ut passim a fidelibus cognoscatur delictum, nec illud ignorantibus amplius celari queat: sive crimen publicum sit publicitate *juris,* ratione sententiæ judicis, sive *facti,* si manifestè fuerit patratum, sive *famæ,* ratione rumoris undique sparsi ac gravibus indiciis nitentis.

Porro peccatores publici vel sunt peccatores *communes,* uti ebriosi, fures, blasphematores, et ita porro; vel sunt *infames* seu enormiter criminosi, quales numerantur notorie excommunicati, hæretici, concubinarii, meretrices, et alii hujusmodi.

Solutio:

I/ Peccatores **impœnitentes,** vel in ipso actu peccati publici accedentes, sunt a communione repellendi. Sacramenta namque, et signanter Sanctissimum Sacramentum, ministrare indignis, actio est male sonans, utpote quæ irreverentiam importat erga sacramentum ac cooperationem peccato suscipientis: non autem cohonestatur necessitate parcendi famæ sacramentum petentis, cum agatur de publico peccatore.

II/ Peccatores **resipiscentes,**

A/ *Communes,* possunt ad s. communionem passim

admitti, quotiescumque de eorum emendatione constat vel rationabilis habetur præsumptio, quæ præsumptio ex peractæ confessionis notitia, imo ex ipso debito ad s. synaxim accessu meritò eruitur; nec opus est, ad obviandum offensioni seu scandalo fidelium, publica ac extrasacramentali retractatione.

B/ *Infames* non possunt illicò ad communionem, ne viatici quidem, admitti, quantumvis sincerè resipiscentes ac sacramentaliter absoluti. Nimirum

1°/ pro hujusmodi peccatoribus, attenta gravitate et enormitate criminum, ultra postulatur, ad vitandam offensionem populi et scandalum præcavendum, *publica ac extrasacramentalis scandalosæ vitæ retractatio,* adeo ut non sufficiat, pro publica (1) saltem administratione, retractatio secreta, sacramentaliter in confessione peracta, etiamsi factum confessionis institutæ esset publice notum (2).

Porro pro dicta retractatione publica præstat, et ad hoc urgendus est peccator, ut, in quantum valet, malam vitæ rationem publicè abrumpat, vel pravam peccati occasionem manifeste deserat; quod si fieri nequit, sufficit ut coram confessario et duobus testibus scriptis vel verbis declaret se vitæ criminosæ renuntiasse; imo satis erit nonnunquam, ratione peculiarium adjunctorum, ut coram solo confessario extrasacramentaliter instituerit retractationem, ante communionem opportune divulgandam.

---

(1) Ordinariè non convenit, juxta monitum S. Pœnitentiariæ anni 1856, « ad secretam sacramentorum participationem admittere illos qui non fecerint retractationem, propter scandalum pusillorum, qui credere possent pœnitentem perseverasse in obstinata pertinacia ». Cf. Lahousse, *De Eucharistiæ mysterio,* p. 188, in nota.

(2) Rit. Rom., Tit. IV, c. I, n. 8: « arcendi autem sunt publice indigni quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi (scilicet manifeste impietatem profitentes ac religionem impugnantes), et alii ejusdem generis publici peccatores, nisi de eorum pœnitentia et emendatione constet, et publico scandalo prius satisfecerint ».

Juxta quæ concubinarius publicus, si obvius habetur, inducendus est ad hoc ut concubinam vel matrimonio ducat, vel eam deserat aut expellat, vel saltem coram testibus spondeat quod alterutrum pro opportunitate sit facturus: de quibus fusius egimus, occasione solvendi casus practici, apud *Collat. Brug.*, VII, p. 132 et seq.

Præterea 2°/ supposita descripta retractatione publica, nonnulla sunt ulterius attendenda peculiariter respectu unius alteriusve speciei peccatorum infamium; et quidem

a/ publice excommunicati ac sectæ hæreticæ notorie adhærentes non tantùm debent, antequam communicent, publice retractasse vitam, ut vitetur offensio populi et scandalo occurratur, sed oportet ut insuper *cum Ecclesia reconcilientur in foro externo,* ac coram eodem foro a censuris absolvantur (1), juxta normam pro hæreticis reconciliandis expositam apud *Collat. Brug.*, IV, p.

b/ ad meretricem vel herum seu heram meretriciæ domus non potest convenienter, antequam lupanar deseruerint aut purgaverint, deferri, signanter publice, s. communio, non obstante notoria inordinatæ vitæ repudiatione: nimium namque dedecet Sanctissimum Sacramentum fœditas hujusmodi domus infectæ.

Nota. 1°, Vix aliquid dicendum est de communione danda publico peccatori, qui nullum signum neque pœnitentiæ neque impœnitentiæ dare valeat, puta mori-

---

(1) *Negative* respondit S. Pœnitentiaria, die 10 Dec. 1860, ad quæstionem: « An possit SS^t^ Eucharistia notorie censura innodatis ministrari, quin prius fuerint, uti par est, cum Ecclesia reconciliati? » BUCCERONI, *Enchiridion,* n. 236.

Cautelæ autem observandæ a francomuratoribus circa traditionem signorum ac manuscriptorum, necnon denuntiationem coryphorum, spectant absolutionem sacramentalem dandam potius quam s. communionis administrationem. De hisce cautelis cf. LAHOUSSE, *Tractat. de Sacr. Pœnitentiæ,* p. 307 et 397; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *Jus Canonicum,* II, n. 1457, et ll. cc.

bundo sensibus destituto. Passim namque hujusmodi infirmi incapaces existunt suscipiendi communionem, ac etiam tunc, quando suscipiendæ Eucharistiæ essent capaces, prudenter differetur s. communio donec sui compotes signa resipiscentiæ præstiterint; quod omnino est faciendum cum peccatore publico infami vel officia christiana negligente. Facilius sane poterit absolutio sacramentalis impertiri vel et Extrema Unctio ministrari; sed hæc non spectant præsentem quæstionem.

2°/ In congregatione prosynodali, anni 1841, sapienter cautum est, juxta *Pastorale Brugense,* p. 64, « ut quando agitur de criminibus facto tantum publicis (et a fortiori de fama publicis), hæc notoreitatis species pro indubitata regula non assumatur, sed in omni casu res ad Ordinarium deferatur ». « At si ad Episcopum recurrendi tempus non suppetat, postquàm summa attentione consideraverit (parochus) vulgati rumoris originem, delicti naturam, numerum et qualitatem testium, qui de auditu vel visu testantur, et ex his judicaverit delictum habere omnes caracteres ut reum certò constituant publicum peccatorem, e numero eorum (infamium scilicet) qui suprà expressi sunt; eum antequam sacræ mensæ se sistat vel viaticum expetat, divino implorato auxilio, paterna mansuetudine adeat parochus, urgentissimisque monitis inducat ad resipiscendum et scandalum reparandum » (1).

Quodsi in malitia perseveret, eum mansuete et comiter dissuadeat parochus ab accessu ad s. communionem, eumque moneat sibi gravissimum incumbere officium SS. Sacramentum denegandi. « In ipsa autem denegatione, uti appositè notat LAHOUSSE, op. cit., p. 190, cavere debet parochus, ut nihil publice faciat aut dicat, quo petentem offendere vel ejus famam lædere et ita litem sibi etiam accersere possit: unde ipsum prætereat nihil dicendo, et, si rationem exigat,

(1) *Pastorale Brugense,* l. c.

mansuete declarabit quod eum admittere nequeat. Et caveat sacerdos ne publice exponat motiva denegatæ communionis. »

IV

Q. *Indica* objectum *præcepti de jejunio naturali ante s. communionem servando, ac* quantitatem *ejusdem obligationis determina.*

Respondetur.

I. Objectum præcepti.

Imponitur communicare intendenti ut, inde a media nocte communionem præcedente, ab omni cibo et potu abstinuerit seu prohibetur ut communicaturus, inde a media nocte, alimentum sumpserit per modum cibi aut potus. Unde ad legis violationem requiritur et sufficit ut Eucharistiam suscipiens,

1°/ aliquid, ante communionem, (1) manducaverit vel biberit *post mediam noctem* (2), quomodocumque horæ determinatio fiat, sive juxta tempus verum, sive juxta tempus medium, quin referat utrum proprium adaptetur

---

(1) Pariter nihil in jure statuitur circa refectiones communionem *subsequentes*. Olim severe agebat Ecclesia in hac re, diuturnam imponens refectionis dilationem post communionem, signanter pro sacerdotibus et ministris. Ita refert Gratianus, Dist. II, *De Consecratione*, cap. 23, decretum vi cujus « si mane dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserunt; et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperam ».

(2) Alimenta etiam immediate *ante* mediam noctem sumpta non cadunt sub lege, nec, attento jure positivo communi, arcent a sacramenti susceptione. Profectò non decent, ac nonnunquam jure particulari præcaventur hujusmodi abusus. Ita apud CORBLET, *Histoire du sacrement de l'Eucharistie*, Paris, 1885, I, p. 322, citatur statutum decernens ut sacerdos media nocte Nativitatis Domini celebraturus jejunium servaverit a sex horis. Etiamnum, uti notat NOLDIN, *De Sacramentis*, Œniponte, 1903, p. 164, in privilegio, die 26 Febr. 1885 concesso, celebrandi missas in ecclesia Lapurdensi immediate post mediam noctem, conditio adjicitur ut celebrantes quatuor horis ante sacrum a cibo et potu abstinuerint.

meridianum an vero alienum, in proprium legaliter assumptum (1).

2°/ *vere manducaverit vel liberit:* ad quod postulatur a/ ut sumpserit aliquid extrinseci; b/ aliquid digestioni obnoxium, idque c/ per actionem comestioni vel potationi, qualis usu communi intelligitur, æquivalentem.

Ratione a/ non prohibet a communione suscipienda deglutitio salivæ, vel sanguinis e gencivis defluentis; ratione b/ jejunio non nocet sumptio vitri vel silicis puri, quippe quæ actioni chimicæ digestionis penitus subtrahuntur.

Quod spectat conditionem sub c/ allatam, ad hoc ut verificetur, essentiale videtur ut sumptum alimentum in

---

(1) « On distingue en astronomie, notat N. R. th., XV, p. 126, deux sortes de temps: le temps *vrai* et le temps *moyen*. Le premier est mesuré par le mouvement journalier (apparent) du soleil. Sa durée est variable parce que la marche de la terre est inégale, le mouvement du globe s'accélérant ou se ralentissant alternativement en s'approchant ou en s'éloignant du soleil. Le temps *moyen*, ou égal, est celui qui se mesure par la vitesse moyenne de la terre, ou par un mouvement uniforme, comme celui des horloges; il est calculé dans la supposition qu'au bout de 24 heures le soleil se retrouve exactement au méridien où il était le jour précédent. Ce qui n'est pas, et ce qui produit l'écart entre l'heure vraie et l'heure moyenne; écart qui varie jusque environ quinze minutes en dessus ou en dessous ».

Porro tempus medium (sicut etiam tempus verum) diversum est in variis locis pro diversa locorum longitudine geographica seu pro vario locorum meridiano; sed passim legaliter determinatur tempus medium in aliqua regione juxta unum idemque meridianum uniformiter pro universa regione, sive juxta meridianum locale ac proprium sive juxta meridianum alienum: quod ultimum contingit in Belgio ubi tempus medium legale non computatur juxta meridianum Bruxellense sed Anglicum, vulgò de Greenwich.

Jamvero pro computanda media nocte ac jejunii naturalis aut abstinentiæ lege observanda, integrum est cuique sequi tempus verum vel tempus medium, sive mensuretur juxta meridianum proprium seu locale, sive juxta meridianum alienum legaliter assumptum. Imo poterit quis modò hanc modò ilam computationem temporis adhibere, non autem eadem vice conjungere; et sic non liceret eidem sacerdoti carnes manducare, quia juxta tempus verum jam præteriit feria VI^a, et sabbato celebrare, quia juxta tempus medium legale, momento refectionis, nondum incepit sabbatum. Cf. *Collat. Brug.*, V, p. 63 ss. et ll. cc.

stomacho fuerit susceptum; quo pacto jejunum censeremus illum qui ore susceptum cibum ac masticatum evomerit antequam in stomachum devenerit, dum contrà jejunium fractum diceremus in illo cui cibus vel potus via artificiali in stomachum fuerit introductus.

II. **Quantitas obligationis.**

Obligatio jejunium servandi eucharisticum seu naturale (1) est *ex toto genere suo gravis,* seu parvitatem materiæ non admittit (2), adeo ut legis transgressio, a parte materiæ seu objecti, semper gravem reatum inducat, nec levis evadere possit nisi ex parte subjecti dumtaxat, ratione scilicet inadvertentiæ seu ignorantiæ leviter culpabilis. Non admittit autem parvitatem materiæ neque ex parte temporis neque ex parte alimenti sumendi: ac ita sub gravi prohibetur alimentum sumere, in quantumvis minima quantitate, post mediam noctem vel a momento certò transactam.

Quæ obligationis gravitas, non obstante materiæ levitate, oritur ex gravitate rationum ob quas inducta est jejunii lex (3).

---

(1) Dicitur *naturale,* quia excludit omnem absolute cibum et potum, et sic opponitur jejunio *ecclesiastico.*

(2) Ita monent Rubricæ missalis, P. III, *De defectibus missæ,* tit. IX, n. 1: « Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus aut cibi, per modum etiam medecinæ, et *in quantacumque parva quantitate,* non potest communicare nec celebrare ». Quod idem suo tempore jam urgebat Concil. Toletanum VII, anni 646: « nullus post cibi potusve *quemlibet minimum sumptum* missas facere præsumat ». Cf. etiam Ben. XIV, *De Syn. diœces.*, l. VI, cap. VIII, n. 11.

(3) *Prima* ratio est mystica, ut nempe significaretur Christum esse nostrum primum cibum, eumque, uti notat S. Thomas, P. III, qu. LXXX, art. 8°, primo fundari in cordibus nostris; *altera* ratio est ut jejuni ad recollectionem animæ aptius disponamur, juxta egregiè dictum Algeri, *De sacramentis corporis et sanguinis Domini,* l. II, cap. 1°: « ut jejuno corpore, dum sobrietas viget, carnis fervor quiescit, animus ad intelligendum serenior est, cibo spirituali homo interior prius reficiatur »; *tertia* est, ait S. Thomas, l. c., « propter periculum vomitus et ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinatè cibis utuntur »: natum est autem hujusmodi abusus non vitari efficaciter nisi *absolutè* tollantur.

Attamen *sedulò attende* hanc legem, utut severam, admittere *epikeiam,* seu benignam interpretationem mentis legislatoris, juxta quam censetur legislator non voluisse comprehendere talem vel talem casum sub generali legis tenore. Nimirum censemus Ecclesiam non urgere suam legem

1°/ ad casum quo ex actione aliunde rationabiliter posita, et ad manducationem vel potationem nec de se nec ex intentione agentis ordinata, accidentaliter sequatur quid parum cibi vel potus deglutiri, non obstante ordinaria diligentia. Qua ratione non est a communione removendus qui, inter os lavandum vel inter cibos gustandum particulam aquæ vel liquoris gustati absorbeat, vel inter incedendum guttulam nivis vel pluviæ introsumat; quod pariter applica fumiganti, rationabili de causa, vel tabaci pulverem naribus attrahenti, vel etiam, urgentiori de causa, folia tabaci masticanti, si contingat ipsis aliquid accidentaliter deglutire (1).

nec 2°/ ad casus in quibus, si lex urgeretur, continuis anxietatibus præberetur ansa. Et hoc signanter valet pro reliquiis ciborum dentibus inhærentibus, quæ si præter intentionem deglutiantur, vel convenienter expui nequeunt non solvunt jejunium.

Epikeiæ, intra limites descriptos, esse locum eruitur tum ex ipsis incommodis secus oriundis, tum ex doctrina communi auctorum, varios illos casus enumeratos, tacente Ecclesia, legis extensioni subducentium, quamvis aliam explicationem passim proponant (2).

---

(1) Ab omni usu tabaci, in quantum potest fieri, convenit abstineri ante s. communionem; imo, uti testatur Bened. XIV, *De Syn. diœces.*, l. X, c. III, n. 2, Urbanus VIII vetuit... « sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, tabacum (naribus attractum) in ecclesiis civitatis et diœcesis hispalensis, quia... sacra lintea indecenter fœdabantur et fideles... illius fœtorum abhorrentes ab Ecclesiis se subducebant ».

(2) Censent nempe in allatis exemplis non obtinere veram manducationem vel potationem, seu alimentum non sumi per modum cibi vel potus sed per modum salivæ vel respirationis. Quod minus placet. Et sane, ipsis illis auctoribus fatentibus, deglutitio hujusmodi liquoris in os la-

Nota. 1°/ Non dicemus cum nonnullis aliis jejunium eucharisticum esse divinæ institutionis, sed non est negandum sunmæ antiquitatis esse ejusdem usum, cum jam memoretur a Tertuliano, qui, in l. II, *ad Uxorem,* c. 5, alloquitur uxorem ut ipsi dissuadeat nuptias cum infideli: « nonne sciet maritus, inquit, quid secretò gustes *ante omnem cibum?* Et si sciverit esse panem, non illum credit esse qui dicitur! » ; imo jam lege sancitur jejunium in concilio Hipponensi, anni 393, cujus canon refertur in Concilio Carthagenensi III, anno 397; « Ut sacramenta altaris nonnisi a *jejunis* hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur » ; S. Augustinus autem aperte testatur latam diffusionem usus jejunandi ante Eucharistiam (1).

Usque ad sæculum 9m vel et ultra remansisse videtur, in quibusdem saltem regionibus, consuetudo celebrandi post refectionem in Cœna Domini, in sequelam exempli dominici, uti modò audivimus exceptionem fieri in laudato Concilio Carthagenensi. Cf. MANY, *Prælectiones de Missa*, Parisiis, 1903, p. 320 et seq.; *Dictionnaire de Theologie*, V° *Communion,* col. 500 et seq.

---

vando vel cibos gustando aut pluviæ in incedendo etc., quam dicunt fieri per modum salivæ et respirationis, dum præter intentionem accidit, illicò evadit vera comestio et potatio statim ac ex industria fieri contingit; non videmus autem quomodo præsentia vel absentia intentionis possit immutare indolem ac naturam actionis physiologicæ, qualis est manducatio ac potatio, Potius in utroque casu dicimus eam esse manducationem et bibitionem, adeoque in utroque casu verificari *verba* legis, sed recurrimus ad epikeiam seu benignam interpretationem *mentis* legislatoris, ut ultra limites delineatos non urgeatur lex jejunii.

(1) « Liquidò apparet, scribit in Epist. 54 ad Januarium, quando primùm acceperunt discipuli corpus et sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto ut in honorem tanti Sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret quam cæteri cibi; nam ideo per universum orbem mos iste servatur ».

In *Testamento D. N. J.-C.* (ed. Rahmani), l. II, cap. 20: « Jubeat Episcopus proclamari ne quis quidpiam gustet donec sacrificium expletum fuerit ».

2°/ Ad hoc ut quis ab accessu ad s. synaxim, ex capite violati jejunii, prohibeatur, oportet ut de ipsa violatione morali certitudine constet, nec sufficit probabile motivum in favorem cibi aut potus post mediam noctem sumpti, etiamsi nullum positivum motivum habeatur contra factum læsi jejunii. Cf. *Collat. Brug.*, VIII, p. 265 ss.

V

Q. *Expone præcipuas causas a lege jejunii naturalis excusantes.*

Respondetur:

1°/ *Periculum mortis.* Nimirum in Concilio Constantiensi (DENZINGER, *Enchiridion,* n. 585) definitur ac decernitur, juxta laudabilem ss. canonum auctoritatem, ac approbatam consuetudinem Ecclesiæ, quod « hujusmodi sacramentum non debet... a fidelibus recipi non jejunis, nisi *in casu infirmitatis,* aut alterius necessitatis a jure vel Ecclesia concesso vel admisso ». Quam infirmitatem sumendam esse *periculosam* ostendimus apud *Collat. Brug,,* II, p. 488 et seq., hanc strictiorem interpretationem urgentibus doctrina communi Auctorum necnon auctoritate *Rit. Romani,* Tit. III, cap. 4, n. 4: « potest viaticum *brevi morituris* dari non jejunis ».

Quibus attentis, ex una parte illicitum est infirmis non ad mortem laborantibus, etiam diuturna ægritudine afflictis, SS. Eucharistiam præbere non jejunis, ne ad hoc quidem ut satisfaciant præcepto communionis paschalis, quemadmodum l. c. latius exposuimus (1); ex alia autem parte quicumque infirmi, in

(1) Posset, uti ibidem monuimus, ad ejusmodi ægrotum SS. Sacramentum deferri summo mane, vel etiam de nocte; vel recurri posset opportunè ad dispensatiionem Pontificiam, de qua infrà. Quodsi neutrum commodè fieri valet, non urget hic et nunc præceptum paschale. Qua de re cf. *Theol. Quartalschrift,* Lintz, 1896, p 649; 1898, p. 383, 498 et 627 ss.; *Rev. eccl. de Liège,* I, p. 57 et ss.

mortis periculo constituti, possunt, quousque vitæ discrimen perseverat, viatico refici, etiam læso jejunio, non tantùm semel et iterùm, sed quotiescumque aliunde possunt convenienter communicare, etiam quotidie (1); nec importune inducendi sunt ut jejunium servent licet forsan absque graviori incommodo id valerent; absque restrictione namque a lege eximuntur.

Porro sufficit mortis periculum *probabile,* quale sufficit ut ultima sacramenta administrentur. Cum autem Concilium Constantiense et etiam Rit. Rom. (2) de solis loquantur periclitantibus *ex morbo,* tutius est ut viaticum suscipientes ob periculum mortis ab extrinseco imminens, puta ex sententia judicis, in quantum potest fieri, jejunium servent, quamvis non pauci Auctores (3) exemptionem legis etiam ad hujusmodi morituros indifferenter extendant.

2°/ *Necessitas perficiendi sacrificium.* Et ita si contingat sacerdotem, alterutra vel utraque consecratione peracta, deficere, defectui supplere debet quivis sacerdos, utut non jejunus, sacrificium perficiendo ac per communionem integrando.

Pariter si celebrans, sub ipsa sumptione calicis, reperiat vinum non fuisse consecratum, sed alienum

---

(1) Ita v. gr. pro casu graviter decumbentis sacerdotis vel monialis, quorum non jejunorum quotidianæ communioni nihil obstaret. In hunc sensum moderanda est dispositio *Pastoralis Brugensis,* p. 78 : « In periculo mortis constitutus communicare potest non jejunus, idque pluries eodem periculo perdurante, præsertim si morbus ingravescat, *modò ab una sacramenti receptione aliquot dies effluxerint* ».

(2) Dicit quidem Rit. Rom : « brevi morituris » sine addito, sed statim post sequitur : « *cæteris* autem *infirmis...* ».

(3) De Lugo, *De Sacramento Eucharistiæ,* Disp. XV, n. 72 : S. Alphonsus, *Theol mor.,* l. VI, n. 284; Bucceroni, *Theol. mor.,* II, n. 592; Aertnys, *Theol. mor* , l. VI, Tract. IV, n. 105; Marc, *Institutiones morales,* n. 1559; Baller.-Palmieri, *Opus morale,* IV. n. 167, in littera; Haine, *Theol. mor. elementa,* III, qu. 66; Lahousse, *De Eucharistiæ mysterio,* n 140; D'Annibale, *Summula Theol. mor.,* III, n. 411, not, 395; Many, *Prælectiones de missa,* Parisiis, 1903, n. 178. Contradicunt autem præ cæteris Gasparri, *Tract. canonicus de SS. Euchar.,* II, n. 1129; Genicot, *Theol. mor.,* II, n. 202, sub 1°/; Noldin, *o. c.,* n. 159

liquorem, debet integram consecrationem iterare ac communione perficere, quamvis materiæ invalidæ absorptione jejunium violaverit.

3°/ *Periculum profanationis vitandum,* ratione incendii vel repentini incursus profanatorum.

4°/ *Periculum gravis scandali vel infamiæ,* quale esset in casu communicantis, qui jam assidens scamno communionis recordaretur se cibum vel potum gustasse post mediam noctem. Posset etiam obtinere cum sacerdote qui, nisi in talibus vel talibus adjunctis celebret, gravibus suspicionibus ac obloquiis existeret obnoxius.

5°/ *Casus adulti baptizandi*, qui intendit post susceptum Baptisma communicare, cui id permittitur non obstante sale sub exorcismis prægustato (1).

6°/ *Dispensatio pontificia,* quæ nostris diebus haud difficulter obtinetur in gratiam fidelium diuturna ægritudine laborantium (2), quibus id sollicitantibus indulgetur ut « sumere valeant aliquid *per modum potus* ante ss. eucharisticam communionem (passim : bis in mense), durante tantum exposita male affecta valetudine, de consilio confessarii (3) et remoto scandalo ».

---

(1) In Instructione S. C. de Prop. Fide, 13 Febr. 1806: « Sale a catechumenis in collatione Baptismi prægustato, etsi jejunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est quin ad s. communionem, suscepto Baptismate, admitti possint, imo vero debeant ».

(2) Refert Bened. XIV, *De Synodo diœc.*, l. VI, c. VIII, n. 19, quædam exempla dispensationis olim concessæ: « Pontifex Julius III, die 13 Martii 1534... concessit Imperatori Carolo V ut, antequam S. Eucharistiam sumerét, paululum cibi gustaret ». Pius item IV quibusdam missionariis Indiarum benigne indulsit ut, si ratione infirmitatis aut aeris intemperici remediis comestibilibus aut potabilibus usi fuerint post mediam noctem « missam die sequenti celebrare valeant, si urgentissima fuerit celebrandi necessitas et paululum inde dormierint ». Pariter Innocentius XIII, anno 1722 Ludovico Regi Galliæ concessit « ut die coronationis suæ modicum jentaculum sumere valeat ante communionem ».

(3) Confessarii est recurrere, immediate vel per mediam cancellariam episcopalem ad S. Officium pro impetranda dispensatione in gratiam pœnitentis; ejusdem confessarii est dispensationis obtentæ usum moderari, ac de conditionis appositæ perseverantia judicare. Formulam supplicæ exhibet NOLDIN, *o. c.*, n. 162.

Quæ verba « per modum potus » ita sunt intelligenda, juxta declarationem C. S. O., 7 Sept. 1897, « ut liceat sumere jusculum, cafæum aliosque cibos liquidos, quibus aliqua substantia mixta sit, e. gr. farina, panis rasus (pain râpé) etc., dummodò mixtio non amittat naturam cibi liquidi ». De quibus fusiora confer apud *Theol. Quartalschr.*, Lintz, 1896, p. 881 s.; *Kirchenlexicon,* V° *Nüchternheit;* N. R. th., XXX, p. 301 s.; NOLDIN, o. c., p. 172.

Nota. 1°/ Non admittimus uti sufficientem causam a nonnullis probatam, quatenus parochus non jejunus celebrare posset ut populus missam audiat die dominica: excepto sane casu rariori quo ex omissa celebratione periculum incurreret dictus parochus gravis infamiæ. Cæterùm passim non offendetur populus christianus ex hoc quod ideo missa privetur dominicali, sed potius offenderetur si sciret parochum non servato jejunio celebrasse.

Non est autem improbabile quod liceat sacerdoti celebrare non jejuno ut, deficientibus hostiis consecratis, possit ministrari viaticum non tantùm sibi ipsi sed et alii moribundo, modò ignoretur jejunii violatio; ast vix unquam hæc necessitas occurret.

2°/ Non possumus etiam cum severitate legis componere sententiam illorum (1), qui permittunt celebrare neomistæ qui, ipsa primitiarum die, aliquid cibi aut potus inadvertenter sumpserit; supponimus utique abesse omne periculum infamiæ aut gravis scandali.

3°/ In Concilio Carthagenensi III, de quo suprà, insurgitur contra abusum qui invaluerat ut sacerdos non jejunus celebraret missam post meridiem vel vesperè in refrigerium animæ alicujus fidelis modò defuncti; statuit nempe ut « si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum... commendatio facienda est, solis

(1) BALLERINI-PALMIERI, o. c., III, n. 173; GÉNICOT, o. c, n. 202; NOLDIN, o. c., n. 158.

orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur ». Notat etiam Many, o. c., p. 328 s., eumdem abusum viguisse in Gallia tempore Hincmari Rhemensis qui jussit « ut presbyter parochialis usque ad horas pomeridianas jejunus remaneret ad succurrendum necessitatibus defunctorum ». Cf. Corblet, o. c., p. 320.

A. De Smet.

VI

Q. *Quot et qualia lumina ardere debent in altari in expositionibus SS. Sacramenti?*

R. **De numero candelarum** sequentes adduci solent textus.

1° De solemnissima SS. Sacramenti expositione Quadraginta horarum statuit *Instructio Clementina* (1), § 6:

« Ad altare continuo ardeant *viginti saltem lumina*, sex nempe candelæ unius libræ, quarum tres ab unoquoque latere crucis et octo candelæ in superiori parte, cum aliis quatuor a lateribus ostensorii, in cujus parte anteriori nullum omnino ponatur lumen; adsint tandem duo candelabra cum cereis quorum unusquisque trium saltem sit librarum. Idem quoque, clausa ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, *quorum decem saltem sint ex cera* » (2).

Notandum autem est, ex decreto S. R. C. « prædictam Instructionem extra Urbem non obligare, laudandos tamen qui se illi conformare student, nisi aliud ab Ordinariis locorum statutum sit » (3).

2° De aliis expositionibus publicis statuit Benedictus XIV in *Institutione ecclesiastica* 30ª, n. 17: « Ut Sacra Eucharistia, quo par est, honore ac reli-

(1) Publicata de mandato D. N. Papæ Clementis XII, die 1ª Septembris 1736.

(2) Hæc ultima verba tamen deficiunt in *Constitutionis* textu edito in *Collectione Authentica* decretorum S. R. C. t. IV, p. 22.

(3) S. R. C. 12 Jul. 1749, *Patavina*, n. 2403.

gione publice coram populo exponatur... decernimus... ut *duodecim saltem cerei circum ardeant* » (1). Verum hæc præscriptio data est a Benedictio XIV, antequam Pontifex fieret, dum adhuc erat Prosper Card. Lambertini, archiepiscopus Bononiensis, adeoque obligat tantum ecclesias subditas diœceseos Bononiensis.

In decreto pontificio diei 20 Maii 1682, Innocentius XI præcipit ut « circa idem Sanctissimum Sacramentum dum expositum fuerit, debeant ardere ante illud continuo *decem candelæ ex cera candida* » (2). Sed hoc decretum respiciebat unice Regulares diœceseos Mechliniensis (3), qui de juribus et obligationibus suis cum archiepiscopo Mechliniensi disceptabant.

3° Tandem de expositione privata generaliter decrevit S. C. Episcoporum et Regularium die 9 decembris 1602: « Si quandocumque privata ex causa Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur, sed in pyxide velata in aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus sacerdotis, stola et superpelliceo induti, *cum sex saltem luminibus cereis collocetur;* quod idem in ecclesiis sæcularium servari mandamus » (4).

4° A S. Cong. Rit., die 15 Martii 1698, in *Narnien.*, n. 1992, sequens prodiit decretum:

Quot lumina sint adhibenda in expositione Sanctissimi Sacramenti quæ fiat ad instar proscænii (5), nec non an et quot requirantur in tali expositione lumina candelarum spectabilia?

Et S. R. C. respondit: « Luminum quantitatem pietati facientis expositionem remittendam, et in altari super candelabris *ad minus sex candelas accensas* esse retinendas ».

---

(1) Cf. etiam *Instructio Clementina* § 36.

(2) Apud *Synodicon Belgicum* ed. De Ram, 1829, t. II, p. 382.

(3) Non debet extendi ad diœceses tunc suffraganeas, ut censet P. Victorius ab Appeltern, *Manuale liturgicum*, t. I, p. 147, nota 5.

(4) Decretum citatum in Bened. XIV, *Institutione ecclesiastica*, 30, n. 21.

(5) Quæ verba sane de expositione publica intelligenda sunt.

Pro diœcesi Brugensi præscribunt *statuta diœcesana* p. 160: « *Sex ad minus cerei (quod in omni expositione servari debet) in altari ardeant* ». Quæ verba agunt de laudibus vespertinis, non distinguendo inter expositionem privatam et publicam.

Unde concludes: ubi statuta synodalia aut episcopalia amplius non præscribunt, nec uberioris luminis adest consuetudo, in rigore juris sufficere ut sex candelæ in altari ardeant. Quod certe *ut minimum* præscribitur, servari potest in expositione privata, cum pyxide in tabernaculo, et in benedictione quæ, absque expositione, ex Statutis diœcesanis, p. 159, « dari potest post primam et ultimam diei missam in ecclesiis ubi viget hæc consuetudo ». In omni autem expositione cum ostensorio spiritui liturgiæ et Ecclesiæ votis saltem, si non præceptis, conforme est et « optandum ut præterea quatuor etiam ardeant candelæ a lateribus tabernaculi seu ostensorii (1) ». Quod si agatur de Adoratione perpetua et Oratione quadraginta horarum, his altissimæ Sacramenti dignitati vix fieri satis, facile intelliget quilibet sacerdos in Eucharistiam vere devotus et cultus eucharistici zelator. « Quantum potes, tantum aude » (2).

II. Ad **qualitatem** autem luminaris præfati quod attinet, nullum est dubium quin candelæ stricte requisitæ debeant esse *ex cera apum* purgata seu albi coloris. In citatis textibus constanter agitur de « candelis », « ceris », « candelis ex cera candida ». Quam obligationem ceterum confirmant communis doctorum auctoritas et plura S. R. C. decreta (3), notatim responsum recens diei 14 decembris 1904, quo tamen non parva admittitur præcepti hujus mitigatio.

Hoc enim decreto conceditur ut, exceptis cereo paschali et duabus candelis in missis accendendis, aliæ

---

(1) De Herdt, *S. Liturgiæ praxis*, t. I, n. 184, 4°.

(2) Cf. Van der Stappen, *De administr. sacr.*, q. 180; *De celebrat. Missæ*, q. 61.

(3) Quæ vide indicata ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 369, notis 1, 2, 3.

candelæ « *quæ supra altaribus ponendæ sunt* » « esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtæ », ita tamen ut earum materia *in majori vel notabili quantitate* ex cera apum sit oporteat » (1).

Itaque: 1° Indubium est candelas pro expositione SS. Sacramenti *in altari liturgice præscriptas* non posse integre esse confectas ex stearina (bougies) aut ex sebo (suif) aut ex alia materia quæ non sit apum cera. Nec eis substitui possunt, ne quidem ex parte, « lumina ex oleo » aut « gaz » aut lux electrica (2).

2° Si jam in altari numero sufficienti adsint candelæ ex cera apum saltem in notabili quantitate confectæ, ad majorem solemnitatem « *extra altaria* plures alias candelas (quæ sint ex alia materia) accendi posse in ecclesiis extra controversiam, nunc saltem, ponitur » scribunt *Ephemerides liturgicæ,* 1902, t. XVI, p. 194. (3).

3° Si tandem quæritur utrum candelis ex cera requisitis liceat *in ipso altari superaddere,* adaugendæ solemnitatis gratia, candelas non cereas sed ex stearina, responsum non liquet.

Quæstionem his terminis positam non solent auctores ita præcise tractare, sed generatim exigunt ut candelæ in altaribus ponendæ sint ex cera. Tamen Coppin et Stimart, *Sacræ liturgiæ compendium,* n. 228, 1°, scribunt: « candelæ... ex cera stearica... adhiberi non possunt nisi accensis cereis jam requisitis, ad augendam solemnitatem ».

Decreta S. R. C. videntur etiam generali modo excludere præfatas candelas stearicas. Sed tamen quæri potest utrum citata decreta non intendant prohibere quominus candelæ stearicæ *substituantur* candelis cereis *requisitis.*

---

(1) Vide totum decreti textum cum adnotationibus ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 398 ss.

(2) Vide decreta S. R. C. quibus hæc prohibentur citata ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 399. Quibus adde decret. S. R. C. 27 Junii 1868, *Sanctimonialium perpetuæ adorationis,* n. 3173; 1 et 2.

(3) Cf. Coppin et Stimart, *S. Liturgiæ compendium,* n. 652, 2°; *Nouv. Rev. Théol.*, (1882) t. XIV, p. 110.

Et revera ipsa hæc quæstio proposita fuit anno 1878 coram S. R. Congregatione quæ respondit: *Dilata* (1).

Præterea præcitatus textus *Instructionis Clementinæ* § 6: « idem... per noctem retineatur luminum numerus *quorum decem saltem sint ex cera* » satis innuit etiam alia lumina non proscribi. Et quamvis hæc verba non inveniantur in textu *Instructionis* qualis est editus in nova Collectione authentica, t. IV, p. 22, in hac ipsa tamen Collectione, t. IV, p. 23, servantur commentarii D. Gardellini hæc verba ita interpretantis: « quamobrem permittit ut interea *adhiberi possint lumina ex alia viliori materia, puta ex oleo aut adipe, dummodo saltem decem ex cera sint* ».

Eodem modo præscribunt Statuta diœc. Mechliniensis n. 336: candelæ « quæ ex sebo aliisve materiis confectæ sunt, nonnisi ad majorem lucem vel solemnitatem procurandam adhiberi possunt ».

Tandem non est negandum consuetudinem superaddendi candelis cereis lumina ex stearina jam a longo tempore et in permultis regionibus vigere; eamque consuetudinem conferre ad augendam solemnitatem expositionis et devotionem populi; secus enim minori numero lumina accenderentur.

Quibus omnibus perpensis, inspecta etiam mitigatione disciplinæ de cera per decretum diei 14 decembris 1904, præfatam consuetudinem damnandam non censemus.

In fine notetur « usum cereorum fictorum ex metallo, in quibus machina quadam introducitur cereus, tolerari posse » ex decreto S. R. C. 11 Maii 1878 (2). Non ideo tamen commendandus est usus ille, quem aliquatenus necessarium reddidit interdum abnormis altitudo candelabrorum et altarium ex stylo dicto « renovationis ».

C. Callewaert.

---

(1) Vide epistolam nomine Cardinalis Præfecti S. R. C. hoc testantem ap. *Nouv. Rev. Theol.*, t. XIV, p. 111. In qua tamen concluditur: « Quapropter interea ab ejusmodi cereorum usu omnino abstinendum est ».

(2) In antiqua Collectione, n. 5728, ad 19; in nova Collect. eliminatum.

Dissertatio

De tempore quo Actus Apostolorum conscripti sunt.

(Cf. T. X, p. 619 ss.; suprà p. 107 ss.).

—

Varia indicia interna tùm ex ipso Actuum libro, tùm ex « primo sermone » seu Ev. Lc collegimus ac perpendimus : remanet ut circa tempus quo Actus Apostolorum vel Ev. Lc conscripta fuerint traditionis testimonium paucis inquiramus.

De epocha qua Lucas Actus ediderit prisca traditio penitus silet. Superest igitur ut antiquioris traditionis testimonium inquiramus de tempore quo Ev. Lc (primus sermo *Act.* I) exaratum fuerit. Communissima est antiquitatis sententia quatuor Evangelia canonica, secundum temporis quo scripta sunt rationem, in canone esse disposita, adeoque Lc post Mt et Mc (1) scripsisse. Interna disquisitio seu comparatio inter Ev. Mc et Ev. Lc, ostendit Ev. Lc a textu Mc pendere, adeoque tempore posterius esse. Verùm de temporis articulo quo Lc narrationem evangelicam ediderit antiquiores testes explicite mentionem non habent. Manet ergo ut indirecte, ope scil. traditionis circa ortum Ev. Mc, accuratius epocham qua Lc « primum sermonem » confecerit, præfiniamus. Quem in finem præcipuos traditionis textus indicabimus vel etiam latinè describemus.

1. **Papias** (75? — 155?), episcopus Hierapolitanus,

---

(1) Excipi forsan debet S. Clem. Alex. (v. infrà nº 3º), quo casu esset testimonium in antiquitate prorsus solitarium. A communi enim traditione non dissentiunt Prologi Monarchiani ut contra contra Corssen (*Monarchianische Prologe zu den vier Evangelien*, Leipzig, 1886) ostendimus (*De quarti Evangelii Auctore*), Lovanii, 1899, p. 177.

discipulus Joannis apostoli (v. suprà p. 200) in opere « *Explanatio sermonum Domini* » (1) de Mc Ev. sequentem Joannis presbyteri traditionem sic exposuit (2) : « Et hoc presbyter dicebat: Marcus Petri interpres, quæcumque memoriæ mandaverat, diligenter conscripsit, non tamen ordine, quæ a Christo aut dicta aut gesta fuerant; neque enim audiverat Dominum neque eum sectatus fuerat, sed, ut dixi, postea Petrum, qui pro audientium utilitate evangelium prædicabat, non autem velut sermonum Domini historiam contexens, ità ut Marcus nihil peccaret, nonnulla ità scribens, prout memoria repetebat; id quippe unum studebat, ut ne quid eorum quæ audierat, prætermitteret neve quid falsi iis affingeret. Hæc igitur a Papia de Marco narrantur ».

Missis variis quæstionibus quæ circa notissimum hoc fragmentum agitantur, hoc tantum inquirimus, utrum sc. de tempore quo Mc scripserit, quidquam deducere liceat. Plures auctores (3), prioribus textus græci verbis innixi (Μάρκος μὲν ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος), e partic. γενόμενος Marcum post mortem Petri (a. 64? 65) scripsisse autumant. Immeritò tamen, ut Chapmann notavit (4): « γενόμενος signifie proprement « étant devenu », bien qu'on puisse traduire simplement « qui était ». On a essayé de traduire « qui avait été »... Mais dans ce cas, le mot grec devrait être γεγενημένος. L'emploi de γενόμενος n'exclut pas tout à fait la possibilité que Marc avait cessé d'être l'interprête de Pierre au temps où il écrit; mais certainement il ne l'indique pas directement ». Cæteroquin Mc non fuerit Petri prædicantis interpres (sensu proprio) : presbyter nihil aliud significare intenderit quam hoc: Mc, discipulus (sectator) Petri hujus interpres (sensu lato) factus est *conscribendo Ev.* (5).

---

(1) Apud Eus. *Hist. Eccl.* III, 39, 15.

(2) Cf. Funk, *Opera Patrum Apostolicorum*, V. II, (Tubingæ, 1901) p. 286 ubi græcum textum reperire est.

(3) Inter quos Link, *Stud. und Krit.* 1896, p. 405 ss., Harnack, *Chronologie der altchristlichen Litteratur*, Leipzig, 1892, p. 652.

(4) *Rev. Bénéd.* 1905, p. 357 s.

(5) Zahn, *Geschichte des neutestamentlichen Kanons*, Erlangen u. Leipzig, I, p. 878 ss.; *Einleitung in das N. T.*, Leipzig, 1900, T. II, p. 218 ss.

Neque verba « quæcumque memoriæ mandaverat », « prout memoria repetebat » certò innuunt Petrum jam vita fuisse defunctum quando Mc « diligenter conscripsit » : rite intelliguntur Petro adhuc vivo, a quo Mc scribens procul abesse poterat. — Dicet quis: sed si novisset presbyter Mc scripsisse Ev. dum Petrus adhuc viveret, nonne aperte hoc declarasset contra adversarios Ev^ii Mc quos refellere intendit? At verò, cur hoc dixisset? Ut enim e fragmento liquet, adversarii neque authentiam neque doctrinam Marci impugnabant, verùm ipsi defectum ordinis chronologici in narratione vitio vertebant. Hanc ordinis carentiam concedit presbyter, eamque non Marco qui « fideliter conscripsit », sed Petro esse imputandam, qui cæteroquin « pro audientium utilitate evangelium prædicans », « sermonum Domini historiam (ordine chronologico) contexere » non intendebat.

2° **S. Irenæus** (? 125-202? 208) *Adv. Hær.* III, 1, 1 de origine Evv. habet textum notissimum (1): « Postea enim quam surrexit Dominus noster a mortuis, et induti sunt (Apostoli) supervenientis Spiritus sancti virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, et habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terræ, ea quæ a Deo nobis bona sunt evangelizantes, et cœlestem pacem hominibus annuntiantes, qui quidem et omnes pariter et singuli eorum habentes Evangelium Dei. Ita Matthæus in Hebræis (gr. καὶ) ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post verum horum excessum (Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον), Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quæ a Petro annuntiata erant (τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα), per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem, sectator Pauli, quod ab illo prædicabatur Evangelium, in libro condidit. Postea et Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, et ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiæ commorans ».

(1) Cf. W. Harvey, *S. Irenæi opera*, Cantabrigiæ, 1857, T. II, p. 2 ss. V. de S. Irenæo suprà p. 2.

Communiter tenent Auctores Irenæum asserere Marcum post mortem Petri (a. 64? 65) et Pauli (a. 67) scripsisse: verba enim μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον: post horum *excessum*, cùm interprete latino Irenæi, de morte Apostolorum intelligunt. Et revera ἔξοδος absque ulla loci vel temporis determinatione *excessum* e vita seu mortem significare videtur.

Attamen hujusmodi interpretationi haud leves difficultates obstare videntur.

a/ Nullus scriptor antiquus dictæ sententiæ calculum adjecit: ità Clemens Alex. Eusebius, S. Hieronymus Marcum, Petro adhuc vivente, scripsisse testantur.

b/ Irenæus absque dubio a Papia pendet: verba autem Papiæ, ut vidimus, Petrum jam obiisse quando Mc scripsit, non indigitant.

c/ Accedit, quod parum concinno, ni fallor, dicendi modo (1) usus esset S. Irenæus, si post Apostolorum mortem τὰ ὑπ' αὐτῶν κηρυσσόμενα (part. præs.) scripta esse dixisset; aptius enim participium aoristi vel similem expressionem elegisset: τὰ ὑπ'αὐτῶν κηρυχθέντα, τὸ αὐτῶν κηρύγμα etc.; quare etiam vetus interpres priore quidem in loco minus recte vertit: « quæ a Petro *annuntiata erant* », altero in loco quasi se ipse corrigens Lucam « Ev. quod a Paulo *prædicabatur* » scripsisse dicit.

d/ Synchronismus qui in dicta sententia scriptionem Mt inter et prædicationem Petri et Pauli Romæ existeret, mirus videtur, quia nulla connexio inter utrumque factum apparet. Præterea *simultanea* Petri et Pauli prædicatio in urbe Roma parum probabilis apparet.

Quibus omnibus attentis, auctores quidam v. μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον de *exitu* omnium apostolorum (2) in

---

(1) Ut observat Cornely, *Hist. crit. Introductio in U. T. libros sacros*, T. III (Parisiis, 1886), p. 77 s.

(2) Ità Cornely, *l. c.* Attamen τούτων *(horum)* ad Petrum et Paulum referri logice debet.

fines terræ, aut probabilius de exitu Petri et Pauli (1) in fines terræ, vel etiam de horum ex urbe Roma exitu (2) intellexerunt (v. paulò suprà: *exierunt* in fines terræ). Concedendum tamen videtur vocem ἔξοδος absolute adhibitam ut hîc, magis obvie *mortem* significare. Nuperrime Chapmann (3) conatus est probare Irenæum in loco cit. minine intendere ordinem chronologicum Evv. tradere, sed ipsi mentem fuisse ut ostenderet prædicationem quatuor insigniorum Apostolorum non fuisse deperditam, sed nobis scripto traditam fuisse: quod e priore citati textus parte absque dubio confirmatur (4). Verbum ἔξοδον de *morte* Apostolorum audit, verùm illud non ad ἐγγραφως (per scripta) sed ad παραδέδωκε (tradidit) refert; locum paraphrastice juxta textum græcum hoc modo exponit: « post mortem eorum (prædicatio eorum non fuit pro nobis deperdita, sed) Mc, discipulus et interpres factus Petri, et ipse in scripto (sicut Mt) tradidit nobis res a Petro prædicatas ». Plura ex argumentis a Chapmann adductis haud spernenda apparent. Quidquid sit de probabilitate harum sententiarum, sit hæc conclusio nostra: e testimonio S. Irenæi *ad summum* deducere licet Irenæum Papiam ità intellexisse quasi Mc post Petri mortem scripserit.

Si Irenæus Marcum post mortem Petri et Pauli (a. 67) Ev. scripsisse clare docuit, nonne mirum est posteriorem traditionem ejus sententiæ ità parum attendisse, ut eam potius dereliquerit? Nullus enim reperitur scriptor antiquus qui dictæ sententiæ aperte adstipuletur.

---

(1) Cf. opusculum nostrum *S. Irénée et le Canon du N. T.*, Louvain, 1896, p. 27 ss.

(2) Ita Grabe, *Opera S. Irenæi, h. l.*; W. Harvey, *o. c.*, p. 5, n. 2. Cf. Patrizi, *De Evangeliis*, Friburgi B., 1853, p. 38 ss.; Aberle, *Tüb. Quartals.*, 1858, p. 495 ss.; Lutheroth, *Essai d'interprétation des dernières parties de l'Ev. selon Matthieu*, Paris, 1878, p. 366 ss.; Blass, *Acta Apostolorum, Ed. philol.*, Göttingen, 1895, p. 5.

(3) *The Journal of theological Studies*, 1905, p. 563 ss.

(4) Quodque jam notavimus in *opusculo cit.*, p. 30.

3° **Clemens Alexandrinus** (? 150 — ? 215) in libris *Hypotyposeon* (1) traditionem quamdam de ordine Evangeliorum quam a vetustioribus presbyteris acceperat, refert in hunc modum : « Dicebat (2) ex Evangelio (gr. ex Evangeliis) prius scripta esse illa quæ seriem generis Dominici (gr. *τὰς γενεαλογίας*) continent (3). Marci autem Evangelium ex hujusmodi occasione scriptum esse. Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice prædicasset, et Spiritu sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum jamdudum sectatus fuisset, et dicta ejus memoria teneret, ut quæ ab Apostolo prædicata erant, conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit (4) ». Et alio loco *Hypotyposeon* (5) ait : « Marcus, Petri sectator, prædicante Petro Evangelium palam Romæ coram quibusdam Cæsareanis equitibus et multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, ut possent quæ dicebantur memoriæ commendare, scripsit ex his quæ Petro dicta sunt Evangelium quod secundum Marcum vocitatur ».

Variarum quæstionum ac difficultatum quæ e citatis textibus oriuntur solutio ad nos non spectat ; neque profectò varia adjuncta a Clemente narrata ut historica vindicamus : sufficit ad scopum nostrum dissensum traditionis (si tamen dissensus sit) notare.

4. **Origenes** (185 ? — 254) discipulus Clem. Alex., magistri narratiunculam de Ev. Mc origine non refert

---

(1) Cf. Eus. *Hist. Eccl.*, VI, 14.

(2) Gr. potius *dicebant* (ἔλεγον loco ἔλεγεν) sc. presbyteri. Zahn, *Einleitung in das N. T.*, Leipzig, 1900, T. II, p. 182 n. 9.

(3) Scil. juxta Clem. ordo Evv. esset sequens : *Mt, Lc, Mc, Jo :* qui ordo communi traditioni adversatur, et ex interno Evv. Mc et Lc examine reprobandus apparet. Hanc difficultatem solvere conantur Zahn, *o. c.*, p. 182 s., n. 9 ; Belser, *Einleitung in das N. T.*, Freiburg i. B., 1901, p. 119.

(4) Eus., *Hist. Eccl.*, II, 15 juxta Clem. Alex. refert Petrum Ev. Mc « auctoritate sua approbasse ».

(5) Ad *I Pet.* V, 13 ; cf. Zahn, *Einleitung in das N. T.*, T. II, p. 214, n. 9.

quidem, verùm nihil habet quod sententiæ Clementis certò contradicat. In I lib. *Exposit. in Ev. Mt* (1) scribit: « Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Ecclesia quæ sub cœlo est, citra controversiam admittuntur: primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthæo, prius publicano, postea vero Apostolo Christi, qui illud hebraico sermone conscriptum Judæis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat, in literas retulit. Atque idcirco Petrus in epistola catholica eum filium suum agnoscit his verbis: Salutat vos electa Dei ecclesia quæ est Babylone, et Marcus filius meus. Tertium Evangelium Lucæ, quod a Paulo commendatur, in gratiam gentilium conscriptum. Postremum verò Evangelium Joannis ».

E verbis « prout Petrus ipsi exposuerit » (ὑφηγήσατο) non liquet Mc post mortem Petri scripsisse: rejicit tamen Origenes fabellam cui posteriores Scriptores fidem adhibuerunt quæque Mc, dictante Petro, Evangelium exarasse perhibet (2).

5. **Alios textus** adducere supervacaneum foret, cùm reliqui testes omnes (3) Mc Ev. *ante mortem Petri* conscriptum habeant. Ità ACTUS PETRI CUM SIMONE (4); EUSEBIUS (5); S. HIERONYMUS (6); S. EPHREM (7); PSEUDO-ATHANASIUS (8) etc. etc.

Conclusio. De tempore quo Lc suum Ev. ediderit nihil certum e traditione directe colligi potest. Explicite quidem loquuntur SS. Patres et scriptores antiqui de tempore quo Ev. Mc (ante Lc certo conscriptum)

---

(1) Apud EUS., *Hist. Eccl.*, VI, 25.

(2) TERTULLIANUS (? 160-? 245) jam tales novisse videtur qui Mc Ev. ipsi Petro tribuebant. (*Adv. Marc.* IV, 2 et 5).

(3) Qui tamen hinc inde fabulosa adjuncta enarrant.

(4) Cf. LIPSIUS-BONNET, *Acta Apostolorum apocrypha*, P I, Lipsiæ, 1891, coll. ZAHN, *Einl.*, T. II, p. 214.

(5) *Hist. Eccl.*, *ll. cc.*, coll. III, 5, 89; III, 24, 14.

(6) *Epist. 57*, 9; 120, 11, coll. *De vir. ill.* 1 et 8.

(7) *Comment: in Diat. Tat.* Ed. Mosinger, 1876.

(8) *Synopsis S. S.* apud MIGNE, *Patr. Græca*, T. 28.

exaratum fuerit. Verùm, eorum testificatio non unanimis apparet. Unus quidem testis, sed magnæ auctoritatis vir, S. Irenæus, Ev. Mc post mortem Petri et Pauli (a. 67) fuisse editum asserere *videtur*. Plerique testimonia posteriora tamen aperte oppositum docent; aliqui rem injudicatam relinquunt. Quæ cum ita sint, quæstionem utrum Ev. Mc, adeoque Ev. Lc et Actus Apostolorum ante vel post a. 67 edita fuerint, e traditione non posse *certò* dirimi arbitramur.

Conclusio generalis.

Cùm ex una parte tempus quo Actus Apostolorum conscripti fuerint e traditione *certo* definiri nequeat; cùm ex alia parte criteria interna ex Ev. Lc (primo sermone *Act.* I, 1) deprompta haud certo demonstrent hoc Ev. (adeoque Actus) post ruinam Jerusalem fuisse exaratum (1); cùm demum varia indicia in ipsis Actis reperta hunc librum a. 63 circ. editum fuisse mira consensione suadeant (2), hunc annum 63 velut probabiliorem proponimus.

A. Camerlynck.

(1) V. *suprà*, p. 107 ss.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. X, p. 619 ss.

Miscellanea.

Dubium de alienatione bonorum ecclesiasticorum *solutum a S. Congr. Concilii in C.* **Romana et aliarum,** 17 Febr. 1906 (1).

Vi Constitutionis Pauli II, quæ incipit *Ambitiosæ* (c. unic. Extravag. comm. *de rebus Ecclesiæ non alienandis*. III, 4) alienari non possunt bona ecclesiastica, nimirum immobilia et res mobiles pretiosæ, nisi fiat justa de causa et servatis formalitatibus de jure. Harum præcipua est reportatio consensus Sedis Apostolicæ seu beneplaciti apostolici (2). Male alienantes plectuntur variis pœnis, notatim excommunicatione l. s. nemini reservata, lata a Paulo II et renovata a Pio IX in Const. *Apostolicæ Sedis* Tit. IV, art. 3 (3).

Dubium motum est nuperrime coram S. Congregatione Concilii utrum sub nomine rerum immobilium aut mobilium pretiosarum veniant tituli seu actiones et obligationes (valeurs au porteur), quæ hodie temporis, propter societatis conditiones et pravas leges civiles, fundationem aut dotationem beneficiorum vel institutorum ecclesiasticorum, magna ex parte, constituunt. Quæsitum nempe fuit. « 1° An pro alienatione titulorum *(dei valori al portatore)* qui in dominio sunt institutorum vel domorum ecclesiasticorum subditorum tutelæ Ecclesiæ, necessarium sit beneplacitum apostolicum, sicuti pro alienatione bonorum immobilium et rerum pretiosarum. 2° An similis consensus requiratur pro permutatione illarum versurarum cum aliis titulis, aut etiam si fiat hæc permutatio cum immobilibus. 3° An venditores et acquirentes subjaceant pœnis ecclesiasticis

(1) *Analecta ecclesiastica*, 1906, t. XIV, p. 60 s.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, n° 949 ss , t. II, p. 250.

(3) *Collat. Brug.* VI, 46 ss.

sancitis a *Conc. Trid. SS. XXII, c. 11 de ref.*, ab *Extravag. Ambitiosæ* et a Constit. *Apostolicæ Sedis.* »

I. Secretarius Congregationis, breviter hac de causa ad EE. PP. referendo, quod attinet ad primum dubium, rem incunctanter in sensu affirmativo resolvit, subnixus auctoritate et argumentis plerorumque auctorum tum antiquorum, tum modernorum (1). Apposite animadvertit : « Id autem eo magis valet nostris hisce temporibus: cum enim satanicæ leges civiles, quas eversivas vocant, plerisque ecclesiasticis institutis denegent juridicam entitatem, aut saltem facultatem possidendi bona immobilia, acquisitio titulorum debiti publici, quæ olim erat modus subsidiarius investiendi Ecclesiæ pecuniam, quo scilicet uti decebat quando præsto non esset investimentum *in stabilibus tutis et fructiferis* aut, iis deficientibus, *in censu,* acquisitio, inquam, titulorum hujusmodi evasit titulus investiendi primarius, quem S. Sedes nedum permittit, sed suadet, et aliquando etiam præcipit (2). »

Aliter tamen esset resolvendum si vendantur tituli empti modo provisorio, ne pecunia ad usus quotidianos adhibenda fiat infructuosa. Illa alienatio non caderet sub prohibitione C. *Ambitiosæ,* quia agitur de rebus quarum usus in abusu (absumptione) est.

Disputari potest num illi tituli veniant sub appellatione immobilium aut rerum pretiosarum. Plerique auctores eos æquiparare videntur bonis stabilibus, ex

---

(1) Inter modernos recenseri possunt : PENNACHI, *Commentaria in C. Apostolicæ Sedis,* t. II, p. 126 s., 144 ss. Romæ 1883; D'ANNIBALE, *Summula theol. moral.*, edit. 3, t. III, nº 78, p. 73. Romæ, 1891 ; WERNZ, *Jus Decretalium*, t. III. *Jus administrationis*, nº 160, p. 190 ; Romæ, 1901 ; BARGILLIAT, *Prælectiones juris canonici,* edit. 22, t. II. nº 964, p. 96. Parisiis, 1905; DE BRABANDERE-VAN COILLIE, o. c., nº 951 ubi recenset inter immobilia, census et annuos redditus. Inter hos, census publici (rentes sur l'État) et redditus ex titulis et versuris publicis provenientes merito recensentur. — Cf. tamen in sensum contrarium HOLLWECK, *Die kirchlichen Strafgesetze*, § 158, p. 243, nota 8, Mainz, 1899.

(2) GENNARI in *Monitore ecclesiastico*, t. VIII, p. 271.

quibus clerici et pauperes habent unde vivant, et religionis cultus sustinetur.

II. Quod spectat ad alterum dubium, convenit apud omnes alienationis nomine venire *permutationem* (1); ergo permutatio titulorum cum aliis titulis vel etiam cum immobilibus requirit beneplaciti apostolici reportationem, nisi urgeat necessitas; quando nempe nonnisi cum ingenti damno servari possit hæc solemnitas. Tunc de jure communi adhuc obtineri debet ab Ordinario consensus in alienationem (2).

III. Restat ergo ut per modum conclusionis asseratur alienantes absque beneplacito apostolico census nominales debiti publici aut alios titulos incurrere pœnas a jure statutas contra male alienantes bona ecclesiastica.

Eminentissimi Patres hasce Secretarii conclusiones ratas habuerunt. Responsum enim fuit: *Ad 1um. Affirmative. Ad 2um. Affirmative, excepto casu urgentis necessitatis in quo periculum sit in mora et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem, habito tamen in his adjunctis Ordinarii beneplacito, et sub lege ut permutatio fiat in titulis quam maxime tutis. Ad 3um. Affirmative quoad pœnas in Extravag.* Ambitiosæ... *et Constit.* Apostolicæ Sedis... *statutas* (3).

A. De Meester.

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, nº 949, p. 250.

(2) Decret. IV Congr. Prosynod. 6 Julii 1905, ap. *Collat. Brug.*, X, 417.

(3) Merito mentio non fit in responso de pœnis a Conc. Trid. Sess. XXII, c. 11, de ref. statutis, cum his pœnis non bonorum ecclesiasticorum alienantes sed cujusque ecclesiæ aut pii loci bonorum injusti occupatores puniantur.

Decretum Innocentii XI circa Probabilismum.

Anno 1902 ex actis originalibus Congr. S. Officii communicatum fuit exemplar authenticum Decreti, quod die 26 Junii 1680 a Suprema Congregatione S. Inquisitionis jussu Ven. Pontificis Innocentii XI circa Probabilismum fuerat editum. Hujus communicationis occasio fuit controversia circa textum authenticum agitata inter duos theologos catholicos: R. P. Mandonnet, O. P., professorem in universitate Friburgensi (Helvetia) (1) et R. P. Brucker, S. J. (2).

Juvat pauca præmittere circa originem hujus decreti (3). Thyrsus Gonzalez S. J. primum per decem annos (1655-1665) scholasticam theologiam Salmanticæ docuit, ibique doctrinam Probabilismi tradidit. Cum vero in variis provinciis Hispaniæ missionarius ministerium apostolicum (1665-1676) exerceret, « quasi manibus ipsis contrectavit, quam perniciosa in quibusdam confessariis daretur laxitas in usu opinionum probabilium et quam sine limitatione uterentur illo principio..... quod nimirum licitum sit sequi opinionem probabilem minus tutam, relicta probabiliori et tutiore (4) ». Itaque conscripsit (1670-1673) librum, cui titulus: *Fundamentum Theologiæ moralis,* in quo propugnabat Probabiliorismum; at Præpositus generalis S. J., qui tunc temporis erat P. Oliva, veniam imprimendi recusavit. Evectus postea Gonzalez ad cathedram primariam universitatis Salmanticensis, alium librum conscripsit, sed eum in lucem edere non est permissus.

---

(1) *Revue thomiste,* T. IX (1901) et X (1902); et separatim: *Le décret d'Innocent XI contre le probabilisme,* Paris, 1903.

(2) *Etudes,* T. 86 (1901) et T. 91 (1902).

(3) Cf. Ter Haar, C. SS. R., *Ven. Innocentii Pp. XI de Probabilismo decreti historia et vindiciæ,* Tornaci Casterman, 1904, p. 34 sqq.

(4) *Succincta narratio eorum, quæ P. Thyrsus Gonzalez gessit...* cit. ap. Ter Haar, *op. cit.*, p. 37.

Interea, die 2 Martii 1679, decretum S. Officii promulgatum fuit, quod jussu Innocentii XI damnavit 65 propositiones laxas, inter quas ea est, quæ permittit usum opinionis *tenuiter probabilis* (Prop. 3). Hac opportunitate usus Gonzalez ad Innocentium prolixam misit scriptionem, qua opinionem benigniorem impugnabat, votumque enixe exposuit, ut Sanctitas Sua bulla aut brevi quodam professores Theologiæ ad defendendum Probabiliorismum exhortaretur. Additis litteris die 7 Aprilis 1680 enarrabat præterea se librum scripsisse adversus *minus probabilem,* sibi autem licentiam imprimendi fuisse denegatam, postquam revisores declarassent: Non expedire ut imprimeretur (1).

Lubenti animo hasce scriptiones accepit Pontifex, brevique postea, 26 Junii 1680, prodiit decretum S. Officii, quod nuper communicatum est.

Decreti Textus (2).

Suprema Congregazione del S. Uffizio. Cancellaria.

—

Oggetto:
Communicazione ufficiale del Decreto del S. Uffizio sul Probabilismo.

—

Roma, li 19 Aprile 1902.

Deferita a questa Suprema Congregazione una istanza... per avere communicazione ufficiale del vero testo del Decreto del S. Uffizio sul Probabilismo, di-

Ex Cancellaria Supremæ Congregationis S. Officii.

—

Materia:
Publica Decreti S. Officii de Probabilismo communicatio.

—

Romæ, 19 Aprilis 1902.

Quum ad hanc Supremam Congregationem preces delatæ sint, ut publice communicetur textus Decreti S. Officii de Probabilismo, Patri Thyrso Gon-

(1) Hæc inveniuntur in *memoriali historico,* quod refert quæ continebantur libello supplici a Gonzalez ad Innocentium transmisso. Vide textum apud *Anal. eccles.,* 1902, p. 357 ss.

(2) Cf. *Anal. eccl.,* 1902, p. 237; Ter Haar, *op. cit.,* p. 24.

retto al P. Thirso Gonzalez S. J., il sottoscritto Assessore... si onora di trasmettere qui inchiusa copia autentica di detto decreto, con espressa dichiarazione che questo è *l'unico vero testo,* che per conseguenza tutti gli altri, in qualunque modo e tempo, publicati, debbono considerarsi come apocrifi, e che se qualcuno di questi ultimi rechi per avventura segni, anche non dubbi, di autenticità, deve ritenersi esser ciò avvenuto per mero equivoco...

GIAMBATTISTA LUGARI,
Assessore del S. O.

zalez S. J. dati, infrascriptus Assessor... hisce litteris authenticum ejusdem Decreti apographon adjungit, expresse declarans, hunc esse *unicum textum verum,* atque ideo omnes alios, qui quomodocumque et quo demum cunque tempore publicati fuerint, pro apocryphis habendos esse. Et si quæ forsitan unus ex illis signa etiam indubia authentiæ præ se ferat, hoc mero errore accidisse existimandum est....

JOANN. B. LUGARI,
S. Officii Assessor.

Feria 4ª, die 26 Junii 1680.

Facta relatione per Patrem Lauream contentorum in literis Patris Thirsi Gonzalez Soc. Jesu SSmo D. N. directis, Eminentissimi DD. dixerunt, quod scribatur per Secretarium Statûs Nuntio Apostolico Hispaniarum, ut significet dicto Patri Thirso, quod Sanctitas Sua benigne acceptis, ac non sine laude perlectis ejus literis, mandavit, ut ipse libere et intrepide prædicet, doceat, et calamo defendat opinionem magis probabilem, necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et judicata, licitum sit sequi minus probabilem, eumque certum faciat, quod quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit gratum erit Sanctitati Suæ.

Injungatur Patri Generali Societatis Jesu de ordine Sanctitatis Suæ, ut non modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione magis probabili et impugnare sententiam asserentium, quod in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et judicata, licitum sit sequi minus probabilem; verum etiam *scribat* omnibus Uni-

versitatibus Societatis, mentem Sanctitatis Suæ esse, ut quilibet, prout sibi libuerit, libere scribat pro opinione magis probabili et impugnet contrariam prædictam; eisque jubeat ut mandato Sanctitatis Suæ omnino se submittant.

Die 8 Julii 1680. Renunciato prædicto ordine Sanctitatis Suæ Patri Generali Societatis Jesu per Assessorem, respondit, se in omnibus quanto citius pariturum, licet nec per ipsum, nec per suos Præcessores fuerit unquam interdictum scribere pro opinione magis probabili, eamque docere.

Testor ego, infrascriptus S. Officii Notarius, suprascriptum exemplar Decreti, editi feria IV die 26 Junii 1680, fuisse depromptum ex actis originalibus ejusdem S. Congregationis, eisque, ut constat ex collatione de verbo ad verbum facta, ad amussim concordare.

Datum Romæ ex ædibus S. O., die 21 Aprilis 1962.

CAN. MANCINI,
S. R. et U. I. Not.

Communicatio hujus textus causa fuit cur controversia recruduerit inter Probabilistas et Æquiprobabilistas. Unde utile duximus quædam notare circa *naturam* et *sensum* decreti Innocentiani.

Natura decreti. Legenti patet agi de decreto *particulari,* cujus altera pars ad solum Thyrsum Gonzalez dirigitur, altera jubet mandatum ad solum Præpositum generalem S. J. deferre et mediante eo ad professores Scholarum ipsi subditos. Præterea decretum non est doctrinale, sed *disciplinare:* non doctrinale, cum nullam contineat doctrinæ cujusvis definitionem aut declarationem, sed sola asseratur libertas docendi. Ex hoc autem quod agatur de libertate *docendi,* eo ipso debet dici approbari implicite vel saltem tolerari doctrina, quæ permittitur doceri (1).

---

(1) Cf. P. LEHMKUHL, *Probabilismus vindicatus,* Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1906, p. 99. — Huic opusculo respondens P. Ter Haar concedit esse decretum particulare, et etiam disciplinare, sed tamen, ait, circa *doctrinam* probabilismi. *Æquiprobabilisme en gematigd Probabilisme*... 1906, p. 74.

Sic intellexit decretum S. Alphonsus. Cum enim illud ei objiceret Patuzzi, acerrimus ejus adversarius, respondit juxta *Vindic. Alphons.* (p. 59): « Si autem S. Pontifex jussit Jesuitas non amplius scribere pro sententia minus probabili (1), id injunctum est solis Jesuitis, idque forte propter rationes quas tum temporis S. Pontifex habuit particulares » (2).

Hoc decretum prodiit a Sancta Sede, via ordinaria, np. in casu via Congregationis supremæ Inquisitionis: unde traduci non debet tamquam sensus *privatus* Innocentii XI, qua Doctoris, non qua Pontificis supremi (3), nec ex alia parte tamquam *solemnis* actus S. Sedis (4).

Si stricte loqui velimus, istud documentum non est dicendum *decretum,* cujus proinde textus integer esset solemni forma promulgandus et divulgandus, sed potius *Protocollum*, ut aiunt, duarum particularium S. Officii de Probabilismo decisionum aut jussionum, quas Innocentius XI confirmavit et executioni mandari jussit, quæ non erant publice divulgandæ sed cum individuis personis, ad quas spectabant, communicandæ. Textus

---

(1) Hoc non jussit Pontifex juxta textum authenticum supra positum. At tempore S. Alphonsi habebatur tamquam authenticus, textus varians in quo mandatum Præposito generali S. J. deferendum sic sonat: « Injungatur Patri Generali Societatis Jesu de ordine Sanctitatis Suæ, *ne ullo modo permittat Patribus Societatis scribere pro opinione minus probabili* et impugnare sententiam asserentium licitum non esse sequi opinionem minus probabilem in concursu magis probabilis, sic cognitæ et judicatæ... » Quod sane mirum est, hic textus semel atque iterum a duobus notariis S. Officii declaratus fuit authenticus (25 Sept. 1736 et 20 Julii 1754). Hunc quoque textum objiciebat Patri Brucker P. Mandonnet, apud quem videre potes triplicem textum: *Revue thomiste,* T. IX (1901), p. 524.

(2) Lehmkuhl, *l. cit.* Cf. Ter Haar, *op. cit.* de decreto Innoc. XI, p. 114, nota 1.

(3) Ab hoc errore non est plene immunis Pater Arendt, S. J., dum dicit: « Favor ille quem rigidiori parti Innocentius ostendebat, *privatus* ipsius quidem potuit esse sensus ». *Anal. eccl.*, T. X (1902), p. 310, coll. p. 353. Cf. tamen p. 309.

(4) Ita P. Ter Haar, *op. cit.*, p. 124. Verius p. 116 loquitur de magisterio *ordinario* Ecclesiæ.

illius Protocolli prima vice anno 1693 typis impressus est (1).

Sensus decreti. Negari nequit hoc favisse probabiliorismo: sufficit legere textum (2). Sed quæstio est: *cuinam* probabiliorismo? Duplex enim Probabiliorismus distingui potest: alter, qui nunc solet vocari simpliciter Probabiliorismus, docet requiri, ut quis licite sequatur sententiam benignam, quod hæc sit probabilior; alter, qui nunc vocari solet Æquiprobabilismus, habet hanc thesim probabilioristicam: np. agens tenetur sequi opinionem rigidam (faventem legi), quando hæc ipsi apparet probabilior. Prior est rigidior, tutioristicus, posterior mitigatus, benignus. Hæc distinctio certò existebat tempore S. Alphonsi, et sic explicatur quomodo potuerit dicere S. Doctor: « Non sum rigorista, neque probabilista, sed *verus probabiliorista* » (*Lettere,* III, n. 315); quod et ipse explicat in alia epistola (*Lett.* III, n. 217): « Quando sententia pro lege est *certò probabilior,* dico quod non liceat sequi minus probabilem; *unde* [adverte illationem] ego sum *verus probabiliorista*, non tutiorista... »

Jamvero cuinam probabiliorismo voluit favorem ostendere Innocentius XI? Si spectentur *sola verba* decreti, fatendum est illud explicari posse sensu æquiprobabilistico: Th. Gonzalez libere defendat opinionem magis probabilem (pro lege), necnon viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod in concursu minus probabilis (et minus tutæ) opinionis cum probabiliori (pro lege) sic cognita et judicata, licitum sit sequi minus probabilem. Similiter in altera parte decreti. Sed si ponatur, ut omnino debet, decretum *in suo medio historico,* ut aiunt, negari nequit illud favisse Probabiliorismo rigido.

---

(1) Cf. Ter Haar, *op. cit.*, p. 40, nota 3; Cathrein, S. J., *Linzer Quartalschrift*, 1905, p. 551 et 555.

(2) Ne dicatur decretum *permissivum* tantum, ut ait P. Arendt, *l. cit.*, p. 313.

Decretum datum est post et propter litteras ad Innocentium XI a P. Thyrso Gonzalez directas. Sufficit legere textum : « *Facta relatione... contentorum in literis Patris Thirsi Gonzalez* Soc. Jesu SS^mo D. N. directis, Eminentissimi DD. dixerunt »..., significari debet « dicto Patri Thirso, quod Sanctitas Sua *benigne acceptis, ac non sine laude perlectis ejus literis*, mandavit »...

Jamvero quid exposuit Gonzalez in suis litteris ? Audi *Memoriale historicum* super ea quæ in supplici continebantur libello ad Innocentium transmisso, qui decreto 26 Junii 1680 occasionem dedit (1). En titulus : « Opusculum directum ad Innocentium Pm. XI a P. Gonzalez Th., in quo ostenditur expedire, ut Romanus Pontifex bullam vel breve expediat, quo hortetur professores Theologiæ, ut in scholis legant et in libris edendis doceant : *nemini licitum esse sequi sententiam minus tutam, nisi apud ipsum post diligentem veritatis inquisitionem sensibiliter et clare præponderent fundamenta illius fundamentis sententiæ contrariæ* ». Habes igitur thesim capitalem probabiliorismi rigidi. In animadversionibus quæ sequuntur, loquitur de altera thesi probabilioristica, quæ propria est æquiprobabilismi : *non licet sequi opinionem minus probabilem et minus tutam in concursu probabilioris et tutioris*. Circa hanc supplicat ut S.S. dignetur saltem *hortari* professores theologiæ « ad docendum licitum non esse sequi opinionem minus tutam quando absolute et simpliciter est minus probabilis quam sit opinio tutior » (2). Duplex igitur thesis probabilioristica continetur in libello supplici.

Nunc in responso S. Officii, jussu Innocentii XI dato, duplex istud objectum attingitur, tum in priori parte quæ respicit ipsum Gonzalez, tum in posteriori quæ pertinet ad Præpositum generalem S. J. Sumamus

(1) Scite advertit P. Arendt, *Anal. eccl.*, 1902, p. 357, istud *memoriale*, etsi totum non sit Thyrsi authographum, esse tamen ipsius manu in margine adnotatum adeoque ab eo fuisse approbatum.

(2) Vide textum apud Arendt, *l. cit.*

priorem partem. Hic est sensus: « Sanctitas Sua approbat litteras tuas et mandat ut libere et intrepide defendas *opinionem magis probabilem* », id est Probabiliorismum, et quidem, cum nulla addatur explicatio aut restrictio (1), qualem exposuerat Gonzalez in libello supplici: « *Quidquid favore opinionis magis probabilis egerit et scripserit gratum erit Sanctitati Suæ* ». At non tantum defendat opinionem magis probabilem, sed etiam « viriliter impugnet sententiam eorum, qui asserunt, quod *in concursu minus probabilis opinionis cum probabiliori sic cognita et judicata, licitum sit sequi minus probabilem* ». Hic attingitur altera thesis probabilioristica. Sic apparet convenientia adæquata inter rescriptum et libellum supplicem, et perfecte intelligitur decretum, quin ulla vis sit facienda verbis.

Præterea modo explicato intellexerunt Decretum duo viri, qui sane potuerunt, si qui umquam, recte illud intelligere, Innocentius XI et Gonzalez. Quod clare elucet ex factis historicis quæ Decretum S. Officii secuta sunt. Sufficiat hæc breviter notare: Innocentius

---

(1) Dicit P. Ter Haar, *op. cit.*, p. 41: « Sedulo monendus est Lector, Decretum, de quo agitur, neque unica syllaba opinionis *æque aut fere æque probabilis (dubie seu paulo minus probabilis)* mentionem facere, at solum intendere, ut opinio *certo minus probabilis* seu *minus probabilis cognita et judicata* impugnetur ». Sed præcise *quia* neque unica syllaba opinionis *æque probabilis*-mentio fit, decretum non est intelligendum quasi favisset æquiprobabilismo. Gonzalez petit favorem pro *opinione magis probabili*, hoc est, ut ipse explicat, pro Probabiliorismo rigido; si Innocentius XI voluisset restringere suum favorem ad æquiprobabilismum, debuisset restrictionem indicare et non potuisset simpliciter dicere: libere defendas opinionem magis probabilem. Neque hoc rectum est: « intendit solum ut opinio certo minus probabilis impugnetur ». Quomodo Innocentius dici potest intendere unum, quando expresse enuntiat duo: *defendat* opinionem magis probabilem et *impugnet* minus probabilem? — Pergit P. Ter Haar: « Probe notanda est convenientia vocum, quibus Decretum utitur, cum iis quibus Honoratus Fabri Probabilismi sententiam describit ». Transeat illa convenientia; transeat quoque quod « Romæ probe cognita erat illa Fabri opinio ». Sed Decretum est rescriptum ad libellum supplicem Patris Gonzalez, non Honorati Fabri vel alius cujuspiam, et perfecte convenit cum isto libello, ut ostendimus.

statim urget editionem libri, in quo Gonzalez propugnat Probabiliorismum rigidum (1); significat sibi esse in votis, ut Gonzalez in Præpositum generalem S. J. eligatur, « sperans fore ut factus Generalis cohiberet nimiam licentiam opinandi, de qua accusabatur Societas; *ut aperiret januam doctrinæ securiori antiprobabilistarum, in quam inclinabatur magis Sedes Apostolica* » (2); jubet Patrem Gonzalez, electum in Præpositum generalem, constituere in Collegio Romano eximium theologiæ professorem, « qui in illo *publice doceret sententiam severiorem, quam ego* [Gonzalez] *tuebar et in quam magis inclinabat S. Sedes* et quam quotidie magis propagari vehementer optabat »... (3). Porro Gonzalez constituit professorem patrem Josephum de Alfaro, probabilioristam rigidum. Denique anno 1694 inchoante, jussu Innocentii XII, cui exhibitum fuerat decretum S. Officii 26 Junii 1680, oblivioni datum et anno 1693 casu repertum in tabulario S. Officii, in lucem prodiit liber Gonzalezii, de quo supra monuimus. Ita autem inscribitur: *Fundamentum theologiæ moralis,* id est tractatus theologicus de recto usu opinionum probabilium, in quo ostenditur, *ut quis licite possit sequi opinionem probabilem faventem libertati* adversus legem, *omnino necessarium esse et sufficere,* quod post diligentem veritatis inquisitionem, ex sincero desiderio non offendendi Deum susceptam, *opinio illa ipsi appareat, attenta ratione et authoritate, vel unice verisimilis, vel manifeste verisimilior quam opposita stans pro lege adversus libertatem, ac idcirco ab ipso judicetur vera* judicio absoluto, firmo et non fluctuante. Authore P. Thyrso Gonzalez, Theologiæ

(1) Cf. Ter Haar, *op. cit.*, p. 51.

(2) Ter Haar, *l. cit.* Ibi dicit doctrinam antiprobabilistarum esse eam quæ minusprobabilismo opponitur (sic vocat Probabilismum : implicem); hoc non est accuratum: Gonzalez, qui erat probabiliorista rigidus, se ponit inter antiprobabilistas, v. g. *Succincta narratio* etc.

(3) *Ibid.*, p. 53. Nota hic clare dici « doctrinam antiprobabilistarum, in quam inclinabatur magis Sedes Apostolica » esse probabiliorismum severiorem, quem ipse Gonzalez tuebatur.

Professore Salmanticensi, nunc Præposito Generali Societatis Jesu (1). Hac sua thesi præcipua se prodit Probabilioristam rigidum; impetus suos deinde in eodem libro dirigit in sententiam eorum qui asserunt licitum esse sequi opinionem minus probabilem in concursu probabilioris. Unde Gonzalez facit præcise utrumque ad quod Decretum Innocentii XI ipsum hortabatur: *defendit* magis probabilem et *viriliter impugnat* minus probabilem.

Hæc luculenter ostendunt S. Sedem voluisse favere *probabiliorismo rigido* (2), non autem æquiprobabilismo (3). Sane eo ipso quod simul alteri thesi probabilioristicæ faveat, potest dici aliquo sensu patrocinari æquiprobabilismo, sed Innocentius XI non intendit in suo Decreto hoc systema, sed Probabiliorismum rigidum.

Si mentem aperire liceat, videtur nobis quod systema æquiprobabilismi potius ortum sit, *qua systema bene definitum*, præcipue ex decreto Innocentii XI. Non diffitemur ante istud tempus nonnullos Auctores explicari posse sensu æquiprobabilistico, sed systema hoc nondum erat clare propositum et definitum (4). Post damnatas propositiones laxas ab Alexandro VII (1665-1666) et Innocentio XI (1679), at præsertim post divulgatum (1693) decretum 26 Junii 1680, plures theologi, etiam in Societate Jesu, limitarunt simplicem Probabilismum, et sic delineari et evolvi paulatim cœpit medium systema, quod per Rasslerum præcipue (sæc.

---

(1) Ter Haar, *op. cit.*, p. 69.

(2) Ita tenent P. Cathrein, S. J., *Linzer Quartalschrift*, 1905, p. 543 sqq.; P. Lehmkuhl, S. J. *Probabilismus vindicatus*, 1906, p. 78 sqq. — P. Arendt, S. J., *Anal. eccl.*, 1902, p. 307 ss., p. 353 ss., putat objectum Decreti fuisse usum ipsum principiorum reflexorum, sed immerito, ut videtur.

(3) Ita P. Jansen, C. SS. R., *Revue thomiste*, T. XI (1903), p. 323 ss.; *Geschichte und Kritik im Dienste der « Minus-probabilis »*. Paderborn, Schöningh, 1906, p. 40 sqq.; Ter Haar, C. SS. R, *op. cit.*, P. Wouters, C. SS. R., *De minusprobabilismo*, 1905, p. 30.

(4) Cf. Ter Haar, *De Systemate morali antiquorum probabilistarum*, Tornaci Casterman, 1894, p. 20 sqq.

18° inchoante) et Eusebium Amort (versus medium sæc. 18m) ad Sanctum Alphonsum pervenit (1). Illud systema assumpsit præcise alteram thesim probabilioristicam, de qua Decretum agit. Unde merito respondere potuit S. Alphonsus Patri Patuzzi, opponenti hoc Decretum : « Poteritne igitur quis ex hoc decreto inferre *nostrum* systema damnatum esse? Minime gentium. Neque enim hoc systema sequi *minus probabilem* in concursu *probabilioris* permittit, verum tum solum benigna sententia uti concedit, quum *æque probabilis* ac opposita rigida est... *Itaque hoc Decretum nihil facit contra nos* (2). »

Adverte hæc verba, quæ sane non sunt putantis illud Decretum fuisse datum in favorem æquiprobabilismi : P. Patuzzi opponebat hoc Decretum tamquam favens probabiliorismo suo np. rigido, et tamquam ut tale illo tempore communiter receptum ; S. Alphonsus tacite concedit hanc acceptionem, sed contendit Decretum *non esse contra* suum systema. Ceterum, quomodo explicari potest quod dissertatio anni 1762 adeo animos commoverit, si esset plane conformis doctrinæ in quam aperte inclinata erat S. Sedes in fine sæculi præcedentis (3)?

Paulatim decrescente probabiliorismo rigido, pronum erat viris catholicis retinere ex Decreto isto quod adhuc retineri posset, et quod maneret efficax ad vitandum periculum laxitatis, quod periculum S. Sedes præprimis arcere intenderat.

H. Mahieu.

---

(1) Mirum cuilibet videbitur S. Alphonsum ignorasse ante annum 1755 Systema illud Æquiprobabilismi (Cf. Ter Haar, *Ven. Innoc. Pp. XI* etc., p. 100), cui tam aperte favisset S. Sedes anno 1680.

(2) Ter Haar, *Ven. Innoc. Pp. XI de Probabilismo Decreti hist. et vind.*, p. 41 sq. — Nota S. Alphonsum modestius dicere : *nihil facit contra nos.* Aliud est dicere : Voluit favere S. Sedes soli æquiprobabilismo, imo eliminare Probabilismum.

(3) Cf. P. Berthe, C. SS. R., *Saint Alphonse de Liguori*, Paris, Retaux, 3e éd. 1900, T. II, p. 149 ss.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Juillet. — Conseil et bureau de fabrique. — Jurisprudence en matière de budget.

—

I. Les conseils de fabrique se réuniront en séance obligatoire, le dimanche, 1er Juillet prochain. L'objet principal à l'ordre du jour sera la discussion et le vote du budget (1). Les *Collationes Brugenses* ont précédemment (2) exposé les règles à suivre pour la confection régulière de cet acte de comptabilité. Nous y renvoyons nos lecteurs.

Le budget sera préparé par le bureau des marguilliers, dans sa réunion mensuelle du mois de Juin. Dans celle du mois de Juillet, le trésorier présentera au bureau un bordereau ou un état sommaire de la situation active et passive de la fabrique pendant les trois mois écoulés (3) et le bureau déterminera la somme nécessaire pour les dépenses du trimestre suivant (a. 34 du décret de 1809). Si le trésorier n'a pas dans les mains la somme ainsi fixée, ce qui manquera sera extrait de la caisse, comme aussi ce qu'il se trouverait y avoir d'excédant sera versé dans cette caisse (a. 53) (4).

L'observation des ces règles de comptabilité présente de grands avantages. La *Revue ecclésiastique de Metz* (5) écrit à ce sujet les excellentes observations qui suivent. Le trésorier se trouvera par le fait même obligé de tenir à jour le journal des dépenses et des recettes ; l'assemblée vérifiera si l'état de la caisse correspond au borde-

---

(1) *Collat. Brug.* I, 205, 368 ; X, 177.

(2) I, 309 ss., 368 ss. ; II, 349 ; X, 395 s. ; De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. II, nº 1089 ss., p. 392 ss.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *l. c*, nº 1050 ; *formulaire* nº 9.

(4) Ibid., *formulaire* nº 10, 11.

(5) Décisions du 12e Synode diocésain du 18 et 19 Avril 1906 ap. *Revue ecclésiastique de Metz*, 1906, t. XVII, p. 279 s.

reau présenté ; cette vérification de la caisse, à laquelle le trésorier s'attend régulièrement, le portera à faire plusieurs fois le compte ou la revision de la caisse, opération qui lui révélera parfois des erreurs et des omissions d'inscription, qu'il lui sera plus facile de corriger et de réparer quand elles remontent à une date récente. Ces réunions trimestrielles seront aussi pour le curé l'occasion de faire inscrire au cahier-journal les recettes qu'il pourrait avoir été dans le cas de faire, par exemple les dons qui lui auraient été remis, et d'observer les prescriptions de l'article 26 du décret de 1809 : « Il sera rendu compte à la fin de chaque trimestre par le curé ou desservant, au bureau des marguilliers, des fondations acquittées pendant le cours du trimestre ». Enfin l'observation de ces formalités ne constitue pas seulement une garantie de la régularité de la gestion des trois mois écoulés, elle facilite aussi la confection et la vérification du compte de tout l'exercice. En effet, ces bordereaux dûment signés seront de préférence inscrits sur un registre particulier, tenu en double ; un exemplaire reste entre les mains du trésorier, l'autre est conservé dans l'armoire à trois clefs, pour être représenté lors de la reddition du compte annuel (a. 34).

On voit aussi que ces réunions trimestrielles du bureau sont l'occasion toute trouvée d'arrêter et de faire signer par le président du bureau les mandats de paiements, conformément aux allocations prévues au budget. Les formes requises pour assurer la régularité de ces mandats, ont été énumérées et amplement expliquées dans les tomes précédents des *Collationes* (1).

II. L'examen des décisions administratives prises en matière de budget depuis Mai 1905, établit les points suivants :

1. Sont considérés comme *dépenses obligatoires* les

(1) I, 84 s.; V, 194 ss.

crédits inscrits aux articles 25 (*traitement du suisse*), 26 *(traitement de l'employé préposé au service du chauffage)* et 54 *(équipement du suisse)* des dépenses (1).

2. Un arrêté royal en date du 14 Mars 1906 (2) a maintenu, contre le recours de la fabrique, la suppression par arrêté de la Députation Permanente, d'une somme de 70 fr. inscrite à l'article 11c des dépenses, pour frais du *Jubilé*. Nous considérons cette suppression comme non fondée, puisque l'article 37, 2° du décret de 1809, met à la charge des fabriques le paiement des honoraires des prédicateurs de l'Avent, du Carême et autres solennités, parmi lesquelles viennent sans aucun doute celles du Jubilé (3).

3. La Députation Permanente n'a pas le droit de modifier les allocations relatives à la célébration du culte, inscrites au chap. I des dépenses et arrêtées définitivement par l'Évêque seul. Cependant, de nombreux arrêtés royaux (4) lui ont reconnu cette faculté, en maintenant à l'encontre du recours des fabriques, les réductions apportées à ces articles par la Députation Permanente du Conseil Provincial du Hainaut. La loi du 4 Mars 1870 a réservé ces dépenses à l'approbation exclusive de l'Évêque. La Députation Permanente ne peut ni les réglementer (5), ni les modifier. Tout au plus, a-t-elle le droit de présenter des observations signalant les erreurs et irrégularités qu'elle aurait découvertes; encore, est-ce au Gouverneur à les appré-

---

(1) A. R. 4 Mai 1905, *Moniteur*, 2337; A. R. 21 Mai 1906, *Moniteur*, 3388.

(2) *Moniteur*, 1834 s.

(3) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, t. II, p. 545; *Collat. Brug.* I, 374. note 3; Leroy, *Instructions pratiques sur la comptabilité.... des fabriques d'églises*, p. 40 s. Tournai, 1883. — Ce crédit aurait du être inscrit au n° 39 des dépenses.

(4) par exemple: A. R. 20 Juin, 7 Novembre 1905, *Moniteur*, 3204, 6013; 14 Mars 1906, *Moniteur*, 1834, etc.

(5) Voir l'*Instruction de la Députation Permanente du Conseil Provincial du Hainaut sur la comptabilité des fabriques d'églises*, 17 Février 1883 dans Leroy, *o. c.*, p. XII de l'appendice.

cier et à prendre son recours auprès du Roi, si l'Évêque avait mentionné au chap. I, des objets qui n'y devaient point figurer ou s'il y avait exagération évidente dans le prix des objets nécessaires à la célébration du culte (1). Or, cela ne se vérifie point dans les cas visés (2).

4. On sait que l'administration supérieure considére *l'indemnité de binage* comme une dépense facultative des fabriques, dans laquelle les communes ne sont point tenues d'intervenir (3). Conséquemment, elle en décide de même pour *la taxe de binage* ou frais de chancellerie que les fabriques ont à payer pour l'obtention de la faculté de biner déléguée par l'ordinaire en vertu de ses pouvoirs spéciaux.

Voici, à titre d'exemple, des extraits d'un arrêté royal, en date du 31 Août 1905 (4).

« Vu l'arrêté en date du 9 Juin, par lequel la Députa-
» tion Permanente du Conseil Provincial du Hainaut a
» supprimé le crédit de 2 fr. à l'article 6b (*taxe de binage*)
» des dépenses du budget pour l'exercice 1905 de la
» Fabrique de l'église de X ;

» Considérant, relativement à l'article 6b des dé-
» penses, que le crédit de 2 fr. est destiné *aux frais*
» *d'impression à faire par l'ordinaire;* que ces frais
» rentrent dans la catégorie des dépenses dans les-
» quelles les communes ne sont point tenues d'inter-
» venir ; que le Conseil Communal de X s'est prononcé

---

(1) Leroy, *o. c.*, p. 42 ss.

(2) Ainsi l'a. r. du 7 Nov. 1905 rejette le recours du conseil de fabrique contre un arrêté de la Députation Permanente, en tant qu'il a réduit à 62 fr., 142 fr. 48 c., 130 fr., 50 fr., 130 fr., les sommes de 71 fr. 29 c., 155 fr. 20 c., 140 fr., 57 fr., 148 fr., inscrites aux articles 1 *(pain d'autel)*, 2 *(vin)*, 3 (*cire, encens et chandelles)*, 7 *(entretien des ornements et vases sacrés)*, 12 *(achat d'ornements et de vases sacrés ordinaires)* des dépenses du budget.

(3) *Collat. Brug.*, II, 593; VIII, 211; X, 397; Prompsault, *Dictionnaire de droit et de jurisprudence, en matière civile-ecclésiastique,* V° *binage.*

(4) Cet arrêté royal nous a été gracieusement communiqué par un curé du diocèse de Tournai, dont nous avons du reste utilisé les judicieuses observations. — Voir, tout dernièrement, 2 A. R. du 10 Mai 1906, Moniteur 3338.

» contre l'intervention de la Commune dans les frais du » culte; que dès lors la décision de la Députation » Permanente doit être maintenue;

» Sur la proposition de notre ministre de la Justice,

» Nous avons arrêté et arrêtons:

» L'arrêté de la Députation Permanente est maintenu » quant à l'art. 6b des dépenses du budget.... ».

Nous considérons cette taxe de binage établie par l'Évêque, comme une dépense obligatoire des fabriques.

Lorsque l'Évêque juge qu'il existe des motifs graves pour permettre le binage dans une église, c'est évidemment à la fabrique qu'incombe les charges de cette faculté, concédée en vue de l'exercice du culte dans une paroisse; tout comme elle doit supporter les frais de la visite épiscopale ou décanale, les frais d'authentication de reliques etc.

Ces frais de chancellerie, que personne sans doute ne taxera d'exagérés — vu surtout le taux peu élevé du traitement des Secrétaires d'Évêché — sont tous aussi obligatoires que le casuel qui reviendrait aux ministres du culte pour l'exonération de services religieux à charge des fabriques. On voit conséquemment, qu'en dehors du paiement de toute indemnité de binage, cette taxe devrait encore figurer en dépense au budget, et combien l'administration se trompe mesquinement en voyant dans cette allocation les frais d'impression à faire par l'Ordinaire, le prix du papier employé par l'Évêque. Cela prouve de la part de certains fonctionnaires du ministère de la Justice une ignorance peu excusable du droit canonique et du droit civil ecclésiastique. Du reste, à admettre que telle est la destination de ce crédit, la Députation Permanente et l'administration centrale manquent de logique en ne le rayant pas toujours des budgets de fabrique, mais en le maintenant ou en le supprimant, d'après que la fabrique d'église a ou n'a pas de ressources suffisantes pour équilibrer son budget.

Anciennement cette taxe de binage figurait au n° 42 *(remises à l'évêché)* du budget (1). Monseigneur l'Évêque de Tournai, en vue d'éviter toute difficulté avec l'autorité civile ordonna de l'inscrire au ch. I des dépenses, sous le n° 6 (2), se prévalant sans doute du rapport étroit de ces taxes avec la célébration du culte dans une paroisse. La Députation Permanente avertit dans la suite les curés qu'ils avaient a inscrire cette somme à l'art. 50 des dépenses. — Nous croyons que cette administration n'a rien a décider en cette matière, qu'elle n'a pas le droit de déterminer d'autorité la nature d'une allocation non libellée au budget, que l'Évêque ayant à bon droit fait inscrire cette taxe au chap. I des dépenses, elle pouvait seulement provoquer de la part du Gouverneur un recours au Roi, qui statuerait par arrêté royal. Au point de vue du droit civil-ecclésiastique, en matière de comptabilité fabricienne, spécialement en matière de budget, l'Évêque est une autorité supérieure à celle de la Députation Permanente.

A. De Meester.

---

(1) « Quant aux remises à l'évêché, dit Leroy, *o. c.*, p. 81, elles consistent tout au plus dans le paiement de certaines taxes de binage par exemple, qui ont été de tout temps à la charge des fabriques ».

(2) Mémorial de la réunion des doyens en 1901 ap. *Collationes Tornacenses*, 1901, *Acta et Docum.*, n° XVII, p. 270.

E libris et periodicis

De systemate morali.

Ter Haar, c. ss. r. *Das Decret des Papstes Innocenz' XI über den Probabilismus,* Paderborn, Schöningh, 1904. In-8°, XII, 204 p. Pr. 2.80 M. — **Id.** *Ven. Innocentii PP. XI de probabilismo Decreti historia et vindiciæ.* Tornaci, Casterman, 1904. In-8, VIII-165 p. Pr. 2,50 fr. — **Wouters,** c. ss. r. *De minusprobabilismo seu de usu opinionis quam quis solide sed minus probabilem esse judicet.* Parisiis, Lethielleux, 1905. In-8, 129 p. Pr. 2,50. — **Lehmkuhl**, s. j. *Probabilismus vindicatus.* Friburgi Brisgoviæ, 1906. In-8, VIII - 126 p. Pr. 2,25 fr.

Opuscula minora: **Ter Haar**, *Probabilisme of Æquiprobabilisme? Antwoord op « eenige moraal-theologische kantteekeningen » van den Zeereerw. P. W. Cramer, S. J.,* 1904. In-8, 46 p. — **Id**. *Het æquiprobabilisme gehandhaafd tegen zijne nieuwste bestrijders,* 1905. In-8, 36 p. — **Id.** *Æquiprobabilisme en gematigd Probabilisme volgens de leer van den H. Alfonsus,* 1906. In-8, 77 p. Tria hæc opuscula sunt edita apud Alberts, Galopiæ (Gulpen), et Waanders, in Zwolle. — **P. Smit,** s. j. *Gematigd probabilisme. Antwoord aan den Zeereerw. Pater F. Ter Haar,* c. ss. r. Leiden, Théonville, 1905. In-8, 84 p. — Fr. **Valentinus Van der Stok**, o. f. m. *Het nieuw Æquiprobabilisme weerlegd volgens de leer des H. Alphonsus.* Cuyk a./d. Maas, Jos. Van Lindert, 1905. In-8, 34 p. — D. A. W. H. **Sloet,** Pr. *Æquiprobabilisme en logica.* Zwolle, Waanders. In-8, 22 p.

Ultimis hisce annis Ecclesiam catholicam heterodoxi novo atque ardentiore studio arguerunt laxitatis in re morali, præcipue ob doctrinam probabilismi: ita in Germania, post veteres catholicos Döllinger-Reusch, Professores Harnack (1), et Herrmann (2), quibus accessit apostata P. de Hoensbroech (3). Ut horum præcipue criminationes averteret, conscripsit R. P. Ter Haar germanice opus supra citatum.

---

(1) *Lehrbuch der Dogmengeschichte,* 1890.
(2) *Römische und Evangelische Sittlichkeit,* 1903.
(3) *Die Ultramontane Moral,* 1902.

Omissis nunc infestationibus et calumniis inimicorum Ecclesiæ, paululum immoremur in examinando hostilitates domesticas.

Inde a sæculo XVI inter theologos movetur quæstio de *systemate morali* seu de ratione solvendi dubium practicum. Ab eo tempore in scholis catholicis satis communiter admissus est tamquam legitimus usus principiorum reflexorum, quorum ope ad certitudinem practicam indirecte deveniri potest; at consensus in systema speciale adhuc nunc desideratur (1). Jam quidem vix defenditur hodie Probabiliorismus stricte dictus (non licet sequi opinionem minus tutam seu faventem libertati, nisi sit manifeste probabilior); sed controversia agitatur, et quidem acriter, de Æquiprobabilismo et simplici Probabilismo.

Hujus certaminis quasi triplex phasis indicari potest. Incœpta est controversia occasione dissertationis P. Ballerinii, S. J., *De morali systemate S. Alphonsi Mariæ de Ligorio* habitæ in Collegio Romano anno 1863. Huc pertinent præsertim *Vindiciæ Alphonsianæ* (1873) et *Vindiciæ Ballerinianæ* (1873). — Publicatis a. 1887-1894 *epistolis S. Alphonsi*, controversia aliquatenus sopita æstu majori recruduit (2). In duplici illo stadio disquisitio fuit præprimis historico-critica de genuino systemate morali S. Alphonsi. Si quid dicere liceat, fatendum est, post editas S. Doctoris epistolas, negari non posse eum saltem ab anno 1762 fuisse æquiprobabilistam et rejecisse communem probabilismum. — Dum plures silerent, etiam post tentamen conciliationis anno 1901 propositum a P. De Caigny (3), novum ardorem addidit nonnullis theologis Congreg. SS. Red. *decretum S. Officii* 26 Junii 1680, denuo publicatum anno 1902 (4).

In hac tertia phasi, disputatio initium sumpsit a Decreto Innocentii XI; inde facile factus est transitus seu reditus ad objectum prioris controversiæ: quale np. docuerit systema morale S. Alphonsus (quæstio facti), et deinde quale systema

---

(1) Cf. Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, ed. 2ª (1890), n. 300 sqq.; ed. 3ª (1903), n. 306 sqq.

(2) Cf. Collat. Brug., T. VIII, p. 29, Nota historica.

(3) Cf. Collat. Brug., T. VII, p. 409 sqq., coll. T. VIII, p. 30.

(4) Cf. *supra*, p. 382 sqq.

sit tenendum (quæstio juris). Claritatis gratia, de triplici seorsim puncto quædam notabimus, sub respectu bibliographico.

I. **De Decreto Innocentiano.**

Hæc quæstio est historico-critica, et proinde tractanda est methodo historico-critica. Ibi eo vel magis sensus criticus, ut aiunt, adhibendus erat quod integra historia Decreti sit maxime intricata ardenti partium studio, hinc Gonzalez ejusque asseclis, inde Oliva cum suis et postea assistentibus Gonzalezii Generalis facti, apud S. Sedem agentibus. Nunc vero hæc quæstio vix ab aliquo ex recentioribus methodo historico-critica fuit tractata; contrà quasi omnes polemice et apologetice rem *solvere* præsumunt. Est ceteroquin vitium generale in tota controversia de systemate morali S. Alphonsi: plurimi enim olim et nunc sine ulla præparatione critica accedunt fidenter ad quæstionem criticam tractandam, eamque, inconscii primarum etiam regularum critices, dijudicare non dubitant. Exemplum præclarum est hæc controversia de Decreto Innocentiano.

Ex una parte stant defensores æquiprobabilismi, PP. Jansen, Ter Haar, Wouters, C. SS. R.: decretum explicant tamquam favens soli æquiprobabilismo. Hæc autem thesis est historice falsa, ut nobis clare apparuit, dum legeremus illos Auctores, qui eam vindicare omni modo nituntur. Sane inter disquisitiones de hoc Decreto eminet dissertatio P. Ter Haar, cum ex professo exponat historiam eorum quæ præcesserunt et secuta sunt Decretum. At nimis propensum se ostendit erga Gonzalez ejusque asseclas atque adeo nimia fiducia accipit documenta ex illa parte oriunda. Deinde debuisset ponere Decretum in medio historico, ejusque tenorem explicare, non abstrahendo ab adjunctis historicis neque convenientiam ostendendo cum illis quæ docebant Probabilistæ plus minusve noti, sed tamquam rescriptum ad libellum supplicem Patris Gonzalez. Ceterum ejus sodales, PP. Jansen et Wouters, eodem defectu laborant. Sic, ut putamus, critici non sine stupore audient enuntiatum et applicatum in hac materia principium sequens: « Il est vrai que le décret d'Innocent XI est adressé en premier lieu au P. Gonzalez, probabilioriste dans le sens historique de ce mot. *Mais cette circonstance ne peut rien changer au sens d'un*

document pontifical, lorsque les expressions elles-mêmes y contenues marquent exactement le point de doctrine, que le Souverain Pontife... a eu en vue » (1). — Hi quoque peccarunt in regulas sanæ interpretationis, explicando verba Decreti per doctrinam S. Alphonsi scribentis fere integro sæculo postea : quid enim probat ejusmodi convenientia verbalis? Si velint huc introducere S. Alphonsum, adducendus est tamquam testis traditionis suo tempore vigentis circa sensum Decreti. Jamvero testatur adversus opinionem suorum, uti diximus supra.

Ex parte adversa stant plures probabilistæ : et hi immunes non sunt ab eodem defectu. Polemice enim plerique agitant quæstionem, non satis historice et objective. Inter quos magis placuit P. Lehmkuhl, qui satis moderate, attamen non semper satis critice, hanc materiam pertractat (2) ; minus vero P. Arendt, qui nunc, sicut et olim, procedit polemice et acriter nimis (3). Hujusmodi quæstiones non dirimuntur objurgando, irridendo et incriminando, sed objectiva et critica disquisitione.

II. **De systemate S. Alphonsi.**

Quum maxima sit Sancti Doctoris in re morali auctoritas, mirum non est et Probabilistas et Æquiprobabilistas omni conatu ad se trahere Sanctum Alphonsum ; cumque S. Doctor mutaverit suum systema, non est difficile in variis ejus operibus pro vario systemate invenire fulcimentum. In hac quæstione, iterum historico-critica, fatendum est non semper critice egisse plures probabilistas. Sic quando dicit S. Alph. : « *Me retractavi* et declaravi me probabilioristam (*Corresp. gen.*, n. 818) et : « Non sum rigorista, neque probabilista, sed *verus probabiliorista* » (*Lettere,* III, n. 315), cur non admittitur eum se retractasse, id est ex probabilista factum esse probabilioristam ? Ipse explicat in quo consistat mutatio : *Non sum probabilista,* hoc significat : « Sententiam rejicio, quod opinionem *minus probabilem cognitam* sequi liceat, ut Busembaum,

---

(1) P. Jansen, *Revue thomiste,* T. XI (1903), p. 324. Cf. Wouters, *op. cit.*, p. 31.

(2) *Op. cit.*, p. 81 sqq.

(3) *Anal. eccl.*, 1902, p. 307 sqq., p. 353 sqq. — Ipse ponit in titulo : Dissertatio *theologica.*

La Croix atque omnes fere Jesuitæ dicunt, qui admittunt minus probabilem » Epist. 30 Junii 1768. Sum *verus probabiliorista,* id est, non rigorista, sed: « Quum *cognosco* rigidam opinionem *probabiliorem* esse, dico ipsam sequi oportere; atque in eo Jesuitarum systemati adversarius sum... Quum porro rigida sententia *certo mihi probabilior* est, hanc sequi debeo » Nov. 1768 (1). Aliis verbis, S. Alphonsus se declarat *æquiprobabilistam*: nostrum enim systema, ait, non permittit sequi *minus probabilem* in concursu *probabilioris*, verum tunc solum benigna sententia uti concedit, quum *æque probabilis* est ac opposita rigida (2).

Itaque in aperto est S. Alphonsum seniorem docuisse æquiprobabilismum, uti videtur, jam ab anno 1762. Antea, postquam valedixisset probabiliorismo rigido, communem probabilismum propugnaverat. Unde sententia genuina et definitiva S. Alphonsi non est quærenda in scriptis anno 1762 anterioribus, uti nonnulli probabilistæ fecerunt et faciunt. Sic ab hoc errore non est immunis P. Lehmkuhl in opusculo citato.

Sæpe S. Alphonsus contra Probabilistas acriter locutus est et probabilismum traduxit tamquam verum laxismum. At illæ locutiones non sunt absque discretione applicandæ hodierno Probabilismo ejusque fautoribus omnibus, ut faciunt PP. Ter Haar et Wouters (3).

S. Alphonsus, ut vidimus, ab anno 1762 docuit æquiprobabilismum. Hoc factum est omnino patens. At non ideo clare delineari potest integrum ejus systema: sic manet quædam obscuritas circa excessum probabilitatis quem requirit ut teneamur sequi partem tutiorem. Quoad hoc punctum videtur hæsitasse S. Doctor: nunc loquitur de certo *ac* notabiliter probabiliori, tunc de certo probabiliori; interdum dicit sufficere excessum *unius* gradus, sæpius verò affirmat parum pro nihilo reputari.

Manet quoque obscuritas circa hanc quæstionem: utrum

---

(1) Cf. Ter Haar, *op. cit.*, p. 43.

(2) *La legge incerta,* n. 19, cit. ap. Ter Haar, *op. cit.*, p. 42.

(3) Ita P. Ter Haar, *op, cit.*, p. 135: « S. Alphonsus pariter dicit — id quod ignorare videntur egregii nostri Probabilistæ — etiam Probabilismum « multorum animarum jacturæ causam esse ».

sententia probabilior pro lege obliget *directe*, id est, quia habetur ut moraliter certa, certitudine morali latissime dicta; an vero *vi alicujus principii reflexi*. Primum sæpius asserere videtur S. Alphonsus; alterum autem videtur etiam contineri in ultimis ejus scriptis, dum a Probabilioristis sumpsit principium: « Ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quæ *propius ad veritatem accedit*, qualis est opinio *probabilior* » (1).

Circa hæc duo præsertim puncta disputant Auctores catholici, ut nunc dicemus.

III. De ratione intrinseca æquiprobabilistarum.

Cum Probabilioristis admittunt hanc primariam regulam: *In obscuris pars certo verisimilior pro lege sequenda est*. Si vero propter moralem oppositarum opinionum *æquiprobabilitatem* in *dubio stricto* de officio jureve permaneas licebit, contra Probabilioristas, libertatem exsequi, si de sola legis *existentia* dubium habeatur; sequenda vero lex, si dubium versetur circa *factum adimplens* legem (2). Hæc restrictio nititur principio possessionis; de hac non agitur in præsenti controversia (3).

Lex est sequenda, quando ejus existentia apparet certo probabilior. Statim oritur quæstio: *qualis* requiritur excessus? Fateri debent æquiprobabilistæ se non semper distincte esse locutos, forsan quia, ut notavimus, ipse S. Alphonsus non semper clare definit excessum requisitum. Unde initio saltem hujus controversiæ, quidam Probabilistæ distinguebant duplicem æquiprobabilismum, unum rigidiorem, quem adscribebant PP. Ter Haar, Jansen et Wouters, alterum benigniorem, qui conveniebat cum probabilismo moderato (4). Nunc post declarationem P. Aertnys (5), cui inter benigniores præcipuus tribuebatur locus, quam et suam fecit P. Ter

---

(1) *Theol. mor.*, L. I, n. 56. Cf. etiam *Dichiarazione del Sistema*, n. 2, cit. ap. Ter Haar, *op. cit.*, p. 7.

(2) Cf. Ter Haar, *op. cit.*, p. 4.

(3) Cf. Collat. Brug., T. VIII, p. 170 sqq.

(4) Vide v. g. opusculum P. Valentini Van der Stok: *Het nieuw-Æquiprobabilisme gewikt en gewogen*, 1905.

(5) *Nederlandsche kathol. stemmen*, 1905. p. 83 ss: *Verklaring van het Moraalsysteem*.

Haar (1), major apparet concordia circa verba: *certo probabilior*.

Sed alia exsurgit quæstio: *Cur sequenda est probabilior pro lege?* Multi inter probabilistas, qui admittunt hanc restrictionem et ideo merito dicuntur *probabilistæ moderati*, respondent: Quia si existentia legis est certo ac notabiliter probabilior, libertas jam non est solide probabilis. Fere eodem modo respondent nonnulli æquiprobabilistæ, dicentes sicut P. Aertnys (2): « Hujusmodi opinionem *notabiliter* seu *certo* probabiliorem voco *moraliter certam, lato sensu*. Certa videlicet est sensu latiori, sicut etiam opinio *unice* probabilis a Theologis latiori sensu *certa* vocatur; est certitudo probabilis, de qua S. Thomas 2-2, q. 70, a. 2, et 2-2, q. 97, a. 1 ad 3. Oppositam opinionem *notabiliter* et *certo* minus probabilem jam non dico *certo* et *solide* probabilem; quum in theologia morali, ut ait S. Alphonsus, sola *æque* aut *fere æque probabilis*, adeoque etiam *paulo minus* probabilis, tamquam *vere* et *solide* probabilis haberi potest. »

Alii vero æquiprobabilistæ, PP. Jansen, Wouters et Ter Haar, quasi pro aris et focis propugnant principium reflexum, quod attribuunt S. Alphonso, quod tamen ipsi fatentur se nunc plenius evolvere. Argumentum, idem quoad substantiam apud tres illos Auctores, sic struit P. Ter Haar (3): Qui subjective bene vult agere, debet tendere ad conformitatem suæ actionis cum Lege æterna objectiva. Atqui qui ponit actionem, quæ suo judicio probabiliter convenit cum Lege æterna objectiva, at certe probabilius ab ea est difformis, non tendit ad illam conformitatem. Ergo sic agens non agit bene subjective. Non vacat hic ad trutinam revocare hoc argumentum. Statim fateamur nos usque nunc non perspexisse ejus efficaciam.

Porro cardo recentissimæ controversiæ vertitur in hoc principio hinc stabiliendo et vindicando, inde impugnando et debilitando. Huc pertinent plurima opuscula, lingua vernacula in Hollandia conscripta: ex una parte P. Van der

---

(1) *Het Æquiprob. gehandhaafd tegen zijne nieuwste bestrijders*, et: *Æquiprob. en gematigd Probab.* etc. passim.

(2) *Nederl. kath. stemmen*, 1905, p. 84.

(3) *Æquiprob. en gematigd Probab.*, 1906, p. 4.

Stok, O. F. M.; PP. Smit et Cramer, S. J. et præcipue R. D. Sloet; ex altera parte tria jam opuscula P. Ter Haar, quibus successive respondet suis adversariis.

Valde probanda apparent hæc verba P. Aertnys (1): « Utrum opinio *notabiliter* aut *certo probabilior* pro lege obliget *directe*, an tantum *ope cujusdam principii reflexi*, mihi videtur quæstio minoris momenti, quæ nihil facit ad unitatem doctrinæ quoad substantialia et praxim. » Si res ita sit, cur denuo implicatur controversia de systemate morali, introducendo hoc principium reflexum, quod pluribus apparet omnino inefficax?

Ex expositis concludere licet præsentem controversiam utilem fuisse ad vindicandum S. Alphonso genuinum suum systema, np. æquiprobabilismum; ad adducendos quosdam Probabilistas ad apertius ponendam restrictionem de sequenda opinione pro lege, quando est certo ac notabiliter probabilior: ad hanc accurate determinandam forsan juvare posset declaratio pluries laudata P. Aertnys.

Plura cupienti commendatur opusculum P. Lehmkuhl: *Probabilismus vindicatus*, in quo integra materia præsentis controversiæ attingitur et dijudicatur. Rationis autem intrinsecæ æquiprobabilistarum crisim instituit scholastice et sobrie simul ac solide R. D. Sloet: *Æquiprobabilisme en Logica*. Utilia quoque invenies in opusculis P. Smit et P. Van der Stok, collatis responsis R. P. Ter Haar.

Nuperrime accepimus novum opusculum ad eamdem pertinens controversiam: *Geschichte und Kritik im Dienste der « Minus-probabilis ». Antwort an P. V. Cathrein, S. J. von Joh. Laur.* **Jansen**, C. SS. R. Paderborn, Schöningh, 1906. In-8, 78 p. Respondet P. Jansen articulo supra laudato P. Cathrein *Linzer Quartalschrift*, 1905.

H. Mahieu.

(1) *Nederl. kath. stemmen*, 1905, p. 86.

De re dogmatica.

De la Prédestination et du sort final des païens, par un professeur de théologie. Un vol. in-12, 64 p. Bloud, 1905. (Collection : *Science et Religion*).

Un professeur de théologie a jugé bon de publier d'emblée dans une collection d'ouvrages de vulgarisation, une nouvelle thèse qui pour le moins eut méritée de passer d'abord par le feu de la discussion. L'auteur soutient qu'après leur mort, les païens adultes honnêtes et de bonne foi, seront placés dans les limbes, « où ils jouiront d'un bonheur naturel plus ou moins grand, proportionné aux mérites qu'ils auront acquis sur la terre », p. 59. Il s'attarde longuement (p. 42-58) à démontrer que la bonne foi chez les infidèles n'est pas rare, que beaucoup d'entre eux sont dans l'ignorance invincible non seulement de la révélation mais encore de Dieu, et que même chez les païens l'observation de la loi naturelle compte des adeptes fervents, voire des héros ; autant d'affirmations que, si l'on excepte celle relative à l'ignorance invincible de Dieu, personne ne songe à contester (1). Ensuite il conclut (p. 59) : Où placerez-vous ces païens honnêtes et de bonne foi ? « Les placerez-vous en enfer ? Ce n'est pas admissible... Vous ne les mettrez pas non plus sans doute au ciel, car ils n'avaient pas la foi.... Il ne reste qu'à les mettre dans les limbes ». L'auteur suppose tout gratuitement que les païens honnêtes et de bonne foi, meurent sans être éclairés des lumières de la foi. Si réellement ces païens ont dans la mesure du possible observé la loi naturelle et mérité ainsi d'échapper à l'enfer, nous disons que Dieu leur donnera de quelque manière les grâces et les lumières nécessaires pour avoir la véritable foi et se disposer ainsi positivement à la vie céleste (2). Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.

---

(1) Nous supposons, bien entendu, que l'auteur admet comme nous, la nécessité de l'assistance divine, sans laquelle il est moralement impossible de vivre longtemps avant d'enfreindre gravement la loi naturelle.

(2). Cfr. Boucquillon, *Tract. De Virt. theol.*, Brugis 1890, p. 132-134.

On s'attendrait à bon droit que l'auteur examinât de près cette dernière solution, laquelle de son aveu est communément admise, et en montrât l'insuffisance ou l'erreur. Or, voici comment en quelques mots, il esquisse une réfutation de la sentence traditionnelle et s'efforce de justifier la solution qu'il présente lui-même (p. 18) : « Sans parler de la voie extraordinaire de l'illumination intérieure, qui ne peut qu'être excessivement rare, et dont on ne pourrait peut-être citer aucun exemple authentique, la seule voie qui s'offre aux païens pour arriver à la foi est celle de l'évangélisation faite par les missionnaires.... Or, après dix-neuf siècles d'apostolat, les missionnaires n'atteignent encore que la minime partie des païens, qui, eux, constituent les trois quarts (c'est beaucoup dire) de l'humanité ». Nous ignorons sur quoi l'auteur s'appuie pour affirmer que « l'illumination intérieure *ne peut qu'être* excessivement rare ». Si on appelle cette voie ou plutôt ce moyen *extraordinaire*, ce n'est certes pas que l'illumination intérieure ne puisse avoir lieu que très rarement; quand même le cas se répéterait souvent, encore serait-il vrai de dire qu'il est extraordinaire, à savoir par rapport à l'ordre établi par Dieu. Nous supposons en effet que ce cas se présente rarement; en réalité nous ne le savons pas et il n'est guère facile d'établir un contrôle. Quoiqu'il en soit, rien n'empêche que cette illumination soit (et à notre avis *elle doit l'être*) aussi fréquente que les circonstances l'exigent. Dieu voulant sauver tous les hommes, *doit toujours*, à défaut de cause seconde, intervenir personnellement auprès de ceux, qui de leur côté, n'ont point démérité. Ce n'est évidemment pas la bonté de Dieu, dont l'auteur fait constamment l'apologie au cours de son ouvrage, qui peut être un obstacle à cette intervention directe.

D'ailleurs, sans parler d'autres documents ecclésiastiques, la solution que, sans preuves aucunes, l'auteur veut éliminer, est en tous points conforme aux déclarations du concile de Florence (1) : « Firmiter credit, profitetur et prædicat, nullos intra catholicam Ecclesiam non existentes, non solum paganos, sed nec Judæos aut hæreticos aut schismaticos,

(1) *Decretum pro Jacobitis*. Cfr. DENZINGER, *Enchiridion*, ed. IX, 1900, p. 170.

æternæ vitæ fieri posse participes; sed in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo et angelis ejus, nisi ante finem vitæ eidem fuerint aggregati ». La définition est universelle: tous les païens etc. qui n'auront pas appartenu au moins à l'âme de l'Eglise par la foi, seront non seulement privés de la vision béatifique, mais condamnés aux peines de l'enfer (1).

A. SOETAERT.

*
* *

G. Lahousse, S. J. *L'apologétique de L'Eglise catholiques,* (Extrait de la *Revue Apologétique*). Bruxelles, Schepens, 1906. In-8, 81 p.

J. Laminne, PROFESSEUR A L'UNIVERSITÉ DE LOUVAIN. *L'Univers d'après Hæckel* (Collection : *Science et Religion*). Paris, Bloud, In-12, 60 p. Prix: 0,60 fr.

Id. *L'Homme d'après Hæckel.* Ibid.

J. Van Mierlo, S. J. *Tegen de Ontwikkelingsleer toegepast op het Ontstaan van den mensch.* (Katholieke Vlaamsche Hoogeschooluitbreiding). Antwerpen, Nederlandsche Boekhandel. In-12, 83 bl. Prijs: 0,25 fr.

Quatuor illa opuscula ad quæstiones hodie valde agitatas referuntur necnon alia et alia ratione ad apologiam seu defensionem Christianæ religionis pertinent.

In scripto R. Patris Lahousse agitur quæstio de fundamentis fidei catholicæ seu de motivis credibilitatis: in prima parte exponitur methodus qua auctores catholici ad fidem

(1) Cfr. *Revue Thomiste,* 1905, nº 4, p. 381-399. — *Revue Augustinienne,* Février, 1906, p. 177-183. — Nous ne voulons point insister sur le manque de logique ni relever les nombreuses inexactitudes qui se rencontrent presqu'à chaque page de la brochure du professeur de théologie. Notons seulement ceci: l'auteur (p. 35) croit que la doctrine de la prédestination selon S. Thomas, n'ouvre la porte ni à la présomption ni au fatalisme ni au découragement, par le fait que l'on peut toujours se dire: peut-être que la question de ma prédestination n'est pas encore tranchée!

La collection: *Science et Religion*, dont le petit volume du professeur de théologie fait partie, renferme sans aucun doute de bonnes brochures; mais il est aisé de constater que « La prédestination et le salut des païens » est une de celles, malheureusement trop nombreuses dans la dite collection, qui font peu d'honneur et à la Science et à la Religion.

tuendam usi sunt semper et quæ ab ipsa Ecclesia, nominatim in Concilio Vaticano, sancita fuit: hæc methodus complectitur duo argumenta generalia: unum considerat ipsam Ecclesiam catholicam ostenditque in ea notas illas quibus est per se ipsa divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile et motivum credibilitatis. Alterum argumentum probat Christum affirmasse se esse Dei legatum, imo Deum ipsum; illam suam doctrinam confirmasse miraculis et prophetiis, concluditque divinitus revelatam esse Christi doctrinam; deinde ulterius demonstrat a Christo institutam esse societatem religiosam, eamque nunc in sola Ecclesia catholica inveniri. In exponenda necessitate, soliditate hujus duplicis argumenti absolvitur prima pars prælaudati operis. In secunda autem parte, variæ proponuntur methodi quæ a via, consecrata Traditione, magis vel minus deflectunt et nostro tempore exortæ sunt. Illæ methodi *modernæ* a veteri discrepant præcipue in hoc quod miracula et prophetias abjicientes, in ipsa humana natura contendunt invenire motivum credibilitatis, maxime in convenientia seu harmonia, ut aiunt, veritatum christianorum cum aspirationibus animæ nostræ. Inter illa systemata maxime notanda est *theoria immanentiæ*, proposita a Blondel, et, modo aliquantisper diverso, a Laberthonnière. Cl. A. illas sententias dilucide exponit, rectissime dijudicat, ad quid inservire valeant, ad quemnam vero scopum sint prorsus inefficaces discernit. Quo facile intelligitur quam utilis futura sit prælaudati operis lectio.

*
* *

Hæckel, celeber biologista, paucis abhinc annis magnum conscripsit opus, cujus titulus *Welträthsel*, cujus scopus est problematum præcipuorum, quæ homini studenti occurrunt, solutionem tradere principiis absoluti materialismi: in illa magna synthesi conatur auctor legibus quibus subjicitur materia corporea, explicare originem materiæ, motus, vitæ, intelligentiæ, etc., et vult ut Religio jam locum cedat Scientiæ. Hujus liberi indolem, theses, argumenta nobis patefaciunt duo opuscula a cl. Laminne conscripta; qui, tum in philosophia, tum in scientiis naturalibus peritissimus, theses hæckelianas aut falsas, aut gratis assertas invicte

demonstrat. In primo opusculo, *L'univers d'après Hæckel*, agitur tum de fundamentalibus principiis circa conservationem viresque materiæ corporeæ (p. 5-9); tum de entibus inanimatis (p. 10-33); tum de viventibus in genere (p. 34-59), nominatim de generatione spontanea, de essentiali distinctione inter viventia et non-viventia, de conscientia psychologica. In secundo opusculo, *L'homme d'après Hæckel*, hæckelianæ sententiæ de ipso homine exponuntur ac dijudicantur : ibi speciali laude digna videntur capitula de libertate, p. 33; de notione officii et obligationis, p. 43; de lege morali, p. 51. In ultimo capite, p. 59, indicatur quomodo Hæckel sit philosophiæ inscius et religionis, præsertim christianæ, ignarus prorsus. Duorum opusculorum hæc est logica conclusio : « Dans leur partie positive les *Welträthsel* sont un effort violent pour imposer à l'esprit des lecteurs, au nom de la science, des conceptions arbitraires ou même absurdes; dans leur partie polémique, ils sont un tissu d'erreurs enguirlandées de plaisanteries plates et grossières. En présence de ce nouvel Evangile, les partisans de l'ancien auraient tort de s'émouvoir » p. 62.

*
* *

Multi in scientiis naturalibus edocti, ait R. P. Van Mierlo, originem hominis inquirunt unice ex factis quæ ad zoologiam pertinent, nec curant de aliarum scientiarum, nominatim psychologiæ, assertis. Licet hæc solvendæ quæstionis methodus omnino sit inepta, tamen in opusculo suo prælaudatus Auctor sola examini subjicere sibi proponit argumenta illa quæ ex zoologia desumuntur. Primo agit de morphologia seu de similitudine quæ viget inter ossa et organa hominis ac aliorum animalium : hæc similitudo non demonstrat communem stipem, nominatim minime valet ad concludendum hominem oriri ab aliqua specie simiarum : imo notabiles differentiæ inter homines et simias, quoad staturam, pedes ac manus, defectum capillorum supra pellem corporis, constitutionem cerebri, prohibent ne logice inferamus homines descendere a simiis. In secundo capite exponit cl. A. quomodo nulla afferri possit probabilis ratio ad tenendum ab aliqua stipite communi ortum habuisse et simias et homines : ibi apparet mere chimericam esse entium seriem seu arborem

genealogicam, excogitatam ab Hæckel, in qua proponuntur successivæ transformationes ex quibus tandem homo ortum habuisset; nec vim ullam demonstrativam haberi in illis fossilibus inventis quorum unum vocatur *dryopithecus Fontani;* alterum *pithecanthropus erectus.* In tertio capite examini subjicitur ontogenia seu evolutio embryonis humani in qua evolutionismi sectatores asserunt esse quamdam similitudinem successivarum transformationum quas variæ viventium species subierunt: non solum ex tali similitudine non inferri posset origo hominis ab alio vivente, sed præterea varii status, qui deteguntur in evolutione embryonis humani, minime correspondent transformationibus successivis quas statuerat Hæckel. Etiam notat cl. A. (p. 62 ss.) quomodo Hæckel ad suum propugnandum systema usus sit dolo qui a vera scientia necnon a probitate prorsus est alienus. In quarto capite exponitur quomodo in vanum quidam transformistæ recurrant ad organa rudimentaria. Tandem in quinto capite, conclusionis instar, hoc statuitur quod, dummodo admittatur Deus tamquam creator et ordinator rerum, evolutionismi theoria, extensa ad viventia homini inferiora, non contradicit fidei, imo forsitan si extendatur ad corporis humani originem; attamen in scientiis naturalibus solidum fundamentum habet nullum. Hæc summi momenti assertio in opusculo cl. Patris Van Mierlo, logice, clare et breviter exponitur ac demonstratur.

J. Van der Meersch.

Ex Sacra Rituum Congregatione

I

Ex decreto S. R. C., 7 julii 1905, *Atrebaten.* dub. I:

I. Utrum in Ordinatione peragenda Sabbato quatuor temporum Pentecostes, vel diebus Dominicis ex indulto apostolico, pronuntianda sint ante singulas orationes super ordinatos verba Pontificalis *Flectamus genua.*

Ad I. Affirmative juxta Pontificale Romanum.

Adnotanda. Dubium hic propositum probabilius ortum est ex rubrica Missalis, pro missa Sabbati quatuor Temporum Pentecostes expresse injungentis dicendum esse « *Oremus* tantum, sine *Flectamus genua* et similiter ad orationes sequentes ». Hæc autem rubrica, ut patet ex responso, nequit extendi ad orationes similes in ordinationibus sacris eadem forte die conferendis. Ratio nobis videtur esse quia cæremoniæ ordinationum, licet peragantur infra missarum solemnia, tamen sunt ritus per se stantes, origine et significatione a missa omnino independentes.

Hujus decreti occasionem libentes arripimus, ut paucis explanemus antiquam cæremoniam valde solemnem, cujus in hodierna liturgia remanent plura vestigia, quæ absque aliqua antiquitatis notitia vix intelligi possunt.

Orationes super ordinatos, sicut et collecta missæ, referuntur ad illam orationum speciem quam antiquæ liturgiæ periti vocare solent *collectivam,* quæ sic peragebatur: collectum seu coadunatum populum in ecclesia celebrans ipse, ad populum sane conversus (1), hortabatur ad orationem, formula quadam invitatorii seu

(1) Ex natura rei supponendum est. Ceterum rubrica antiqua verbotenus servata est in Pontificali dicenti pro ordinatione subdiaconi: « Pontifex... conversus *ad populum* » et pro ordinatione diaconi: « intelligibili voce *alloquitur clerum et populum* ».

monitionis, in qua simul indicabat intentionem ad quam orandum esset. Hæc monitio generatim incipiebat verbo *Oremus* vel *Deprecemur*. Huic invitationi morem gerentes et exemplum celebrantis imitati, fideles per aliquam moram orationi privatæ in silentio vacabant. In officiis dominicis aut temporis paschalis, in quibus jubebantur orare stantes in signum lætitiæ ob resurrectionem Christi Jesu (1), sacerdos, ministri ac fideles omnes orabant « manibus expansis » (2). Tempore autem quo orandum erat genibus flexis, diaconus, statim post sacerdotis invitationem, alta voce adstantes monebat: *Flectamus genua*. Postquam genibus flexis omnes per aliquam moram silentes orassent, subdiaconus dicebat: *Levate*. Omnibus rursus stantibus, celebrans nomine totius communitatis, cunctorum vota quasi in unum colligens, Deo altissimo offerebat, alta voce et manibus extensis cantans orationem quam solemus vocare *Collectam*. Quam gravis et eloquens revera antiqua illa cæremonia!

Hujusmodi autem orationis *collectivæ* in actuali liturgia non remanent nisi quædam vestigia. Quum plebs christiana jam multo minus particeps sit sacræ liturgiæ nullibi asservata est mora pro silenti oratione privata (3).

---

(1) Jam sæculo II testis est nobis TERTULLIANUS, *De oratione*, c. 23 et *De corona*, c. 3 usum fuisse ut christiani orarent stantes die dominico et « a die Paschæ in Pentecosten usque »; genuflexi vero orabant aliis temporibus, maxime diebus jejunii et stationum. Antiquissima illa regula hodiedum adhuc applicatur v. g. in modo recitandi *Angelus* vel *Regina cœli* et antiphonam B. M. V. post officium chori.

(2) Pro usu illo antiquissimo apud Judæos et primos christianos recepto, recole Moysen super verticem collis *levantem* manus ut vinceret Israel (Exod. XVII. 10 ss.); psaltem cantantem: « *expandi* manus meas ad te » (Ps. CXLII, 6) et S. Paulum scribentem: « volo viros orare... *levantes* puras manus » (1a Tim. II, 8). « Ne ipsis quidem manibus sublimius elatis, sed *temperate ac probe elatis* » ait TERTULLIANUS, *De orat.*, c. 17.

(3) Hujuscemodi mora ad orationem privatam, quam comitantur similes cæremoniæ, servabatur in antiquo ritu baptismi prout eum exhibet Ordo Romanus VII (ap. MABILLON, *Museum Italicum*, lib. II. p. 82): « Postea dicitur eis [baptizandis] ab archidiacono: *Orate, Electi et flectite genua*. Et post paululum dicit: *Levate. Complete orationem vestram in unum, et dicite: Amen*. Et respondent omnes: *Amen* ».

Cetera vero ex integro servata sunt in pulcherrimis orationibus quæ cantantur post Passionem, in Parasceve. Ibi habemus successive *a/* monitionem seu invitatorium quod cantatur manibus junctis (1); *b/* dein *Flectamus* et *Levate* et *c/* proprie dictam orationem, quæ cantanda est manibus extensis.

Pro orationibus vero quæ sequuntur prophetias in Sabbato Sancto, et pro collectis missæ quarumdum feriarum quatuor Temporum, ipsa invitatio ad orandum evanuit vel potius ita contracta est ut solum jam remaneat verbum *Oremus;* sed non omittuntur *Flectamus* et *Levate.* In vigilia autem Pentecostes et in quatuor temporibus (feria IV et Sabbato) Pentecostes, ob tempus paschale, quo non genuflectitur, addit Rubrica omittendum esse *Flectamus genua,* adeo ut hic nihil jam remaneat — sicut ante collectam missæ consuetæ — præter solam brevem monitionem: *Oremus.*

Notatu dignum est secundam ex tribus orationibus *(Oremus et deprecemur...)* quæ recitantur ad benedicendam domum in ordine ad Extremam Unctionem administrandam, proprie et stricto sensu esse invitationem ad orandum, quam dein subsequitur proprie dicta oratio: *Exaudi nos.* Hodie tamen jam habetur ut oratio potius quam ut simplex monitio, ut apparet ex signo crucis quod faciendum est infra hanc formulæ recitationem.

Tandem, ritus antiquus integer, dempta tamen mora, servatus est hodiedum, in ordinatione sacra in nonnullis orationibus super ordinatos: nempe pro ostiariis, lectoribus, exorcistis, acolythis et subdiaconis post tradita instrumenta, pro presbyteris infra et post impositionem manuum (2).

In ordinatione vero diaconi dicitur, post traditum

---

(1) Manus non extenduntur sicut infra orationem, quia invitatorium non est stricto sensu oratio.

(2) Sedulo notandum invitationes ad orandum pro ordinatis jam simul haberi ut veras orationes, easque merito ut tales haberi posse satis elucet ex ipsis formularum verbis.

evangeliorum librum, oratio super ordinatos cum præcedentibus monitionibus *Flectamus* et *Levate,* deest vero in hoc loco invitatio; quia hæc posita fuit immediate post longam admonitionem de ordinandorum officiis. Duæ enim formulæ *Commune votum* et *Oremus fratres* sunt, ut ex ipsis verbis jam apparet, duæ antiquæ invitationes ad orandum pro ordinandis. Hæc transpositio et quasi duplicatio invitationis probabiliter oritur ex eo quod, in hodiernis cæremoniis ordinationis diaconi, in unum commixti sunt ritus antiqui Gallicani et Romani. *Flectamus genua* et *Levate,* de quibus quæritur in dubio, semper injunguntur quia ritus ordinationis appropriati fuerunt ab initio temporibus pœnitentiæ.

II

De stola pro impertienda Tertiariis absolutionem generalem.

Decr. *Ordinis Fratrum Minorum Prov. S. Leopoldi,* diei 22 dec. 1905:

Dub. Utrum Director Tertii Ordinis vel sacerdos facultate præditus, qui Tertiariis sæcularibus congregatis Benedictionem cum indulgentia plenaria, sic dictam absolutionem generalem, impertitur uti debeat stola coloris diei, vel albi, vel violacei?

Resp. *Utatur stola coloris violacei.*

Omnino consentaneum est illud responsum cum spiritu liturgiæ quæ violaceum habet ut colorem proprium pœnitentiæ et luctæ contra dæmonem, peccatum ac pœnas peccatorum. Ideo præscribitur non tantum pro tempore pœnitentiæ et jejunii, sed etiam pro exorcismis (ut in exorcizandis possessis, in cæremoniis baptismo præviis, in benedictione aquæ lustralis), necnon pro omnibus ritibus qui ordinantur ad solvendos fideles a peccatis in sacramento pœnitentiæ, ab excommunicatione et suspensione, et a pœnis peccatorum v. g. in benedictione apostolica in articulo mortis et in benedictione cum indulgentia plenaria, de qua hic statuitur.

C. Callewaert.

E Sacra Congreg. Indulgentiarum

PATAVINA.

Plura solvuntur dubia quoad indulgentias lucrandas.

Ad S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositam a Moderatore Archisodalitatis a S. Antonio, erectæ in Ecclesia Eidem dicata in civitate Patavina, sequentia dubia dirimenda sunt delata;

I. An qui nomen dedit pluribus Confraternitatibus, quæ gaudent indulto lucrandi indulgentias, quas Stationales appellant, eas lucrari valeat tot vicibus, quot sunt sodalitates, quibus est adscriptus?

II. Quando conceditur plenaria indulgentia pro festo alicujus Sancti, lucranda a christifidelibus in omnibus Ecclesiis alicujus Ordinis vel diœceseos, hæc indulgentia acquirine potest tot vicibus, quot visitentur Ecclesiæ ejusdem Ordinis vel Diœceseos?

III. Cum diversi Ordines, ex gr., Benedictini, Franciscales, etc., pro uno vel altero festo gaudeant plenaria indulgentia, tributa christifidelibus visitantibus proprias Ecclesias, hujusmodi indulgentia potestne pluries acquiri, visitando singulas Ecclesias eorumdem Ordinum, præsertim si hæc indulgentia dictis Ordinibus fuerit concessa a distinctis Pontificibus?

IV. Quando ad indulgentias lucrandas præscribitur visitatio Ecclesiæ parochialis, hæc debetne esse Ecclesia parochialis propria illius qui vult indulgentias lucrari, an alia quæcumque?

V. An sub nomine Ecclesiæ parochialis propriæ veniat tantummodo illa domicilii vel etiam quasi-domicilii aut moræ transitoriæ, uti contingit tempore itineris?

Et Emi Patres in generali Congregatione ad Vaticanum habita, die 31 Augusti 1905, respondendum mandarunt:

Ad Ium Negative, juxta Decretum « Delatæ sæpius », diei 7 Martii 1678.

Ad IIum Affirmative, id est acquiri potest indulgentia una vice tantum sed in singulis Ecclesiis ejusdem Ordinis seu Diœceseos.

Ad III^{um} Provisum in præcedenti.

Ad IV^{um} Affirmative quoad 1^{am} partem; *Negative* quoad 2^{am}.

Ad V^{um} Negative quoad 1^{am} partem; *Affirmative* quoad 2^{am} et 3^{am}.

De quibus facta relatione SS^{mo} D^{no} N^{ro} Pio PP. X, in audientia habita die 13 Septembris 1905, ab infrascripto Card. Præfecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ, SS^{mus} E^{morum} Patrum resolutiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romæ, ex Secretaria ejusdem S. C., die 13 Septembris 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Adnotationes. Ad 1^{m}. *Indulgentiæ stationales* primitus concessæ fuerunt ut excitarentur fideles ad visitandas ecclesias Urbis, in quibus fiebat statio liturgica. Hoc privilegium postea fuit extensum ad certas ecclesias vel oratoria extra Urbem, favore præsertim Ordinum et Congregationum necnon Confraternitatum. Nomine *Stationum Urbis Romæ* nunc jam veniunt ipsæ indulgentiæ, quæ acquiri possunt a fidelibus visitantibus ecclesiam stationalem vel gaudentem privilegio stationis. Porro sunt et plenariæ et partiales, quas accurate determinavit Pius VI per rescriptum S. C. Indulg. 9 Julii 1777 (1).

Cum nunc plurimæ sodalitates fruantur hac concessione Stationum Urbis Romæ quæstio ponitur utrum adscriptus pluribus hujusmodi confraternitatibus possit stato die pluribus vicibus eas lucrari indulgentias. Resp. S. Congr. « *Negative*, juxta Decretum « Delatæ sæpius » diei 7 Martii 1678 ». Hoc autem decretum definit « semel dumtaxat in die *plenariam* indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri », sive pro se

(1) Vide elenchum in *Florilegio* Ampl. D. De Schrevel, ed. alt. Brugis 1892, p. 300.

sive pro defunctis, etiamsi opera injuncta iterentur (1). Cum decretum *Delatæ sæpius* agat tantum de *plenaria* indulgentia, censemus præsentem resolutionem non extendi ad indulgentias stationales partiales; quæ sententia videtur confirmari ex responso ad 2m et 3m, ubi quæstio movetur de sola plenaria.

Ad 2m et 3m. Applicatur idem decretum *Delatæ sæpius;* sed libertas relinquitur fidelibus eligendi ecclesiam visitandam.

Ad 4m et 5m. Quando visitanda præscribitur ecclesia *parochialis*, intelligi debet parochialis propria illius qui vult lucrari indulgentias seu determinatio non fit respectu loci sed personæ. At, juxta principia generalia, intelligitur ecclesia sive domicilii sive quasi-domicilii; imo in ordine ad lucrandas indulgentias parochialis censetur ecclesia moræ transitoriæ, uti contingit tempore itineris seu ecclesia parochialis illius loci, in quo quis transitorie versatur extra domicilium vel quasi-domicilium.

H. Mahieu.

E Sacra Congregatione Indicis

Decreto d.d. 5 Aprilis 1906 damnata fuerunt et in Indicem librorum prohibitorum relata quæ sequuntur opera:

Paul Viollet, *L'Infaillibilité du Pape et le Syllabus*. Étude historique et théologique. Besançon-Paris, 1904.

L. Laberthonnière, *Essais de Philosophie religieuse*, Paris, s. d.

L. Labertihonnière, *Le Réalisme chrétien et l'Idéalisme grec*. Paris, s. d.

Antonio Fogazzaro, *Il Santo*. Romanzo, Milano, 1905.

Nicolaus Jozzelli, decreto S. Congregationis, edito die 12 Decembris 1905, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subjecit.

(1) Vide omnino dissertationem apud Collat. Brug., T. IV, p. 299 ss.

Consultationes

I

Q. In litteris quadragesimalibus (ad n. VI) concedi solet usus carnium militibus cujusvis gradus, *eorumque uxoribus, liberis et famulis.* An hæc dispensatio, propter paritatem rationis, extendi etiam censetur 1° ad alios præter modo dictos, puta parentes, fratres aut sorores, qui cum principaliter dispensatis habitant et eamdem constituunt familiam? 2° ad illos etiam qui transeunter, sive casu sive invitati, accedunt ad mensam principaliter dispensati?

R. Ad 1m. In interpretando positiva, puta legem aut dispensationem, caute est utendum argumentatione ex similitudine aut paritate rationis; imo regulariter lex, et similiter dispensatio in lege, non est, propter paritatem rationis, extendenda ad casum non expressum. Dicitur *regulariter:* interdum enim hujusmodi extensio merito admittitur (1). In casu nostro forsan dici posset dispensantem indicasse tantum personas ordinarie constituentes familiam militis principaliter dispensati, adeoque sub *verbis* suis implicite comprehendisse alias personas, quæ constituunt eamdem familiam. At melius in casu recurritur ad epikiam, qua interpretamur non *verba,* ut fit in interpretatione proprie dicta, sed *mentem* seu *voluntatem* dispensantis (2). Jamvero mens Episcopi est dispensare milites eorumque familiam seu domum; familiam describit indicando personas quæ eam ordinarie constituunt, np. uxorem, liberos et famulos. Quodsi per accidens cum principaliter dispensato habitent parentes, fratres aut sorores, ita ut eamdem constituant familiam, voluntas dispensantis non est ut excludantur a favore dispensationis.

(1) Cfr. Van den Berghe, *Tractatus de legibus*, Brugis, n. 122.
(2) Cfr. *ibid.* n. 124; Collat. Brug., T. VII, p. 360.

Ad 2m. Rationabiliter præsumi potest *mentem* dispensantis esse ut *casu* accedentes ad mensam principaliter dispensati habeantur tamquam ejus familiæ conjuncti, ita ut accessorium sequi censeatur principale; minime verò invitati aut illi qui, ut ait P. Génicot (1), eidem familiæ se conjungerent ad eludendam legem abstinentiæ.

II

Q. Post recepta ultima sacramenta, moribundus intendens indulgentias omnes quas potest lucrari, 1/ secum tenet crucifixum Indulgentiis Apostolicis ditatum, 2/ recepit (cujus concessionis documentum existit) de speciali gratia a Romano Pontifice directe Benedictionem Apostolicam, et 3/ petit a sacerdote Benedictionem Apostolicam, quæ consuevit dari fidelibus, qui exeuntium sacramenta receperunt. Quæritur 1° an differant ab invicem Indulgentiæ memoratæ; et 2° an adhuc locus sit sacerdoti satisfaciendi petito moribundi?

R. Ad 1m. Differentia est *mere accidentalis:* videlicet in primo casu benedictio cum indulgentia adnectitur directe *crucifixo*, et ideo ægrotus, crucifixi proprietarius (2), debet illum tenere apud se vel in cubiculo suo; contra in duobus aliis casibus benedictio cum indulgentia conceditur *personis ipsis,* at in secundo casu, sicut in primo, est gratia *facta,* et ideo non requiritur interventus sacerdotis aut ullius formulæ prolatio, in tertio autem casu est gratia *facienda* per sacerdotem facultate munitum et formula debita utentem (3).

Ad 2m. In memoriam revocari debet indulgentiam plenariam concessam pro mortis articulo esse *personalem moribundo* adeoque non esse applicabilem per modum suffragii animabus purgatorii (4); eamque « *una*

(1) *Theologiæ Mor. institutiones*, T. I, n. 449.

(2) Cf Collat. Brug., T. II, p. 102.

(3) Cf Collat. Brug, T. III, p. 407.

(4) Litt. Secretarii S. C. Indulg. 17 Martii 1886. — Quoad eum qui emisit actum heroicum charitatis, res est dubia. Cf. Collat. Brug., T. VI, p. 378 ss.

vice tantum lucrari, id est *in vero mortis articulo*, etsi moribundus ad eam jus habeat ex variis titulis » (1).

Ex hoc tamen principio non est inferendum, quod diversa pietatis opera, quibus adnexæ sunt indulgentiæ pro articulo mortis, inutilia evadant moribundis, ac ideo frustra multiplicentur tituli ad eamdem indulgentiam lucrandam. Nam ista devotionis opera maxime conferunt ad excitandos in moribundis fidei, spei et charitatis sensus, eos disponunt ad ipsam mortem æquo ac libenti animo suscipiendam ac simul adjuvant ad augendam fiduciam in merita Christi et Sanctorum. Unde fit ut perfectius se disponant ad indulgentiam plenariam plenarie adquirendam.

Insuper contingere potest, ut fidelis non lucretur ex *tali* titulo indulgentiam plenariam, quia non accurate implevit conditionem præscriptam, forsan in illo morbi statu nimis onerosam; dum contra acquirere eam poterit ex *alio* titulo per actum faciliorem, v. g. per invocationem SS. Nominis Jesu corde saltem factam, post susceptionem Sacramentorum (2). Facile etiam dubium oriri potest utrum v. g. Crucifixus sit revera ditatus indulgentiis apostolicis.

Unde concludere licet vix umquam omittendam esse Benedictionem Apostolicam in articulo mortis impertitam a sacerdote. Attamen si certo constet, puta ex documento authentico, moribundo concessam fuisse Benedictionem Apostolicam directe ab ipso R. P., non apparet quomodo non inutiliter adhuc concederetur eadem Benedictio a sacerdote nomine Romani Pontificis.

III

Q. Moderator societatis S. Francisci Xaverii con-

---

(1) S. C. Indulg. 23 Januarii 1901, ad II. Cf. COLLAT. BRUG., T. VI, p. 377.

(2) Ex litt. cit. 17 Martii 1886, apud MOCCHEGIANI A MONSANO, *Collectio indulgentiarum*, 1897, n. 613; BERINGER, *Les indulgences*, T. I (1905), p. 687.

suevit cum sodalibus in conventu menstruo recitare actus Fidei, Spei et Charitatis in refrigerium animæ confratris ultimo defuncti. Recitatio autem fit hoc modo: Director recitat alta voce formulas actuum et sodales simul addunt conclusionem: In hac fide (spe, charitate) vivere ac mori volo. Quæritur utrum indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum toties acquiratur quot adsunt sodales descripto modo recitantes.

R. S. Congr. Indulg. 29 Febr. 1820 (*Decr. auth.*, n. 249) declaravit ad 4^{m} quod « *recitans alternatim cum socio* orationem, cui applicatæ sunt indulgentiæ, v. g. coronam, vel salutationem Angelicam, dictam *Angelus Domini,* possit lucrari indulgentias huic orationi applicatas ». Alia quoque exempla sunt: recitatio litaniarum, psalmi alicujus v. g. De profundis, precum post missam privatam, invocationum *Tota pulchra es* (1), Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis (2) etc.

Porro formulæ actuum fidei, spei, charitatis non videntur aptæ, quæ alternando recitentur, et sane modus descriptus non videtur haberi posse tamquam recitatio *alternatim* facta, sicut fit pro Rosario et Angelus Domini. Unde dubitamus valde utrum singuli sodales in casu lucrentur indulgentias; nec eas acquirunt recitando conclusionem: In hac fide etc., quæ non pertinet ad essentiam formulæ. Practice igitur excitentur sodales ad orandum simul cum moderatore.

In memoriam revocare juvat indulgentias in casu non esse alligatas determinatæ cuidam formulæ, sed lucrifieri posse formula quacumque, dummodo in ea singularum virtutum theologicarum specialia motiva exprimantur (3).

H. Mahieu.

---

(1) Cf. Collat. Brug., T. X, p. 120.
(2) Cf. *Ibid.*, T. IX, p. 677.
(3) Cf. Collat. Brug., T. II, p. 635, ubi de memorialibus defunctorum.

IV

Quæritur. Benedictio *Imaginum Jesu Christi Domini nostri, beatæ Mariæ Virginis et aliorum sanctorum* in Rituali Romano, tit. VIII, c. 25, assignatur inter benedictiones reservatas Episcopis vel aliis facultatem habentibus. An ex responso dato apud *Collat. Brug.*, t. IX, p. 337, licet concludere hanc benedictionem non esse reservatam?

Respondetur. In citato loco *Collat. Brug.* adducitur decretum S. C. R. n. 2143[2] de benedictione crucium; quod decretum auctores merito extendunt ad benedictionem imaginum, et vi cujus « potest simplex sacerdos cruces altarium seu processionum benedicere *private et non solemniter* ». Unde distinguendum est:

1/ Si fiat solemniter, cum apparatu et concursu populi, benedictio est reservata.

2/ Si fiat absque solemnitate et apparatu, privatim, non est reservata (1).

Quod spectat formulam adhibendam:

1/ pro cruce *sine crucifixo* semper adhibeatur una ex formulis Ritualis Romani, tit. VIII, c. 24.

2/ pro cruce *cum imagine crucifixi,* vel tabula in qua depictus est crucifixus, ad benedictionem solemnem sumenda est formula *Benedictionis solemnioris novæ crucis* quæ invenitur in Appendice Ritualis Romani; ad benedictionem privatam adhibeatur formula Rit. Rom., VIII, c. 25 (2).

3/ tandem pro imagine B. M. V. vel aliorum Sanctorum, semper sumenda formula Rit. Rom. VIII, c. 25.

C. Callewaert.

---

(1) Ut patet, non agimus de benedictione *cum applicatione indulgentiarum.*

(2) Formula enim Appendicis est nimis solemnis quam ut ad privatam benedictionem usurpetur; et in Rit. Rom. VIII, c. 24 non alluditur nisi ad nudam crucem, ad solum lignum crucis; c. 25 vero oratio ita concepta est ut imagini Christi Domini crucifixi optime applicari possit.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 29 Maii 1906, in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, inimicos Ecclesiæ ac patriæ humiliare dignatus est. Jure meritissimo hanc concionem exordimur a fervida simul ac humili gratiarum actione in Deum, qui, solus potens, hominum voluntates, salva libertate, in alterutram partem inflectere valet, atque a tot sacerdotibus, religiosis sanctisque animabus diu ac perseveranter exoratus novum Ecclesiæ triumphum in patria nostra eumque insignem de hostium universorum unitis viribus referre concessit.

Sed et vobis, Rev. adm. Domini, universoque clero nostro dilectissimo gratias quam maximas habemus, quod vere pro aris et focis, nulli parcentes labori, tam strenue dimicastis. Profecto neminem vestrum fugit, neque vero quempiam hominum sani judicii fugere potest, nonnisi duo jam in his colluctationibus vexilla e conspectu poni, unum Christi et Ecclesiæ, sub quo militant fideles, alterum satanæ, sub quo congregantur mali universi, quovis censeantur nomine, neque aliud jam agi in bello hodierno quam vel salutem vel ruinam universim tum fidei catholicæ, tum ipsius societatis humanæ.

Quibus attentis, dubitandum non est instare adhuc tempora mala, nec deinceps securitas atque pax exspectanda erit sed continuo sub armis vigiliæ nobis agendæ erunt atque ingenti continuoque labore victoriæ fructus servandi.

*
* *

Ideo nostrum in hoc brevi sermone propositum est in futurum prospicere, simulque vobiscum inquirere quid, in-

spectis hinc quidem indole, moliminibus atque insidiis hostium, inde vero indigentiis ac periculis gregis nostri, ratione quoque habita temporum atque adjunctorum, nobis efficiendum, quas in res præ cæteris nobis incumbendum sit.

*
* *

Imprimis hoc omnium in oculos incurrit, satanam ejusque sequaces nostris diebus ad radicem securim posuisse: videlicet ipsam religionem christianam funditus diruere, fidem e mentibus hominum plane eradicare omni ope conantur. Vel hoc solum attendisse sufficiat, qua scilicet cum rabie abutantur prelo, sparsis quaquaversus non tantum ephemeridibus de re politica, pessimis quidem et impiis, sed et tractatulis et libris ex professo impugnantibus Ecclesiæ doctrinam, quorum centeni jam e quibusdam officinis prodierunt, specie et prætextu scientiæ vel dogmata singula, vel ipsa fundamenta supernaturalis religionis convellere molientes, et quarum singularum opellarum centena millia exemplaria infimo pretio vel et gratis per orbem diffunduntur. In hisce autem abutuntur maxima cum astucia omnibus scientiis humanis: disciplinis philosophicis, ut ad scepticismum animos adducant; scientiis naturæ, ut dogma fundamentale creationis ipsamque Dei existentiam negent; historia et arte critica, ut miracula, prophetias, historiam sacram et evangelium, divinitatem Christi, divinam institutionem divinamque indolem Ecclesiæ catholicæ evertant, libris sacris irrideant; præterea, et dogmata singula insidiosis sophismatibus pervertere, in dubium vocare, aut aperte convellere nituntur; ita ut vix possit aliquis, nec rudis tantum sed et litteris scientiaque aliqua humana imbutus, hæc legere, quin grave fidei periculum subire dicendus sit. Imo vero, hic spiritus, ut ajunt, rationalismi et scepticismi adeo omnia quasi pervasit, ut quosdam incautos theologos et sacerdotes jam deceperit, quorum nonnullos in varios errores turpiter delapsos cum dolore vidimus.

Quid ergo inter hæc nobis præstandum est. Ut a nobismetipsis incipiamus, caveamus et nos, memores verborum apostoli: *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci* (1). Et iterum:

(1) *Hebr.*, XIII, 9.

O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt (1). Deinde vero, sedulo incumbamus in studium scientiæ theologicæ, impensius nos conferentes ad acquirendas rerum notitias, quæ magis quam olim utiles ac necessariæ sacerdoti sunt, ut, quemadmodum oportet, doceat, arguat, confirmet in fide, adversariorum tela retorqueat. Studeamus autem veritati catholicæ, veræque scientiæ acquirendæ, ducibus Ecclesiæ Doctoribus et probatis theologis ac SS. Librorum interpretibus, cum omni animi summissione, perfecte dociles et audientes voci Præsulum nostrorum, præprimis supremi Pontificis, ita ut non modo ipsi, falsi nominis scientiam atque pessimam mentis superbiam devitantes, in sancta fide immobiles permaneamus, sed et gregem nostrum adversus omnem nequitiam et astuciam inimici protegere valeamus. Invigilemus attente ne subrepant pessimi libelli aut scripta quævis dolosa, moneamus sæpe fideles, ut sint prudentissimi et avertant a se familiisque suis ingens hoc periculum.

Sed hæc vigilantia, hæque monitiones non sufficiunt, oportet veneno opponere remedium, confutando errores verbo ac scripto, spargendo ephemerides bene catholicas, libellosque apologeticos, quos probati auctores jam evulgare cœperunt et quos ipsi sacerdotes nostri, qui scientia præstant et arte scribendi, ut in lucem edant auctores sumus, omni consilio atque opera eisdem affuturi.

Aliud idem genus periculum, remotius tamen, hic obiter attingendum existimamus. Multi jam in Belgio ipsique Flandri nonnulli linguam nostram vere flandricam quasi dialectum, ut ajunt, ultro jam agnoscere videntur, eique valedicere, ut neerlandicam, quam vocant, alienis elementis mistam ac fœdatam, tamquam magis universalem, scriptis et ore usurpandam, acceptent; cum tamen ante tria sæcula, id est, antequam pseudo-Reformatio patriam flandricam scinderet, nostra eadem lingua vere et authentice flandrica ubique in universis regionibus Flandriæ, Brabantiæ, Hollandiæ, uno ore unaque scribendi ratione usu erat, ut apertissime e libris ubicumque editis constat. Quod quidem

(1) 1 *Tim.*, VI, 20, 21.

in se spectatum parvi referre dices, cum lingua, sicut cætera humana, mutationi ac evolutioni cuidam subjaceat, sitque tandem instrumentum quoddam et medium, non finis aliquis attingendus, ut quidam autumare suo modo agendi videntur.

Attamen, dolendum nobis videtur defensores antiquæ linguæ, quæ totum refert et continet sensum christianum populi Flandrici, manus victas dare iis qui animum christianum populi vel subvertere vel saltem prætermittere, prætextu linguæ, imprudenter moliuntur.

Et maximi quidem momenti hoc est, ne scilicet adoptando linguam, litteratura, ut ajunt, seu libri et scripta neerlandica passim adoptentur, legantur, spargantur; nemo enim ignorat eadem scripta maximam partem redolere rationalismum atque scepticismum religiosum sapere frequenter. Qua de re clerum nostrum, præcipue juniorem, monere officii nostri esse ducimus, ut tum sibi caveant, tum etiam aliis, puta discipulis aut amicis, ne imprudenter ejusmodi scripta legant vel aliis legenda tradant. Si lingua nostra flandrica amanda, servanda ac tuenda est adversus dæmonium meridianum gallicæ impietatis, ut simul cum lingua servetur patria fides catholica, patriique mores christiani, non minus servanda ac tuenda est adversus septentrionalem hæreseos ac rationalismi dæmonem. Hoc quoque merito advertendum censemus, quicumque inter propugnatores linguæ patriæ vel hostes sunt fidei nostræ vel indifferenter in re fidei sese gerunt hos tamquam suspectos habendos esse, nec sane paucos hujusmodi inveniri, qui occasione linguarum alios prosequantur pessimos fines; aut saltem, eosque catholicos nomine, qui spreta auctoritate etiam ecclesiastica quasi limites suos prætergrederetur, per fas et nefas et tamquam finem prosequuntur sua de hac re placita, non attentis incommodis in re sane graviori fidei et Ecclesiæ; quare cautissime ac prudentissime in his rebus procedendum est, nec consilia sapientum et præprimis Præsulum Ecclesiæ leviter sunt spernenda.

*
* *

Præsentis generationis hominum animos pervertere, inque iis omnem fidem extinguere hominibus nequam, omnisque boni hostibus satis non est, sed et generationis futuræ homines suo veneno attingere satagunt, ideo scholas aggrediuntur

ubique: scimus quid in vicina regione factum sit, quæ brevi a natione præprimis catholica in gentem infidelem ac impiam, nisi Deus provideat, immutanda prævidetur. Videmus in Anglia, quod mirum est apud populum qui adeo videbatur libertatis amans, traditionis atque sensus religiosi sectator tenax, quomodo, spreta civium libertate omnique jure, etiam proprietatis rerum, scholas publicas omni charactere christiano spoliare atque puerorum et adolescentium animos, mere laïcali, ut ajunt, institutione, quasi ethnicorum more efformandos esse quidam velint. Idem nuperrime in Austria impium tentamen conspicimus. In nostra autem patria, præterita hostium molitio pro futura spondet, sed et recens quoque plus semel repetita assertio manifesto ostendit, nihil ardentius in votis esse inimicorum quam ut scholas catholicas evertant, idque præ cæteris, quæ meditabantur malis, incunctanter effecturos fuisse, nisi Deus miserans avertisset.

Qualis admonitio nobis, Rev. ac dilectissimi Domini, ut qui scholas catholicas habemus, easdem tandem totis viribus excolamus, ut novas generationes optimorum fidelium excitemus! Liceat iterum, quamvis ad nauseam usque hæc dicta ac repetita fuerint, liceat parochos omnes eorumque adjutores, necnon collegiorum atque scholarum quarumvis christianarum superiores et magistros rursum obsecrare atque obtestari ut non tantum suas scholas habeant, sed quam diligentissime eas visitent, iis invigilent, in iis doceant, verbo, partes suas hac in re gravissima, prout a Præsulibus accurate præscriptæ sunt, ad amussim servare et cum omni zelo ac fervore animi implere satagant, intuentes finem, salutem nempe patriæ atque Ecclesiæ in futuris temporibus, nec requiem ullam habeant, donec conscientiæ suæ in omnibus, etiam quæ primo intuitu minima videri possent, plenissime satisfecerint.

*
* *

Præterea, hæc est hujus luctuosissimæ tempestatis indoles ut simul cum fide, reverentia quoque et obedientia cuivis legitimæ potestati debita maxime diminuta sit apud multos. Inde eo res ubique terrarum vergunt ut reipublicæ perturbatio, imo rerum eversio nonnullis in regionibus, imminere videatur, nec Ecclesiæ solum sed ipsi convictui humano

ruina paretur. Interim, qui auctoritate rebusque pollent sæpe nimis otio, voluptati, propriis affectibus indulgent, plebs vero odii et invidiæ oculis potentes ac divites, extincta fide futurorumque spe amissa, persequitur, nec in ipso populo christiano, variis doctrinis decepto, deest quoddam fermentum exspectationis rerum novarum; universim in convictu humano desideratur quies animorum atque pax cordium.

Ideo necesse est quam maxime hoc ævo nostro, quemadmodum sæpius inculcarunt Episcopi ipseque summus Pontifex, ut sacerdotes tamquam mediatores evangeliique præcones, hinc quidem potentes et divites commoneant officii sui, inde vero diligenter plebem excolant, in omni indigentia eidem ope et consilio adsint, præprimis vero omnes salutarem Christi doctrinam continuo doceant et ad vitam christianam informent. Omnia instituta et opera in re sociali, quam dicunt, eum in finem tandem dirigenda sunt ut, collatis omnibus ad sortem temporalem æquam procurandam subsidiis, fides moresque christiani in populo serventur, ut animi imbuantur sensibus religiosis, sine quibus profecto nihil ad æternam salutem prodesse, sed nec ad pacem et salutem convictus humani efficaciter conferre poterit.

Nonne reliqua omnia conamina vana plane erunt et inutilia, nonne vox ipsa pastorum sine auditu, et tota sacerdotalis vis et auctoritas despecta erit, si fides, si religionis sensus extinctus fuerit? Quare, præ cæteris omnibus necesse est, et totis viribus nobis allaborandum est ut vita christiana in populo nostro vigeat, ut frequens sit populus in ecclesiis, ut sacramenta magis magisque frequentet, ut diligentissime doceatur doctrinam christianam, ut in congregationibus et societatibus christianis cujusvis nominis tum juvenes et adolescentes, tum patres quoque et matres familias adunentur, ut pueri in scholis maxima cura ad vitam christianam informentur.

Ideo verbo et exemplo prædicemus sine intermissione, officia divina et præprimis sacrosanctum sacrificium, omni qua par est, reverentia et devotione celebremus; conciones nostras rite præparemus, quibus vere *doceamus* populum, et *docendo* moveamus corda; hinc inde, quam frequentius fieri potest, aliquam opportunitatem arripiamus ut majori pompa

quædam officia celebrentur, verbum Dei annuntietur, spiritualis missio fiat. In omni vita nostra exemplo simus fidelibus: si semper sacerdotem decuit morum perfecta integritas, modestia ac simplicitas, qualem a decessoribus nostris hæreditate quasi accepimus, nostro tamen ævo multo urgentior necessitas est vitemus omnem luxum luxuriamque mundanam, non tantum temperantes et sobrii simus in omnibus sed in populi exemplum etiam ex integro abstineamus a rebus minus necessariis, et privatim quoque coram Deo mortificationi ac pœnitentiæ, magis quam olim, indulgeamus, tum ut propriæ sanctificationi provideamus, tum ut vere simus sal terræ; et sic ampliori benedictione divina in ministerium nostrum deducta per orationes nostras ferventissimas et continuas, præcipue vero per oblationem quotidianam puris manibus et flagrantibus Dei amore cordibus sacrosancti sacrificii, miserationem divinam in populum nostrum, pacem ac prosperitatem patriæ nostræ, salutem gregis nostri æternamque nobis beatitudinem securi exspectare poterimus, quod nobis concedat Dominus omnipotens et infinite bonus. Amen.

I.

Vi indulti pontificii, Nobis, 2 Augusti 1905, ad quinquennium concessi, RR. adm. DD. Decanis facultatem impertimur benedicendi nolas recenter fusas in usum Nobis commissæ Diœcesis, « ipsa non excepta aquæ benedictione, si qua legitima causa id exigat, dummodo servetur forma in Pontificali Romano præscripta ».

II.

Mandamus ut deinceps in Laudibus vespertinis, post ultimam benedictionem et ante repositum SS. Sacramentum, sacerdos genuflexus, alta voce et lingua vernacula, recitet sequentem laudum formulam, in permultis jam locis in usu apud Christifideles, quamque varii Summi Pontifices indulgentiis ditarunt, data occasione probantes et commendantes usum, qui invaluit, formulam hanc publice in ecclesia recitandi. Nec mirum; hic enim « religionis actus — verba sunt decreti Urbis et Orbis, de die 2 Februarii 1897, — præterquam per se optimus, etiam opportune valet, quemadmodum

initio institutus fuit, ad honorem compensandum divini Nominis rerumque sanctissimarum, tam multis quotidie impiis vocibus passim violatum. »

God zij gebenedijd.	*Dieu soit béni.*
Gebenedijd zijn heilige Naam.	*Béni soit son Saint Nom.*
Gebenedijd zij Jesus-Christus, waarachtig God en waarachtig Mensch.	*Béni soit Jésus-Christ, vrai Dieu et vrai Homme.*
Gebenedijd de Naam van Jesus.	*Béni soit le nom de Jésus.*
Gebenedijd zijn Allerheiligste Hert.	*Béni soit son Sacré Cœur.*
Gebenedijd zij Jesus in het Allerheiligste Sacrament des Autaars.	*Béni soit Jésus dans le Très Saint Sacrement de l'Autel.*
Gebenedijd de verhevene Moeder Gods, de Allerheiligste Maagd Maria.	*Bénie soit l'auguste Mère de Dieu, la Très Sainte Vierge Marie.*
Gebenedijd hare Heilige en Onbevlekte Ontvangenis.	*Bénie soit sa Sainte et Immaculée Conception.*
Gebenedijd de Naam van Maria, Maagd en Moeder.	*Béni soit le Nom de Marie, Vierge et Mère.*
Gebenedijd zij God in zijne Engelen en zijne Heiligen.	*Béni soit Dieu dans ses Anges et dans ses Saints.*

Indulgentiæ harum laudum recitationi adnexæ, et animabus in purgatorio detentis applicabiles, sunt sequentes:

Indulgentia unius anni pro qualibet vice laudes eas corde saltem contrito ac devote recitantibus; quæ indulgentia duplicatur, quoties eædem laudes publice devoteque recitentur vel post divini sacrificii celebrationem vel ad benedictionem cum venerabili Sacramento.

Indulgentia plenaria lucranda semel in mense, die uniuscujusque arbitrio eligenda, ab omnibus Christifidelibus, semel saltem in die dictas laudes per integrum mensem recitantibus, dummodo vere pœnitentes confessi ac sacra communione refecti, aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suæ pias ad Deum preces effuderint. *(Decr. Urbis et Orbis de quo supra)* (1).

(1) Cfr *Collationes Brugenses*, tom. II, pp. 166, 167.

Istæ indulgentiæ e cathedra publicentur et invitetur populus fidelis ad laudes præfatas, in reparationem præsertim blasphemiarum, una cum sacerdote recitandas.

III.

Stadia Exercitiorum spiritualium, ad quæ dilectum Clerum impense invitamus, hoc anno erunt tria:

1m Brugis, Dominica, 19 Augusti, hora VII vespertina.

2m Poperingis, Dominica, 26 Augusti, hora VII vespertina.

3m Rollarii, Dominica, 16 Septembris, hora VIII vespertina.

Non omittant RR. DD. Exercitaturi, *datis litteris* ad Superiorem domus, in qua Exercitia obire cupiunt, locum postulare, quindecim ante Exercitia diebus, quatenus nomina eorum catalogo adscribi valeant. Mens autem nostra est ut nullus exercitantium, absque causa a præside probata ejusque licentia, discedat ante completum ultimum sacri secessus exercitium.

Brugis, 1 Junii 1906.

† G. J., Episc. Brugen.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris

—

I

Ad quosnam, ubi et quando conscripta est I ep. S. Petri? Proba responsum.

II

Solvatur sequens difficultas: Si in Christo, a primo suæ Incarnationis instanti, adfuisset visio beatifica et scientia per se infusa, non admitti posset realitas seu serietas operationum Christi quatenus illæ in Evangelio describuntur: Christus enim interrogat et res de novo addiscit, miratur, quod est de re antea ignota, etc. Atqui tenenda est omnino realitas et serietas operationum Christi quæ nobis in Evangelio narrantur. Ergo non admittenda in Christo in hac terra degente, visio beatifica et scientia per se infusa.

III

Da notionem sponsalium de futuro, eorumque distinctionem explica in sponsalia clandestina et solemnia.

IV

An et quandonam copula, inter nubiles admissa, sponsalia inducit; an et quandonam, sponsalibus superveniens, inducit matrimonium?

V

Titius sponsus Berthæ copulam habet cum Paula sorore Berthæ, eamque imprægnat. Quid sentiendum de sponsalibus inter Titium et Bertham?

VI

An prohibito opere per legem *Indicis* prohibentur singulæ operis partes?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

Q. *Explica Heb. IX, 11-14.*

R. I. **Prænota.** Auctor epistolæ ad Hebræos sacerdotium Christi sacerdotio veteris Legis prævalere variis argumentis demonstrat (1). Ità comparando cultum et præsertim sacrificia utriusque sacerdotii, sacrificium Christi sacerdotis novæ Legis longe excellentius esse sacrificiis Legis veteris cogenti antithesi ostendit. Pericopa explicanda huc spectat: Pontifex veteris Legis singulis annis in die expiationis magnæ foris mactabat vitulum et hircum, et transeundo Sanctum Tabernaculi Mosaici cum sanguine victimarum in Sanctissimum penetrabat ad legalem expiationem perficiendam (IX, 1-10). — *Christus autem, Pontifex novæ Legis semel pro semper tabernaculum cœleste ingressus usque ad thronum Dei cum proprio sanguine penetravit, internam a peccatis munditiem conferens* (IX, 11-14).

II. **Interpretatio.** 11. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis:* 12 *neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.*

Christus i. e. Messias resuscitatus ut III, 6; *autem* δὲ respondet *quidem* v. 1 et antithesim cum præcedentibus seu sacerdotio veteris Legis introducit. *Assistens* παραγενόμενος: quum prodiisset ut *pontifex futurorum bonorum* i. e. novi fœderis. Juxta promissionem (VIII, 12) intelliguntur bona quorum Lex tantum umbra fuit

(1) Cf. Van Steenkiste, *Commentarius in S. Pauli epistolas*, Brugis, 1899, t. II, p. 489 ss.; 590 ss.

(X, 1), bona cum « tempore correctionis » (XI, 10) connexa, sc. remissio peccatorum, sanctificatio interna et finalis consummatio. Lectio probabilior (1) habet ἀρχιερεὺς τῶν γενομένων ἀγαθῶν : Messias in *Ps.* CIX (CX), 4 ut ἀρχιερεὺς annuntiatus est; *bonorum quæ venerunt* genitivus est causæ seu dependentiæ, quatenus pontificis ministerio bona conferuntur. *(Introivit) per* (localiter sumendum, adeoque transiens per) *amplius* i. e. excellentius *et perfectius tabernaculum, non manufactum* (2): non fabricatum manibus hominum artificum ut tabernaculum veteris Fœderis, *id est non hujus creationis* seu non pertinens ad hanc creationem materialem et visibilem. Tabernaculum hoc per quod Christus pertransiit non intelligitur corpus Christi in cruce oblatum (3), neque cœlum inferius, æreum et stellatum, quod juxta narrationem Gen. I ad « hanc creationem » pertinet, sed cœlum empyreum in quo Deus speciali modo habitat quodque huic creationi præsupponitur.

12. *Neque (introivit) per sanguinem:* διὰ: hîc instrumentaliter sumendum sc. pontifici aditus in Sanctum patebat mediante sanguine seu quatenus illuc sanguinem victimarum inferre debebat. *Hircorum aut* (καί: et) *vitulorum:* legalis pontifex quotannis (v. 7) in magno die expiationis, cum sanguine hirci et vituli prius immolatorum (4), Sanctum ingrediebatur *Lev.* XVI, 14 ss. *Sed per proprium sanguinem* in ara crucis effusum *in-*

---

(1) Itâ B, D, *It.*, *Syr.*, LACHMANN, WESTCOTT-HORT, TREGELLES, WEISS, NESTLE etc.

(2) Cf. VIII, 5; *Act.* VII, 48; XVII, 24.

(3) Nam, ut ait VAN STEENKISTE, *o. c., h. l.*, « huic sententiæ obstat 1° quod corpus Christi comparetur cum *velamine* X, 20, non autum cum priore parte Tabernaculi; 2° deinde v. 12 esset inanis repetitio; 3° tandem locus per quem transiit summus sacerdos, ut in Sanctum-Sanctorum intraret, minus apte videtur conferri cum corpore mortali per quod transiit Christus ut in summum cœlum perveniret. » Neque ullo modo innuitur auctorem de transitu quodam morali seu metaphorico loqui, cùm potius transitum physicum omnia inculcare videantur.

(4) Juxta *Lev.* XVI. 5 ss. vitulus pro peccatis pontificis ejusque familiæ immolabatur, hircus verò pro peccatis populi.

troivit semel ἐφάπαξ opponitur « semel in anno » v. 7, adeoque significat : semel pro semper ; *in Sancta* εἰς τὰ ἅγια ut VIII, 2 et IX, 8 Sanctuarium proprie dictum seu intimum cœlum empyreum designat, cujus Sanctum-Sanctorum Tabernaculi fœderis typus ac figura fuerat. Intelligit ergo auctor ipsum Dei thronum in cœlo empyreo cogitatum. Eodem modo IV, 14 Jesus dicitur *cœlos penetrasse,* et VII, 26 *excelsior cœlis factus* esse, atque *Eph.* IV, 10 super *omnes cœlos ascendisse.* Tabernaculum igitur V. T. typus erat Tabernaculi cœlestis seu domus Dei proprie dictæ : pars anterior Tabernaculi seu Sanctum ipsum cœlum empyreum, Sanctum-Sanctorum seu Tabernaculi pars intimior intimiorem cœli partem seu thronum Dei præfigurabat. — *Æterna redemptione inventa*, gr. εὑράμενος : postquam æternam redemptionem invenisset, attulisset. *Redemptio* λύτρωσις i. e. liberatio a peccatis eorumque pœnis dicitur *æterna* ratione efficaciæ, utpote semper valitura et nunquam postea iteranda (v. *semel*).

13. *Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis :* 14 *quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi ?*

Probat *(enim)* sacrificio Christi cruento tantam fuisse efficaciam ut Redemptionem mundi *æternam* perfecerit (v. 12) : id autem duplici argumento *a minori ad majus* demonstrat. Si sanguis animalium purificat, multo magis purificat sanguis Christi (v. 13) ; et si ille confert munditiem legalem, majorem confert sanguis Christi, sc. justitiam internam (v. 14) (1). *Si enim sanguis hircorum et taurorum* (vitulorum masculorum) in sacrificiis expiatoriis a pontifice in Sanctum-Sanctorum illatus, *et*

(1) Cf. CEULEMANS, *Commentarius in epistolas S. Pauli.* T. II, Mechliniæ 1902, p. 290.

similiter *cinis vitulæ* seu vaccæ rufæ aquâ mixtus (1), dum aspergitur in eos qui *inquinati* sunt immunditia legali, speciatim propter tactum cadaver hominis, *sanctificat* eos sanctitate externa et legali *(ad emundationem carnis)* quatenus eos communitatem filiorum Israel, Deo consecratorum, redintegrare facit (2); *quanto magis,* utique infinite magis *sanguis Christi,* Messiæ promissi, Filii Dei (IV, 14)... *emundabit... Qui per Spiritum sanctum* gr. διὰ πνεύματος αἰωνίου: qui per Spiritum suum (3) æternum *semetipsum* ut victimam sacrificalem *immaculatam* i. e. immunem ab omni labe peccati (4) in morte cruenta *obtulit. Emundabit* seu purificabit nos, non purificatione mere legali et externa sed ipsam *conscientiam* seu animam *nostram* (opponitur verbis v. 12: ad emundationem carnis) *ab operibus mortuis* i. e. mortiferis (VI, 1; IX, 9), seu peccatis, animam vita supernaturali, divina privantibus.

Sicut contactus corporis mortui immunditiem externam et legalem, propitiatorio sacrificio auferendam causabat (*Num.* XIX, 11-16),ità opera *mortifera* peccatorum maculam moralem reitatis conscientiis hominum inusserant, quam sacrificia veteris Legis auferre non poterant (IX, 9), cùm nullam sanctitatem internam conferrent, sed a qua sacrificium Christi propitiatorium ex opere operato animas mundavit. *Ad serviendum Deo viventi:* hoc sacrificio Christi a peccati macula mundati seu, ut ait S. Paulus « tanquam ex mortuis viventes »

---

(1) Cf. *Num.* XIX, 2 ss.

(2) Cf. *Num.* XIX, 11 ss.

(3) Quæ interpretatio multo probabilior est hâc: qui per Spiritum æternum sanctum, seu impellente Spiritu sancto etc. Verbo enim αἰωνίου *(æternum)* ratio redditur quomodo Christus, in ara crucis mactatus (v. 12), nihilominus ut pontifex sacrificium offerre atque Sanctum-Sanctorum ingredi potuerit: ratio est ejus æternitas seu divinitas.

(4) Quæ immunitas Christi ab omni labe peccati præfigurabatur per immunitatem victimarum V. T. ab omni defectu corporali. Cf. *I Pet.* I, 19; *Lev.* XXII, 21. Christus nulla expiatione pro seipso egens, totam expiationem nobis promeruit.

effecti (1), deinceps non operibus mortuis, sed *Deo viventi,* servire debemus (2).

III. **Paraphrasis.** 11. *Christus* (Messias) autem, cùm prodiisset ut *pontifex* et collator *bonorum* novæ Legis, (oblato suo sacrificio in ara crucis), transivit *per tabernaculum* excellentius *et perfectius* tabernaculo Mosaico, non hominum *manu factum, id est,* non pertinens ad hanc materialem creationem, sc. transivit per cœlum supremum usque ad ipsum thronum Dei. 12 *Neque introivit* in Sanctum-Sanctorum secum ferens *sanguinem hircorum* et *vitulorum* (ut pontifex V. T. singulo anno in magno die expiationis faciebat), *sed per proprium sanguinem* in ara crucis effusum *(introivit)* semel pro semper *in Sancta*-Sanctorum cœlestia, operatus redemptionem a peccatis perpetuo valituram. 13 *Si enim sanguis* hirci et vituli a pontifice in Sanctissimum illatus, *et* similiter combustæ vaccæ rufæ *cinis* aqua mixtus, dum aspergitur in *inquinatos* legali immunditia, eos *sanctificat* sanctitate externa et legali: 14 *quanto magis sanguis Christi,* Filii Dei, *qui per Spiritum* suum æternum *semetipsum,* ab omni labe peccati *immaculatum,* in cruce *obtulit Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus* mortiferis peccatorum, ut deinceps viventes vita gratiæ serviamus *Deo viventi?*

A. Camerlynck.

II

Q. *An et cur admittenda est in Christo, a primo instanti suæ incarnationis, visio Dei intuitiva?*

R. I. **Prænotanda.** 1. In præcedenti responsione, v. suprà, p. 349, diximus in Christo admittendam esse cognitionem humanæ naturæ indebitam: hoc ex ipsa

(1) *Rom.* VI, 13.

(2) Cf. B. Weiss, *Der Brief an die Hebraeer,* Göttingen 1897, *h. l.*; Farrar, *The epistle of Paul the Apostle to the Hebrews,* Cambridge, 1902, *h. l.*

Christi vita constat. Nec putet quis talem cognitionem non haberi in ipsa *humana* Christi natura, per creatam cognitionem, sed sufficere divinam cognitionem quam ut Deus habebat Christus: nam repugnat omnino ut intellectus humanus Christi nihil intellexisset quando ipse Christus, humano loquens sermone proponebat illa objecta cognitionis indebitæ naturæ humanæ, repugnat ut humana Christi natura se haberet tamquam machinam quæ mere proferret verba et voces. « Numquid homo Jesus, quem solum enarrantem homines audierunt, erat instrumentum cognitionis expers, per quod Deus loquebatur, sicut poterat loqui per quodlibet instrumentum inanimum? Si ita est, Jesus ut nuntius rerum divinarum minorem perfectionem habuit quam Moyses et alii prophetæ, qui loquebantur ea quæ prius revelatione cognoverant... Quia igitur Jesus qua homo nuntiabat, etiam qua homo videre debebat quidquid annuntiabat: Quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur (1). Loquitur autem ut homo, ergo etiam scit et videt ut homo. Jamvero per divinam cognitionem anima Christi formaliter nihil scit. Ergo præter divinam cognitionem in Christo erat humana quoque visio rerum divinarum » (2).

Inquirimus nunc de *specie* cognitionis qua *habitualiter* illa cognoverit Christus in humano suo intellectu: dico *habitualiter,* quia tota Christi agendi ratio, prouti elucet in Evangelio, ostendit *habitualem* fuisse in Ipso cognitionem de rebus quæ transcendunt captum naturalem hominis.

2. Visionem beatificam fuisse in humana Christi natura, a primo incarnationis instanti, non habetur in definitionibus Ecclesiæ, nec etiam demonstrari potest ex S. Scriptura (3), nec explicite continetur in scriptis

---

(1) Jo. III, 11.

(2) Pesch, *Tractatus dogmatici,* Friburgi Br. 1896, T. IV, n. 245; cf. Fei, *Theologia dogmatica,* Taurini 1904, Vol. III, n. 64.

(3) Quidam, ut ex S. Scriptura visionem beatificam in Christo demon-

plerorumque saltem Patrum (1) licet hi excellentiam scientiæ Christi extollant. Illa tamen assertio, a tempore Scholasticorum, communis est doctrina theologorum, et a plerisque tamquam theologice certa habetur (2).

II. Demonstratur visionem beatificam in Christo fuisse a primo instanti incarnationis.

1. Anima Christi, per ipsam unionem hypostaticam, propinquissime Deo conjungebatur secundum *esse:* inde exigebatur ut redderetur, perfectissimo modo, *deiformis,* ut sic posset *operari* modo convenienti tali unioni cum Deo: jamvero præcipua humanæ naturæ operatio est intellectualis cognitio: oportebat igitur ut humanus Christi intellectus perfectissimam speciem cognitionis de Deo haberet quam possibile est haberi: hæc autem est visio beatifica (3). — Quum autem ratio habendi hanc visionem sit ipsa unio hypostatica, sequitur hanc visionem collatam fuisse Christo a primo instanti incarnationis.

2. Humana natura a Verbo assumpta est tamquam *instrumentum* conjunctum divinitatis ut operaretur salutem generis humani, et hominibus, nisi ipsi obstaculum opponerent, *conferret visionem beatificam;* quum autem illa causa instrumentalis capax esset possidendi hanc perfectionem, debebat ergo possidere illam ut in ipsa plene verificaretur ratio *causæ* instrumentalis e cujus

---

strent, afferunt hoc testimonium. « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo ». Jo. III, 13. Ex his verbis thesim non posse demonstrari censemus. Cf. *Collat. Brug.*, T. IV, p. 323; PESCH, o. c., n. 247; JANSSENS, *De Deo-homine,* P. I, Friburgi Br. 1901, p. 410 s.

(1) Cf. PETAVIUS, *De Incarnatione,* L. XI, c. 4; EINIG, *De Verbo Incarnato,* Treveris, 1899, p. 97.

(2) Cf. MELCHIOR CANUS, *De locis theologicis,* L. XII, c. 14 — Edit. Romæ, 1900, T. III, L. XII, c. 12, p. 165; JUNGMANN, *De Verbo Incarnato,* n. 244; PESCH, *o. c.,* n. 252; EINIG, *o. c.,* p. 91; JANSSENS, *o. c.,* p. 411.

(3) Cf. S. BONAVENTURA, in III, D. XIII, a. 1, q. 3; D. XIV, a. 1, q. 1; S. THOMAS, *Compendium theologiæ,* c. 216; BILLOT, *De Verbo Incarnato,* Romæ, 1900, p. 204.

plenitudine alii reciperent perfectionem. Præterea : « Advenerat Christus inter nos excellentissimus testis divinæ veritatis, itemque perfectissimus dux hominum ad beatitudinem, et consummatus præceptor sanctitatis. Sed ad excellentissimum veritatis testem pertinet ut de visu testificetur, et ad perfectissimum ducem ut terminum quo alios ducturus est perfectissime cognoscat » (1). Ergo.

3. Debebat Christus ut homo scire se esse Deum ; atqui hoc scire potest vel per fidem, vel per visionem beatificam, non aliter, uti suprà, p. 245, demonstravimus ; jamvero inconveniens est ut Christus tantum *fide* sciat se esse Deum ; ergo requiritur in Christo visio beatifica. — Quod Christo indecens sit se *fide* tantum scire se esse Deum patet ex hoc quod fides est cognitio genere suo valde imperfecta quum per hanc non habeatur intrinseca rei evidentia et quum dependeat ab imperio voluntatis. Unde si Christus non habuisset visionem beatificam, quando prima vice propositum fuisset ipsi credendum *se esse Deum,* potuisset, saltem aliquo momento, timere ne esset alicujus illusionis victima, eo vel magis quod ageretur de re omnino extraordinaria, et consequenter potuisset Christus nolle credere se esse Deum !

Requiritur ergo in Christo visio beatifica, et quidem a primo Incarnationis instanti, ne intellectus ejus humanus unquam sit in nescientia tanti mysterii, tantæque sui ipsius dignitatis.

Nota. Argumenta quæ attulimus constituuntur *rationibus convenientiæ*, sed tales sunt ut appareat *positiva inconvenientia* negationis rei quam ut convenientem ostendunt. Quam considerationem bene exponit Melchior Canus, o. c., p. 174 : « Sane argumenta quæ confirmant esse quidquam in religione nostra congruens et decens, ea omnino bipartita sunt. Quæ-

(1) Billot, *o. c.*, p. 203. Cf. S. Thomas, III, Q. IX, a. 2 ; Cajetanus in h. l.

dam enim sunt ejusmodi, ut etiam si non exstitisset ea res, quæ probanda sumitur, nihil tamen inconsentaneum emergeret, ut cum theologi ostendunt decuisse ut Deus, ad reparandum humanum genus, carnem sumeret; utque ex Divinis Personis filius is esset, decuisse; ceteraque id genus plurima: quæ decentia fuisse vel maxime theologus probat quidem; sed quando alia Deus remedia peccato nostro parasset, quæ innumera sine dubio potuit, nullum rationis incommodum, nihil Deo indecorum haberetur. Talia vero argumenta nil profecto in theologia demonstrant, sed solum explicant, id quod fide credimus, congruentissimum Deo nobisque fuisse. Altera argumenta sunt, quæ ita monstrant quidquam consentaneum esse, ut nisi res sic habeat, aliquid semper emergat, quod nullo modo aut divinæ naturæ aut rationi humanæ consentiens videatur. Ut Divam Virginem intactam exstitisse post partum, Scriptura Sacra in sensu litterali nusquam forsan edocuit. Id tradit aperte in conceptu et partu virginem exstitisse. Sed quoniam indecens Virgini erat, ut integritatem tam singulari et miraculo et mysterio conservatam ipsa postea volens, ut dicitur, et prudens labefaceret, et quæ præter naturæ ordinem incorrupta permanserat, eadem se exponeret corruptori; adeo fidelium animis inhæsit perpetuæ hujus virginitatis firma sententia, ut etiam si nulla fuisset apostolica traditio, ea tamen ratio esset idonea ad faciendam fidem iis qui non ad contentionem informati, sed ad disciplinam sunt vel mediocriter instituti. Nec aliter ego puto in præsenti quæstione philosophandum. Cum enim ostendimus non decere ut Verbum Dei animam intellectualem imperfectam scientiaque ac sapientia vacuam assumeret, causam nos obtinuisse arbitramur. Quia res contraria scilicet adeo indigna Verbi sapientia et providentia est ut ne verosimilis fiat quidem, si de unione personali Verbi et animæ recte sentimus ».

J. Van der Meersch.

III

Q. *Determina præceptum ecclesiasticum annuæ confessionis, exponendo quosnam et quandonam urgeat.*

Respondetur.

I/ **Subjectum** *obligationis.*

Per se et ratione sui urget præceptum ecclesiasticum confessionis annuæ (1) omnes et solos fideles:

1°/ *septennes rationis usum adeptos.* Nimirum sententia est tum extrinsecè tum intrinsecè probabilis, adeoque practice tuta, pueros ante septennium ratione utentes non subesse legibus Ecclesiæ, cum Ecclesia censeatur attendere communiter contingentia, juxta quæ septennium est ætas qua passim usus rationis acquiri videtur (2). Cf. Ill. WAFFELAERT, *De dubio solvendo,* n. 308, VAN DEN BERGHE, *De Legibus,* n. 104, et AA. ibidem citatos.

Expleto septennio præsumitur sufficiens rationis usus et in nostris regionibus adesse solet. Ad quem rationis usum sufficit ut distinguere possit puer inter bonum et malum morale, evaseritque capax peccandi mortaliter, ac simul aliquam sacramenti notitiam acquisierit. Non igitur talis ac tanta postulatur discretio qualis communiter exigitur pro communione, licet in tenore decreti Lateranensis non occurrat, pro necessaria discretione,

---

(1) Decretum *Concilii Lateranensis IV*, anno 1225, Innocentio III Pontifice, celebrati: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, duxerit abstinendum ». Cf. Concil. Tridentinum, Sess XIV, cap. 5.

(2) Pueri quorum ratio septennium prævenit obnoxii sunt præcepto juris divini confessionem urgenti in articulo mortis; lex enim divina, secus ac lex humana, attingit directe individua singillatim. Extra autem articulum mortis jus divinum non imponit confessionem, nisi infra limites statutos ab Ecclesia, dictum jus divinum interpretante ac determinante.

distinctio inter susceptionem Eucharistiæ et sacramenti Pœnitentiæ: differentia namque sponte oritur ex subjecta materia, quatenus sacramentum Eucharistiæ, ut rite cognosci et suscipi valeat, majorem expostulat rationis evolutionem; cæterum eucharisticæ mensæ participatio potest, vi ipsius decreti conciliaris, de judicio proprii sacerdotis, differri.

2°/ *gravis peccati conscios;*

Ad minus probabile est ac proinde practice tutum fideles, sola habentes venialia, præcepto confessionis ecclesiastico non adstringi. Argumenta sunt:

a/ Concilii Lateranensis præceptum determinativum est juris divini, uti aperte docet Concilium Tridentinum, Sess. XIV, cap. 5: « Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit ut Christi fideles confiterentur, *quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat;* sed ut præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, quum ad annos discretionis pervenissent, impleretur ».

Atqui vi juris divini non coguntur confiteri nisi soli peccati lethalis rei, uti constat ex eodem Conc. Tridentino, l. c.: « Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quanquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt ». Ergo decretum Lateranense non urget nisi graviter noxios (1).

b/ Confirmatur ex ipso tenore Concilii Lateranensis, quatenus exigit accusationem integram *omnium* pecca-

---

(1) Nota non argui ex eo quod Ecclesia non posset imponere confessionem venialium, saltem quorumdam, licet jure divino non necessariam, sed ex facto quod Ecclesia reipsa hujusmodi confessionem non exigat. Cf. Billuart, *Summa S. Thomæ, Tract. de Sacr. Pœnit.*, Diss. V, art. 2°. Attende etiam ad obligationem supponi peccati mortalis *conscientiam*, et hoc sensu intelligi peccati noxios: conscientia autem excludit dubium probabile.

torum, quæ integritas non requiritur nisi pro peccatis lethalibus dumtaxat.

c/ Confirmatur ex doctrina laudati Concilii Tridentini, l. c.: « Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut.... ea peccata confiteantur, quibus se Dominum et Deum suum *mortaliter* offendisse meminerint ».

Liberam et insolutam reliquit hanc controversiam Benedictus XIV, in Bulla *Inter præteritos,* n. 77 (1).

Dictum est « per se et ratione sui » : *ratione sui,* ut indicetur confessionem esse ab Ecclesia præceptam *propter ipsam confessionem,* et non tantùm ratione instituendæ communionis vel alterius circumstantiæ, adeoque illud præscriptum attingere etiam non communicantes; *per se,* ut innuatur posse fieri ut *per accidens* exsurgat obligatio aliunde, puta ut vitetur scandalum, et ita posset aliquis non mortaliter reus obligari ad confitendum vel saltem ad confessarium adeundum, ne scandalizet ac offendat populum fidelem (2).

Ulterius autem notetur quod, si a parocho determinatè imponi nequeat confessio venialiter tantùm peccantibus, non tamen imprudenter est proclamandum hujusmodi fideles per se esse a lege confessionis exemptos, imo « non expedit, quemadmodum monet THEOL. MECHLIN., *Tractat. de Sacr. Pœnit.*, n. 47, in catechismis aut concionibus hujus controversiæ mentionem facere, quia id facilè pios offendere posset, tepidis vero et iniquis ansam præbere eludendi monita pastorum ».

---

(1) *Parvum Bullarium,* VIII, p. 136.

(2) Ita S. THOMAS, *Suppl.*, qu. VI, art. 2, ad 3m: « Potest dici, secundum quosdam, quod .. non obligantur nisi illi qui habent peccata mortalia; quod patet ex hoc quod dicit (Decretalis) quod debent omnia peccata confiteri: quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus omnia confiteri potest, et secundum hoc ille qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit ad præceptum Ecclesiæ implendum, ut se sacerdoti repræsentet, et se ostendat absque conscientia mortalis esse; et hoc ei pro confessione reputatur ». Cf. etiam textum *Alani ab Insulis,* apud KIRSCH, *Zur geschichte der katholischen Beichte,* Würzburg, 1902, p. 181-182.

II. **Tempus** *obligationis.*

Ex præcepto ecclesiastico instituenda est confessio *singulo* saltem *anno.* Hunc autem annum, infra quem confitendum est, alii intelligunt de anno civili, alii de anno paschali, ita ut, juxta priores, confessio urgeat peragenda a 1ª Januarii ad 31ᵐ Decembris, juxta posteriores, a Paschate ad Pascha (1).

Jamvero videtur potius dicendum annum intelligi *indeterminatum,* adeo ut, *solo attento præcepto confessionis*, requiratur et sufficiat quod inter successivas confessiones non interponatur majus temporis spatium quam duodecim moraliter mensium, quin ulli fixo tempori alligetur confessio annua.

Qui obvius legis conceptus conformior videtur menti Ecclesiæ ac legis tenori, in quo, secus ac pro communione, omnis deest determinatio.

Exinde etiam sequitur peccatorem qui anni spatium excessit inde ab ultima confessione bona (2), teneri ut quamprimum confiteatur, illum vero qui prævidet impedimentum circa finem duodecimi mensis occursurum, ad hoc obligari ut confessionem præoccupet: cum enim nulli fixo tempori alligetur, semper currit tempus utile pro adimplendo præcepto.

Dicitur: « *solo attento præcepto confessionis* », quia pro illis qui simul obnoxii sunt præcepto communionis, cum ex una parte lex communionis determinato connectatur tempori (3), et ex alia parte graviter noxii debeant confessionem præmittere communioni, per accidens et e consequenti ipsa confessio aliquo modo

---

(1) Sic intellecto anno confessionis, posset confessus 1ª Januarii anni 1905, differre alteram confessionem usque ad 31ᵐ Decembris 1906; confessus in Paschate anni 1905, confessionem procrastinare usque ad sabbatum ante Dominicam Palmarum anni 1907.

(2) Confessio sacrilega non est legis impletiva, juxta 14ᵐ propositionem ab Alexandro VII damnatam, 24 Sept. 1665.

(3) Tempus determinatum pro communione paschali est quindena circa Pascha, pro communione annua, annus decurrens a Dominica Palmarum ad Dominicam Palmarum. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, 282 ss.

determinatum sequitur tempus, tempus nempe pro communione statutum. Unde fideles passim utrumque præceptum simul adimplent et per quindenam paschalem confitentur et communicant, quasi similes et eodem tempore urgentes essent leges; reipsa tamen non sunt ejusdem conditionis, ac utrumque præceptum suum servat proprium objectum ac propriam indolem (1).

Nota. Immerito contendunt nonnulli acatholici consuetudinem ac obligationem confessionis a Concilio Lateranensi primitus esse introductam. Et sane constat diu ante sæculum 13m usum viguisse in Ecclesia confessionis semel imo pluries per annum instituendæ, ejusque obligationem fuisse admissam (2), adeo ut Innocentius III jus vigens mere consecraverit et solemni ac universali decreto pro universa Ecclesia sancierit. Quod agnoscit *Realencyklopädie f. prot. Theologie und Kirche,* II, Vo *Beichte*, p. 535: « Das neue war das der häufig bestehende brauch zum unbedigten kirchegesetz erhoben wurde ».

IV

Q. Expone significationem et efficaciam 1/ formulæ absolutionis a censuris absolutioni sacramentali præmittendæ; 2/ formulæ « Passio Domini nostri Jesu-Christi », absolutioni sacramentali subjungendæ.

Respondetur.

I/ Absolutio prævia a censuris.

1o/ Absolutioni sacramentali a peccatis jubetur præmitti absolutionem a censuris, seu a vinculo excommu-

(1) Ita potest confessio institui ante Dominicam Palmarum ac est impletiva præcepti, non autem communio; item, si ante inchoatum tempus paschale impedimentum prævidetur postea implendi præceptum confessionis et communionis, præoccupanda est confessio non vero necessario communio, cum pro illa sola currat tempus præcepti. Cf. *Collat. Brug.*, l. c.

(2) Testimonia ac documenta id attestantia exhibet Kirsch, *o. c.* pp. 160-185.

nicationis, suspensionis (1), et interdicti, duplici, uti videtur de ratione:

a/ ne ob censuræ præsentiam illicita reddatur sacramenti Pœnitentiæ susceptio;

b/ quia convenit ut pœnitens, priusquam nomine Ecclesiæ a peccatis absolvatur, cum ipsa eadem Ecclesia reconcilietur.

Altera ratio spectat triplicem censuræ speciem modò enumeratam; prior vero ratio solam afficit excommunicationem ac interdictum specialiter et personaliter latum: hæ namque censuræ, eæque solæ, sub gravi prohibent a sacramento Pœnitentiæ suscipiendo (2).

2°/ Quoad *effectum* descriptæ formulæ absolutionis, debita cum intentione prolatæ:

a/ aufert censuram, si quæ sit, nemini reservatam;

b/ aufert censuram etiam reservatam, a qua confessarius specialem habet facultatem;

c/ aufert, etiam seclusa peculiari facultate, censuram reservatam, in variis casibus in quibus, vi juris dispositionis, potest communis confessarius absolvere a censuris reservatis, salvis cautelis observandis (3).

---

(1) Omittitur vox « suspensionis » quotiescumque pœnitens est laicus, quia solus clericus obnoxius esse potest suspensioni, quippe quæ consistit in privatione usus juris vel ministerii clericalis. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jus canon.*, II, n. 1425.

(2) *Excommunicatio* graviter illicitam reddit sacramenti Pœnitentiæ susceptionem, sed eam non reddit irritam nisi per accidens et indirecte, ratione malæ dispositionis pœnitentis, qui, conscius gravis prohibitionis, illicite accederet ad sacramentum; *suspensio* privat tantùm *activo* usu rerum sacrarum, non usu *passivo* seu susceptione; quare nulla suspensio obstat quonimus sacramenta suscipiantur; tandem *interdictum* non prohibet a suscipiendo sacramento Pœnitentiæ, nisi specialiter et personaliter fuerit latum. Cf. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, II, nn. 897-898, 900 et 908; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nn. 1413 et 1433.

(3) Hæc signanter obtinent in articulo mortis, in quo nulla datur reservatio, et a quibusvis censuris absolvere valet communis confessarius, onere tamen imposito pœnitenti recurrendi Romam quotiescumque absolutus fuerit a censuris specialiter reservatis S. Pontifici; pariter absolvi possunt censuræ S. Pontifici reservatæ in casibus urgentioribus, in quibus absolutio differri nequit quin periculum exoriatur scandali vel

d/ extra delineatos limites, censuras sacramentalem absolutionem prohibentes aufert *ad effectum:* nimirum, si contingat pœnitentem inscienter (1) subesse hujusmodi censuræ, a qua confessarius, neque ratione specialis facultatis neque vi dispositionis juris, absolvere valet, absolutio illa efficit ut, non obstante censura, sacramentum Pœnitentiæ hic et nunc licite suscipiatur, sublata nempe, in ordine ad hujus absolutionis sacramentalis consecutionem, prohibitione lata: manet autem ipsa censura, eaque innodatus manet pœnitens. Attento hoc effectu sub d/ vocatur absolutio illa a censuris absolutio *ad effectum* vel *ad cautelam.*

II/ **Formula « Passio Domini... »**

1°/ Est formula deprecantis a/ ut opera bona a pœnitente in posterum præstanda ipsi prosint tum in remissionem peccatorum, scil. ut, in quantum satisfactoria sunt, relaxent *pœnas temporales* peccatis quoad culpam remissis debitas; tum in augmentum gratiæ et gloriæ correspondentis, quatenus opera bona, qua meritoria sunt, obtineant gratiæ et gloriæ incrementum;

b/ ut superabundantes satisfactiones Christi patientis et morientis, necnon B. M. Virginis et omnium sanctorum (2), pœnitenti applicentur in relaxationem pœnæ residuæ.

Hic sensus videtur nunc ab Ecclesia intendi sub hac formula; non est tamen improbabile quod olim, salva tenoris immutatione, simpliciter constituerit precem postulantem sanctionem divinam absolutionis peccatorum, sicut notabimus de *Indulg.* et *Misereatur;* imo,

---

infamiæ, vel quin durum sit pœnitenti remanere in peccato mortali, salvo onere imponendo recurrendi ad S. Sedem, etiam pro censuris simpliciter reservatis.

(1) Si pœnitens conscius esset censuræ qua innodatur, et a qua ad normam dictorum absolvi nequeat, vel si confessarius sciret pœnitentem hujusmodi censuræ subjacere, non posset sacerdos eum ad confessionem admittere antequam opportunam facultatem a censuris obtinuerit.

(2) *Merita* hic sumuntur pro bonis operibus a sanctis præstitis, *qua satisfactoriis.*

uti sub responso ad V^m Qu. dicetur, est possibile quod etiam in illa formula, sicut in *Miser.* et *Indulg.* vestigium reperiatur ipsius absolutionis deprecatoriæ.

2°/ Huic formulæ deprecatoriæ ex se (1) aliam efficaciam non agnoscimus quam meræ apprecationis, nomine Ecclesiæ factæ, coram Deo, ut dignetur satisfactiones Christi et sanctorum necnon bona opera pœnitentis in descriptos respective effectus applicare et benigne accipere (2).

Non videntur proinde audiendi Auctores qui, cum S. Thoma (3) et S. Alph. (4), aliisque ibidem citatis, censent illam esse formulam *sacramentalem*, eamque sacramentaliter et ex opere operato elevare opera pœnitentis in titulum et jus ad pœnæ relaxationem, quemadmodum, apud *Collat. Brug.*, t. IV, 647, vidimus fieri pro satisfactione sacramentali. Et sane, uti arguit De Lugo, *De Sacramento Pœnitentiæ*, Disput. XXV, n. 56, « ex se videtur esse parum credibile quod per illa verba generalia, omnia opera pœnitentis maneant sacramentalia »; insuper pari ratione sacramentaliter elevanda forent merita B. M. Virginis et omnium sanctorum; non jam esset locus imponendæ pœnitentiæ speciali, cum omnia opera bona a pœnitente exequenda ipsi essent pro satisfactione sacramentali; tandem, si tantæ efficaciæ esset illa formula, non intelligeretur quomodo adeo facilè omitti permittatur ab Ecclesia, uti ex mox dicendis liquebit.

Nota. 1°/ Juxta *Rit. Rom.*, Tit. III, cap. 2, in confessionibus *brevioribus et frequentioribus* potest præ-

---

(1) Supponimus confessarium se conformare intentioni Ecclesiæ, illamque formulam peculiari privata intentione non dirigere in hoc ut per eam pœnitentis opera eleventur in satisfactionem sacramentalem.

(2) Eodem modo *Misereatur* et *Indulgentiam*, precem constituunt nomine Ecclesiæ factam qua duplici prece sollicitatur ut Deus confirmet sententiam absolutionis a sacerdote dandam.

(3) *Quodlib.*, III, art. 28 : « talis satisfactio est sacramentalis in quantum virtute clavium est culpæ commissæ expiativa ».

(4) l. VI, n. 507.

termitti formula *Passio Domini,* sicut etiam *Misereatur* et *Indulgentiam.* Quam *frequentiam* multi intelligunt de frequenti copia ad confessionem accedentium, seu de magno numero pœnitentium, quatenus in hoc ratio ipsis appareat expeditiorem formulam usurpandi (1).

Atvero, præterquam quod ipsa vox, in qua constructione adhibetur, favet alteri significationi de confessione *sæpius instituta,* aptius etiam convenit hic sensus cum voce « brevioribus » (2), cum qua sociatur; insuper, et hoc potissimum, videtur hæc dispositio Ritualis ab antiqua consuetudine dimanasse : notat enim Martène (3) olim breviores ordines fuisse adhibitos in quotidianis confessionibus, quales erant monachorum. Cf. CHARDON, *Histoire des Sacrements,* Parisiis, 1745, t. II, p. 527-529. Ita etiam intellixisse censetur *Pastorale Brugense,* p. 57 : « In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus, *item* in magno pœnitentium concursu, omitti potest... ».

Porro in urgenti mortis periculo potest omitti etiam descripta formula absolutionis a censuris, unice adhibita brevissima forma sequenti : « Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ».

2°/ Juxta idem *Rit. Rom.,* l. c., inde ab *Indulgentiam* (4), cum formula utriusque absolutionis a censuris et a peccatis, tenenda est dextera confessariis versus pœnitentem elevata ; in qua manus elevatione vestigium reperiendum videtur impositionis manus quæ olim fuit in usu in reconciliatione pœnitentis, imo, juxta nonnullos, in pœnitentiæ impositione, necnon in decursu

---

(1) Aliunde, saltem ex epikeia, possent illæ formulæ omitti in magno pœnitentium concursu; sed hic agitur utrum id possit fieri vi tenoris Rit. Rom.

(2) *Breviores* confessiones intelliguntur *leviores.*

(3) *De Antiquis Ecclesiæ Ritibus,* tom. II, p. 78, in nota.

(4) In *Pastorali Brugensi,* p. 56, non præscribebatur manus elevatio nisi inde a verbis « Dominus noster Jesus Christus ».

pœnitentiæ temporis. De qua re cf. CHARDON, o. c., t. IV, p. 66-68; PROBST, *Sacramente und sacramentalien*, Tubingen, 1872, p. 361 ss.; *Dictionnaire de Theologie*, V° *Absolution*, col. 158; DUCHESNE, *Origines du culte chrétien*, 1902, p. 437; *Nederl. kathol. stemmen*, 1905, p. 345 et ss.

V

Q. *Quanam ratione formam absolutionis sacramentalis oportet esse indicativam et non deprecatoriam?*

Respondetur.

Sola attenta natura sacramenti Pœnitentiæ, non refert ad valorem absolutionis utrum proferatur in forma deprecatoria an vero in forma indicativa seu assertiva, modò æquivalenter referat sententiam judicialem.

Explicatio. I/ Sacramentum Pœnitentiæ institutum est in modum judicii, ac proinde essentialiter requiritur ut confessarius judicem agat ac sententiam judicialem pronuntiet super pœnitente reo.

Porro sedulò notandum est confessarium non existere judicem independentem ac supremum, sed in suo munere ministerialiter tantùm agere ac dependenter a suprema sententia divina, a qua ipsius sententia confirmetur oportet.

Inde sequitur oportere quidem ut absolutio detur per modum judicialis sententiæ, congrue tamen in ejus tenore inseri aut ipsi conjungi deprecationem coram Deo factam ut condonatio, per os sacerdotis judicialiter data, a Deo confirmetur ac executioni mandetur; imo non officit quominus ipsa formula absolutionis super pœnitente pronuntianda sit formula deprecantis a Deo veniam et remissionem peccatorum: sufficit ut ex verbis, puta ex inserta mentione ministerii sacerdotalis seu potestatis clavium, vel saltem ex adjunctis, pateat per eam verum exerceri judicium sacramentale.

Jamvero hujusmodi adjuncta præsto sunt ac obvia,

ac ex eis sponte apparet illam deprecationem præsupponere sententiam sacerdotis absolutoriam, eamque non fieri nisi in executionem sententiæ judicialiter latæ, petitione ad Deum inducta ut sententiam sacerdotis suprema sua sanctione obfirmare dignetur: et sane nisi, excepta confessione et cognita causa, pœnitentem dignum judicaverit absolutionis, non sollicitaret confessarius divinam condonationem, adeoque deprecatio veniæ divinæ præsupponit ac implicite includit propriam sacerdotis eamque judicialem sententiam absolutionis.

Ipsa etiam confessio prævia pœnitentis, ac officium judicis quo noscitur fungi confessarius, sensum formulæ supplicantis determinant in æquivalentem sensum assertivum, ac efficiunt ut deprecatio sit vere potestativa. « Si enim proferatur, causa cognita, ab eo qui claves habet et judicis ministerialis agit personam juxta communem suæ ecclesiæ usum, æquipollet (formula deprecatoria) verbo indicativo: *ego te auctoritate Dei a peccatis tuis absolvo;* non enim absolvit Deus aut remittit nisi ministerio clavium, quarum sententia actu exercito assertive significatur ». Pari modo « formula benedictionis: *benedicat vos omnipotens Deus,* a simplici laico prolata nihil aliud contineret quam puram deprecationem; prolata vero a sacerdote, juxta consuetum Ecclesiæ ritum, hunc sensum in actu exercito habet: *ego vos auctoritate Dei omnipotentis benedico* ». Ita BILLOT, *De Sacramentis Ecclesiæ,* II, p. 42 (1).

---

(1) Cf. SASSE, *Institut. theol. de sacr. Ecclesiæ,* Friburgi, 1898, II, p. 205; DE SAN, *Tract. de Pœnitentia,* Brugis, 1899, nn. 406-408: « Falsum est dicere modo precativo dandi absolutionem non posse significari actualem usum potestatis judiciariæ, ac propterea modum hunc deprecativum essentialiter contrariari naturæ sententiæ judiciariæ. Falsitas quippe talis asserti apparet a/ ex eo quod absolutio a censuris, puta ab excommunicatione, est vere sententia judiciaria in foro ecclesiastico externo prolata, et tamen etiam in Ecclesia latina talis absolutio sæpe datur formula verborum deprecatoria. Itidem b/ si usus potestatis judiciariæ nequeat manifestari formula verborum precatoria; ergo neque usus alius potestatis tali formula significari potest, cum quoad hoc sit par ratio

Quibus attentis non est reformidanda conclusio historica ad quam, ex inspectis antiquis documentis, devenit Morinus (1), dissentientibus paucis (2), quasi ad sæculum 13m usque (3), in utraque Ecclesia, passim usurpata

---

omnis omnino potestatis; sed consequens apparet esse falsum in usu potestatis benedicendi: quando enim sacerdos vult uti tali potestate, indifferens est utrum dicat: *benedicat tibi Deus,* an: *ego tibi benedico* ».

(1) *Commentar. historicus de administratione pœnitentiæ*, l. VIII, cap. 8-12: « Formulam ordinariam absolutionis sive reconciliationis pœnitentium fuisse deprecatoriam, testantur quotquot hactenus legi, aut relata audivi, antiquitatis ecclesiasticæ monumenta ad annum usque salutis 1200... non te celabo, lector, me in uno aut altero antiquo Rituali... unam aut alteram formulam indicativam 10 aut 12 deprecatoriis permistam deprehendisse ». cap. 8, n. 1.

(2) Ita, inter alios, vim argumentationis Morini elevare conantur Sasse, o. c., p. 202 et ss ; et partim Probst, *Sacramente und sacramentalien*, p. 365: « Die beweise die Morinus für die deprecative form der absolution aus den ersten drei jahrhunderten aufführt, sind nach meinen ermessen nicht stichhaltig ».

Contrà, quoad factum historicum, Morinum potius sequuntur Martène, *De Antiquis Ecclesiæ ritibus*, l. V, c. VI, art. 5; Chardon, *Histoire des sacrements,* tom. IV, s. III, P. IV, chap. 1r; Vacandard, apud *Rev. du clergé frauç.*, tom. XVI (Sept. 1898), p. 10 et seq.; Vacant, apud *Dictionnaire de Théologie,* Vo *Absolution,* col. 244 et seq.; Boudinhon, apud *Revue d'hist. et de littér. relig.*, 1897, p. 511 et seq.; *Kirchenlexicon,* Vo Absolution; De San, o. c., n. 397; Billot, o. c., p. 42 et seq.; Palmieri, *Tractatus de Pœnitentia*, p. 127-141, in Parergon, qui ultimus Auctor, quoad quæstionem dogmaticam de valore absolutionis deprecatoria, anceps hæret, sub fine dissertationis, inquiens: « Quid ergo in nostra quæstione dicendum? Nos rem in medio relinquimus quamvis, ut quod est fateamur, verisimilior nobis appareat sententia affirmans sufficientiam formæ deprecativæ ».

Profectò, seposita quæstione quousque sese extenderit usus adhibendi formulam deprecatoriam, ægre videtur negandum eam olim multùm fuisse in usu, etiam in Ecclesia latina.

(3) Ita apud *Morinum,* o. c., l. VIII, cap. IX, n. 23 et 24, citantur documenta quibus manifeste ostenditur, ineunte sæculo 13io, usum formæ indicativæ nondum fuisse universim receptum. Circa illud autem tempus sensim subjuncta est formulæ precatoriæ forma assertiva, quæ brevi post prævaluit ac habita est, cum S. Thoma, tanquam sola valida, ita ut reliquæ formulæ reducerentur ad munus precum ritualium, quales nunc esse censentur.

Inde vides quomodo *Misereatur*, *Indulgentiam*, initium formulæ *Dominus Noster,* forsan etiam *Passio Domini*, ad nos pervenerint tanquam vestigia relicta absolutionum in forma deprecativa: habent nunc solam virtutem

fuerit formula deprecatoria, atque hodiedum in Ecclesia Orientali adhibeatur (1). Salvatur nimirum, ad normam dictorum, in illis formulis antiquis et modernis, essentialis forma judiciaria, idque non tantum in illis in quibus provocatur ad ministerium sacerdotis ejusque potestatem clavium (2), sed etiam in aliis, ubi horum mentio deest (3), uti cæteroquin, pro formula græca

---

orationis nomine Ecclesiæ factæ, uti sub responso ad IV Qu. vidimus, ac simul significant absolutionem a sacerdote non dari nisi ministerialiter tantùm ac remissionem pendere a Deo tanquam a causa principali. Cf. MARTÈNE, o. c., p. 75, 89 et 96. Circa transitum ab una formula ad alteram, cf. MORINUM, o. c., l. VIII, c. 8, n. 2; *Dictionnaire de Théologie*, l. c., col. 189; BOUDINHON, l. c., p. 512-513.

(1) « La forme *deprécative*... est encore employée par les grecs unis et non unis, par les coptes unis et non unis, par les nestoriens. — La forme absolue ou *indicative* est employée par... les différentes branches de syriens unis, par les arméniens unis et non unis, par les russes et les ruthènes ». *Dictionnaire de Theologie*, l. c., col. 244-245. Variæ autem formulæ in diversis illis ecclesiis usurpatæ latius describuntur ibidem, col. 200-214, collatis MORINO, o. c., in *Appendice*, et MARTÈNE, o. c., p. 100 et seq.

(2) Exemplum formulæ hujusmodi: « Adesto, Domine, supplicationibus nostris et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, et quem non electione meriti sed dono gratiæ tuæ constituisti *hujus operis ministrum*, da fiduciam tui muneris exequendi, et ipse *in nostro ministerio* quod tuum est operare ». Apud MORINUM, *o. c.*, l. VIII, c. 10, n. 3.

Item ex Pœnitentiali Joannis Jejunatoris, apud MORINUM, *o. c.*, in appendice, p. 94: « Here Domine Deus noster qui portis clausis discipulis tuis adfuisti, donansque illis pacem dixisti: *quorum remiseritis peccata remittentur eis, et quorum retinueritis retenta erunt*. Ipse Here Domine, secundum invisibilem et omnipotentem curam, qua omnia administras, inspice super servum tuum hunc, et corporis ipsius maculas, sordesque animæ propter quas in peccato incidit, *per os meum*, quamvis peccator sim, dissolve, et qui per canonem ligatus et solutus sit a canone, et a peccato quo constringitur, per gratiam et misericordiam tuam etc. ».

In ejusdem Joannis Jejunatoris pœnitentiali, pœnitentem alloquitur confessarius ante confessionem: « Spiritualis fili, ego confessionem tuam *primario et præcipue* non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus (illius est enim opus ejusmodi) peccatorum tuorum confessionem suscipit, et *per nostram vocem* horum remissionem dispensat et largitur... ». Apud MORINUM, *l. c.*, p. 77-78.

(3) Specimen hujus generis formulæ, apud MORINUM, *o. c.*, in *appendice*, p. 20: « Omnipotens sempiterne Deus confitenti tibi huic famulo tuo pro

aliunde constat ex tacita approbatione S. Sedis (1).

II/ Dicitur: *sola attenta natura sacramenti Pœnitentiæ,* quia non sufficit ad certum valorem absolutionis quod usurpetur formula quomodocumque conveniens naturæ sacramenti Pœnitentiæ ejusque judiciali indoli; aliunde nempe invalidari potest absolutionis forma ex ipsa scilicet voluntate Ecclesiæ.

Et sane non improbabilis est sententia juxta quam Christus, instituendo sacramenta, determinaverit signum externum *generice tantum,* relicta Ecclesiæ potestate illa specifice determinandi (2): qua posita sententia, posset Ecclesia, inter varias absolutionis formas genericæ Christi determinationi ac essentiali sacramenti Pœnitentiæ constitutioni convenientes, illam eligere quam ipsa, pro variis temporibus vel pro variis orbis catholici partibus, judicat opportunam, adeo ut eadem absolutionis forma, quæ olim fuerit valida, jam nunc

---

tua pietate peccata relaxa: ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam quam indulgentia pietatis ad veniam... omnipotens et misericors Deus qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succure lapsis, miserere confessis, ut quos delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat ».

(1) Ad tramites decreti a Clemente VIII, anno 1595, editi, implicite concessit Benedictus XIV sacerdotibus græcis usum formæ deprecatoriæ in absolvendis græcis, illis imponens usurpandam formam latinam, assertivam, quando, in casu necessitatis, absolvunt Latinos: « In casu necessitatis presbyteri græci catholici possunt Latinos absolvere, utantur tamen forma absolutionis in Concilio generali Florentino præscripta, postea vero, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma absolutionis dicere tantùm consueverunt ». Bulla *Etsi pastoralis,* in *Parvo Bullario,* tom. I, p. 354.

(2) Nuperrime prodiit notanda dissertatio, apud *Revue Thomiste,* 1906, pp. 31-47, in qua Cl. De Baets vindicat theologum catholicum, posse, *salva auctoritate Concilii Tridentini,* Sess. VI, can. 1, docere Christum Dominum non instituisse omnia sacramenta *immediatè,* adeo ut Christus quidem decreverit omnia sacramenta instituenda, adeoque auctor sit et institutor eorum omnium, sed illius decreti executionem, pro quibusdam sacramentis, reliquerit Apostolis et Ecclesiæ. Quæ sententia, si admittatur, obviam solutionem præbet gravissimis difficultatibus, quæ theologos ac criticos cruciare solent, circa praxim et doctrinam sacramenti Pœnitentiæ in prioribus sæculis.

evaserit inepta, utque illa quæ valet pro Ecclesia orientali jam non valeat pro Ecclesia occidentali.

Admissa proinde descriptæ opinionis solida probabilitate, dubii valoris foret habenda, in Ecclesia latina, absolutionis formula quam Græci adhibent in forma deprecatoria, neglectâ forma, quam Concilia Florentinum (1) et Tridentinum (2) a Latinis usurpandam præscribunt, tanquam expressius significantem exercitium judicialis potestatis.

Aliam adhuc inducit causam SASSE, O. c., p. 207, ex qua, apud Latinos, neglectus formulæ Tridentinæ posset absolutionem invalidare, defectum nempe jurisdictionis, quam retraheret Ecclesia non usurpantibus formulam: *Ego te absolvo.* Quæ explicatio, etiam proposita apud *Kirchenlexicon,* l. c., p. 125, non placet VACANT, l. c., col. 252: « C'est là, ce nous semble, une affirmation sans fondement. L'Église peut certainement ôter la jurisdiction et par conséquent le pouvoir d'absoudre aux prêtres qui emploieraient telle ou telle formule. Mais il faudrait pour cela qu'elle s'exprime clairement. Or jamais aucune décision n'a été portée dans ce sens ».

A. DE SMET.

VI

Q. *Expone circa quasnam res aut actiones temporales spirituali annexas licitum sit pacisci pro pretio temporali.*

R. Attento jure divino, attentis potissimum juris ecclesiastici præscriptionibus, hac sequenti distinctione responderi fas est:

---

(1) DENZINGER, *Enchiridion,* n. 594.

(2) « Docet præterea sancta synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipue ejus vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo, etc. Quibus quidem, de Ecclesiæ Sanctæ more, preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem sunt necessariæ ». Sess. XIV, cap. 3°.

1° Si agitur de rebus vel actionibus quæ sunt in se, separatim a spirituali, pretio æstimabiles, — sive quia res prius jam existunt ut materiales antequam spirituali annectuntur, sive quia actiones nexu tantum extrinseco spirituali conjunguntur — eas emere aut vendere dato pretio temporali licitum est, modo pretium ratione spiritualitatis non augeatur, neque adsit specialis prohibitio Ecclesiæ.

2° Si agitur de talibus quæ non sunt, separatim a spirituali, pretio æstimabiles, — sive quia ex ordinatione Ecclesiæ temporale rem spiritualem necessario præsupponit, sive quia actiones intrinsece unum opus cum spirituali efficiunt — hujusmodi pacta sunt prohibita.

Explicatur. I. Nomine *rei spiritualis* intelligitur id omne quod ex institutione Dei aut Ecclesiæ pertinet ad ordinem donorum supernaturalium et ad salutem animarum (1). Reputantur spiritualia alia *essentialiter* seu *formaliter,* quatenus suâpte natura sancta sunt, ut gratiæ gratis datæ et reliquiæ Sanctorum; alia *causaliter*, quæ sunt causæ donorum supernaturalium, v. gr. potestas ordinis, jurisdictionis et magisterii, sacramenta et sacramentalia; alia demum *effective,* quæ sunt effectus et usus sacræ potestatis, ita actus ordinis et jurisdictionis (2).

Jam age, ubi habetur animus comparandi pretio temporali hujusmodi rem spiritualem, sive per se consistat, sive rei temporali annectatur, contrahitur labes simoniæ juris divini (3).

II. Inter res et actiones physice materiales quæ spiritualibus adjunguntur, aliæ *antecedenter* annexæ

---

(1) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.* ed. 7, n° 1276, p. 599; Schmalzgrueber, l. V, tit. 3, n° 153; Hinschius, *Kirchenrecht,* t. V, p. 705, Berlin, 1895.

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.;* Lega, *De judiciis ecclesiasticis,* lib. II, vol. IV, p. 31 s., Romæ, 1902; Hinschius, *o. et l. c.,* p. 703 ss.

(3) Lega, *o. c.,* p. 30; Leinz, *Die Simonie,* p. 58, Freiburg-i-B., 1902.

sunt, quatenus præexistunt spirituali et habentur tanquam fundamentum sustentans rem spiritualem; ejusmodi sunt: jus patronatus, sepultura, vestes et vasa sacra, altaria et templa, aliaque omnia quæ consecratione, benedictione aut destinatione sacra sunt. Meritò vocarentur res spirituales temporali annexæ. Aliæ *consequenter* annexæ rem spiritualem ut causam et radicem præsupponunt, uti est jus ad fructus temporales, quod ex ordinatione Ecclesiæ fundatur in ipso titulo spirituali. Hæ sunt revera res temporales spirituali annexæ. Aliæ tandem *concomitanter* annexæ sunt et quidem vel *intrinsece* vel *extrinsece*. *Intrinsece,* illæ actiones quæ operi supernaturali sunt essentiales, absque ulla relatione extrinseca ab opere; tales sunt ipsi actus celebrantis in celebratione missæ, quatenus hæc exerceri non possit ab homine, quin aliquis labor sustineatur, tempus absumatur etc. *Extrinsece* vero concomitanter annexæ sunt illæ actiones quæ resultant ex variis relationibus operis ad tempus, locum, specialem modum quo opus sit præstandum; ita certa hora exspectanda, iter instituendum ad opus perficiendum (1).

Jam vero, quis non videt has res vel actiones omnes non eodem gradu connexionis cum re spirituali jungi.

Res materialis *concomitanter intrinsece* annexa spirituali nequit ab hac separari. Est ipsi intrinseca, ipsi rei sacræ administrationi necessario inhærens, sine qua res ipsa spiritualis subsistere nequit, ita ut actus administrantis ab administratione rei sacræ revera non distinguantur. « Licet actiones sacramentorum, ait Suarez (2), » realiter et physice materiales sint, tamen secundum » suum esse materiale elevatæ sunt ad supernaturalem » ordinem, nam ipsæmet sunt ministeria sacra et signa » et causæ gratiæ, et ideo jam sic institutæ ac elevatæ

(1) Santi-Leitner, *Prælectiones juris canonici,* l. V, tit. III, nº 66, p. 33, Ratisbonæ, 1899.

(2) *De religione,* tract. III, l. 4, c. 11, nº 4.

» perinde reputantur et æstimantur ac si in suis entita-
» tibus essent spirituales ac supernaturales; ergo im-
» possibile est eas ut mere materiales æstimare » (1).

Materialia autem annexa supernaturali *antecedenter* et *consequenter* per se a spirituali separari possunt, vel saltem ita mente reputari ac si essent mere materialia, præcisione facta a spiritualitate. Ecclesia potest privari sua consecratione, beneficium separari ab officio, calix æstimari ut artis monumentum, ita quidem ut, quin committeretur simonia juris divini, permutatio fieri posset animo deliberato non emendi aut vendendi pretio temporali quod est spirituale sed quod temporale est.

Sed Ecclesia præ officio suo invigilandi ne quid indigni ageretur in res sacras et cultui destinatas, prohibuit plures actiones ut simoniacas, quæ *per se* simonia non sunt, ob præsumptionem et periculum simoniæ juris divini. Ea est ergo simonia juris ecclesiastici, mala quia prohibita, quæ hac in nostra quæstione maxime attendenda videtur (2). Nam jus positivum ea temporalia spirituali annexa determinavit, circa quæ pacisci simoniacum est, ita ut regulæ generales erui posse tantum videantur, ex analogia cum casibus in jure canonico prævisis (3).

---

(1) SCHMALZGRUEBER, *l. c.*, nº 157 ss.; BUCCERONI, *Institutiones theologiæ moralis*, 2 ed., t. I, nº 508, p. 179 s., Romæ, 1893; LEINZ, *o. c.*, p. 50 s.

(2) Auctores tradendo definitionem simoniæ juris divini et juris ecclesiastici in diversas sententias distrahuntur. Juxta dicta, simonia juris divini incurritur si temporale detur pro spirituali aut vice versa, ita ut alterum pro altero, quasi pretium pro merce veniat. Simonia vero juris humani venit ex prohibitione Ecclesiæ; cf. LEGA, *o. c*, p. 30; LEINZ, *o. c.*, p. 58. — Definitio data a DE BRABANDERE-VAN COILLIE, nº 1272, latius extendit conceptum simoniæ juris divini; e contra, definitio tradita a SAEGMUELLER, *Kirchenrecht*, p. 721, Freiburg-i-B., 1904 et a MÜNCHEN, *Das kanonische Gerichtsverfahren und Strafrecht*, t. II, p. 296, Köln, 1874 nimis justo restringit hunc conceptum; cum illi distinguant simoniam juris divini a simonia juris ecclesiastici, prout spiritualia sint originis divinæ aut institutionis ecclesiasticæ.

(3) HINSCHIUS, *l. c.*, p. 705.

Juxta quæ, stabilitur distinctio supra enunciata, quæ remanet paucis illustranda et a difficultatibus vindicanda (1).

III. *a*/ Ratio primi asserti est quia res et labor actionis sunt vere in se et separatim a spirituali æstimabiles. Ergo, emi vendi possunt absque simonia, nisi adsit prohibitio ecclesiæ. Hinc non committit simoniam qui vendit juxta valorem materialem vasa et ornamenta sacra (2), pretiosas capsulas cum sacris reliquiis inclusis, rosaria aut numisnata quibus annexæ sunt indulgentiæ (3), modo pretium propter ipsam rem sacram non augeatur, quo in casu contraheretur simonia juris divini (4). Tamen in casu particulari, obstare potest prohibitio Ecclesiæ. Ita, olim saltem, confecto jam Sacro

---

(1) Lega, *o. c.*, p. 29, 40, aliam statuit regulam. Res temporales spiritualibus annexæ « accensentur rebus aut spiritualibus aut temporalibus, » proindeque habentur res vel extra commercium, vel commercio ho» minum accommodatæ, præ qualitate quæ in ipsis potior est et princi» palior, juxta regulam juris 42 in 6. *Accessorium sequitur principale* ». Annexum spirituali concomitanter extrinsece habet ut titulum a simonia excusantem.

(2) Notatur a De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1281 quod si ad usus profanos vendantur, ante traditionem debeant vasa confringi vel conflari, vestes vero dissui. Cf. Reiffenstuel, l. V, t. III, nº 225. Saltem ita debent tractari ut amittant consecrationem vel benedictionem, quod variis modis fieri potest, cf. De Herdt, *Sacræ liturgiæ praxis*, ed. 10, t. I, nº 169, 174. Ita servari poterit forma speciosa qua forte confecta sunt. Cf. Leinz, *o. c.*, p. 51.

(3) Immerito asserit R. P. Lehmkuhl, *Theologia moralis*, ed. 9, nº 389, 392 simoniam juris ecclesiastici esse, vendere res sacras, benedictas, indulgentiis ditatas, pretio materiæ profanæ. Tenendum est cum De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1292; Santi, *l. c.*, nº 66 c quod objectum cui annexæ sunt indulgentiæ vendi nequeat quin amittantur indulgentiæ.

(4) München, *o. c.*, t. II, p. 287 ss. contendit simoniam juris positivi esse, pacisci pretio temporali circa quaslibet res antecedenter spirituali annexas. Nititur præsertim in c. *si quis objecerit*, 7, C. 1, q. 3. Solido modo probat Reiffenstuel, *l. c.*, nº 222 hunc canonem non loqui de rebus benedictionem aut consecrationem antecedentibus, sed de illis quæ *ly spirituale* consequuntur, illudque tanquam principale præsupponunt. Quod cæteroquin confirmat titulus capitis et correctio hoc in loco a magnæ notæ auctoribus admissa. Cf. *Corpus juris canonici* ed. Friedberg, Lypsiæ, 1879-1881, in hunc locum.

Chrismate, vetitum erat aliquid exigere pro oleo vel balsamo ex quibus chrisma conficitur (1); verum hodie ex jure consuetudinario, licet moderatam taxam ab ecclesiis particularibus expetere, pro materia S. Chrismatis (2); item, emi vendi non potest *terra* jam ab Ecclesia consecrata ad mortuos condendos, quatenus cœmeterium est locus *sacer* et *communis*, quique fit extra commercium, vi consecrationis aut benedictionis unde destinatur in fidelium sacram sepulturam (3).

Hic animadvertendum venit quod nihil intuitu laboris exstrinseci exigere licitum sit, si aliunde jam sit debitus, v. gr. ex officio. Proinde, parochus aut cappellanus nihil vel non plus quam pia et laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere et incommoditate quam habet, deferendo S. Viaticum ad infirmum parochianum.

b/ Ratio primæ partis secundi asserti est specialis dispositio juris ecclesiastici; ita, beneficium formaliter et secundum primariam institutionem sumptum, quatenus nimirum in titulo spirituali fundatum est, vendi aut permutari nequit sine simonia; secus est de eo materialiter sumpto, pro sola utilitate fructuum percipiendorum, præcisa a jure spirituali (4).

Ratio secundæ partis est quod ejusmodi res vel actio unum corpus vel opus cum re spirituali efficiat; unde res ipsa aut actio spiritualis vendi censeretur.

Hic non fit sermo de eo quod juxta antiquam consuetudinem, *occasione* administrationis rei sacræ præstatur a fidelibus et accipitur a ministris. Ille titulus extrinsecus *stipendii* seu *honestæ sustentationis*, plane excusans

---

(1) c. 8, X, *de Simonia* (V, 3).

(2) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1291; Hinschius, *l. c.*, p. 703, nota 25; S. C. C. 20 Dec. 1879 et 28 Apr. 1888 ap. *Act. S. Sedis*, t. XIII, p. 180; t. XXI, p. 129.

(3) Lega, *o. c.*, p. 40; De Brabandere-Van Coillie, *o c.*, nº 751; præsertim Schmalzgrueber, *o. c.*, nº 217 ss.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 1281.

a simonia, adeo legitimus est, ut clerici, præstito opere spirituali, jus habeant exigendi stipendium præfixum a jure ecclesiastico vel a laudabili consuetudine (1) nisi obstet lex particularis (2). Sed agitur de temporali, quod per modum pretii accipitur et exigitur. Ad rem Schmalzgrueber (3): « Sacramenta dupliciter considerari possunt, in se et quatenus sunt signum practicum » gratiæ et secundum materiam. In prima considera- » tione certum est illa constituere mercem simoniæ » [quia jura clara sunt]... Ratio est, quia licet sacra- » menta in quibusdam actionibus et passionibus con- » sistant, sunt tamen divina et supernaturalia dona a » Christo... nobis collata et cum gratiam conferant » sunt secundum se spiritualia. Quoad alteram conside- » rationem, distinguenda est in Sacramentis duplex » materia, remota et proxima. *Remota* est res seu » symbolum externum, e. g. panis, vinum, oleum etc. » *Proxima* est ipsa actio qua applicatur materia remota, » vel pronuntiatur forma. Prior secundum se spectata » est temporalis et pretio æstimabilis... Posterior citra » simoniæ piaculum, pretium nullum recipit; quia tota » quanta spiritualis est, sive consideratur tanquam » materia sacramenti; sive tanquam actus ministerii » spiritualis; sive tanquam opus, ex intentione ministri » ad finem spiritualem destinatum. » Et citat multos

---

(1) Cf. omnino c. 42, X, *de simonia* (V. 3); Santi-Leitner, *o. c.*, nº 62 ss.; Lehmkuhl, *o. c.*, nº 390; De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, nº 1286; Schmalzgrueber, *l. c.*, nº 60 s. etc. Plures circuli ad hanc distinctionem non sufficienter attenderunt.

(2) Conc. Baltim. II, a. 1866, art. 221, 289, 393. Quæ habet a. 221: « Edicimus ne quid pro Sacramentorum administratione exigere, petere, aut pacisci quisquam audeat, » conferenda sunt cum decreto 294 Conc. Baltim. III: « Itaque quod spectat ad jura stolæ et taxam pro ministeriis ecclesiasticis determinandam, unusquisque episcopus agat in synodo diœcesana, vel extra synodum auditis consultoribus eas leges ferat, quæ clero et populo suo magis convenire videantur. Meminerit autem (id expresse in synodo commemoretur) ministeria ecclesiastica pauperibus esse gratis præstanda ».

(3) *l. c.*, nº 157 ss.

auctores huic opinioni faventes. Et revera si res, attento solo jure positivo consideretur, concordes omnes auctores reperiuntur; si vero solum inspiciatur jus divinum, paucissimi (1) asserunt non haberi simoniam in mercede quæ rependitur ministris sacris propter laborem intrinsecum in sacrarum rerum administratione impensum, quia ille labor vel intrinsecus, ejusdem naturæ ac labor extrinsecus, est quid temporalis, pretio æstimabile. Sed, licet hujusmodi actus sint physice materiales, principium tamen et finem spiritualem habent, oriuntur enim ex spirituali potestate ordinis vel jurisdictionis et ordinantur ad spiritualem animarum salutem; tantummodo valorem habent in quantum ministerium sunt rei spiritualis; ratione intrinseca confunduntur cum ipsa rei supernaturalis administratione, ita ut nec re nec mente separari valeant. Cæterum, hoc semel admisso, jam actum esset, maxima pro parte, de simonia juris divini, cum potestas ordinis et jurisdictionis semper exerceatur actibus humanis.

De concomitanter intrinsece annexis spiritualibus valent ergo verba Paschalis II (2): « Quisquis horum » alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neu- » trum invenditum derelinquit ».

A. De Meester.

---

(1) Lega, *o. c.*, p. 36 ubi tamen immerito citatur S. Alphonsus, *Theologia moralis*, lib. III. tr. 1, nº 55; ita, — ut ex responsionibus quorumdam circulorum apparet — Bucceroni qui priorem sententiam in ultimis editionibus sui operis revocasset; quas tamen consulere non valui.

(2) c. *si quis objecerit*, 7, C. 1, q. 3.

Miscellanea.

De informatione juventutis ad vitam spiritualem.

In ultima congregatione prosynodali (1) rursum obsecrat et obtestatur Ill^mus^ ac Rev^mus^ Episcopus Brugensis parochos omnes eorumque adjutores, necnon collegiorum atque scholarum quarumvis christianarum superiores et magistros ut partes suas hac in re gravissima scholarum catholicarum ad amussim servare et cum omni zelo ac fervore animi implere satagant. Porro « præ cæteris omnibus necesse est, et totis viribus nobis allaborandum est *ut vita christiana in populo nostro vigeat..... ut pueri in scholis maxima cura ad vitam christianam informentur* ». Hæc cura præprimis adhibenda est erga pueros in collegiis nostris et puellas in convictibus religiosarum degentes.

Quid autem facto opus sit opportune indicat nuperrime editum opusculum cui titulus : *Bidden en strijden of eenige gedachten over geestelijk leven gevolgd van practische oefeningen* door **Edward De Saegher,** Leeraar in de wijsbegeerte en bestierder van 't klooster der grauwe Zusters te Rousselare (2).

Ut recte quis informet alumnos ad vitam spiritualem, attendat necesse est et ad operationem Dei et ad activitatem propriam ac personalem alumnorum. Unde attendat duplici huic medio : *Ora et labora.*

Ora. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate (Philipp. II, 13). Gratia Dei est omnino necessaria, sed non solet concedi nisi petentibus. Unde recte novit vivere qui recte novit orare. Doceantur igitur alumni orare, et doceantur

---

(1) Vide *suprà*, p. 425 sqq.

(2) Rousselare, Jules De Meester, 1906. In-32, 108 bl. — 0,40 fr. (Voor 12 : 0,35 ; voor 50 : 0,32 ; voor 100 : 0,25) ; gecartonneerd : 0,65 fr.

orare cum Ecclesia, quæ, utpote sponsa Christi, a Spiritu sancto ducta, recte novit orare, et orat nomine omnium nostrum. « Mirum sane ac dolendum nostrorum etiam piissimos... ita parum sacræ liturgiæ esse participes, ut quasi ex una parte suas orationes, easque potius privatas proinde, effundant, dum ex parte altera sacerdos sua peragit; cum tamen sacerdotis sit *publica* deprecatio ac litatio, quacum una *communis* debet esse populi oratio atque oblatio sacrorum (1) ». Quot sunt, quæso, christiani, ex illis qui per plures annos sunt educati in collegiis nostris, qui noverunt sequi ordinem missæ seu proprie *audire missam?* Sane non esset difficile hoc docere omnes alumnos, ut nempe saltem attendant ad præcipuas missæ partes: in schola posset explicatio dari theoretica et simul doceri praxis assistendi sacrificio missæ, juxta exposita modo valde simplici p. 14 sqq. Quæ pertinent ad praxim non sunt simpliciter relinquenda invigilatori, sed ab hoc debent inculcari et urgeri tum in meditatione tum in examine conscientiæ.

Hoc quoque addere liceat: cur scholares humaniorum non habent præ manibus *Parvum missale* in quo possint orare lingua ipsius Ecclesiæ? Sane essent instruendi circa usum istius missalis, ipsis indicanda esset missa (2); initio possent induci ad sequendum ordinem missæ cantatæ, et sic paulatim fieret usus quotidianus. In exercitiis cantus gregoriani, esset magis insistendum in explicando sensu illarum partium missæ, quæ cantantur, sicut et hymnorum et canticorum usualium.

Labora. Multum est insistendum, ait merito Auctor prælaudati opusculi, *in activitate propria et personali* uniuscujusque alumni.

Imprimis memores simus oportet illam activitatem

---

(1) Ill^s ac Rev^s Waffelaert, *Acta congreg. prosyn.* 26 Maii 1903, ap. Collat. Brug., t. VIII, p. 420.

(2) Posset v. g. appendi ad eorum usum *Calendarium liturgicum.*

in præsenti ordine esse *supernaturalem,* quæ adeo fundari debet in fide, quæ est radix justificationis et fundamentum vitæ spiritualis. Unde nostro præsertim tempore, quo naturalismus videtur pervadere omnia, doceri et inculcari debet *vita fidei* (p. 21 sqq.).

Deinde, cum vita hominis sit militia super terram, unusquisque discat laborare sicut bonus miles Christi. Non omnia media attingit, sed quædam, pro scopo suo, Auctor: np. exercitia quædam pietatis et generositatem juventuti propriam.

Exercitia pietatis. Hæc considerantur, prout de facto sunt, tamquam *exercitia* pietatis, secundum verbum Apostoli: *Exerce teipsum* ad pietatem (1 Tim. IV, 7). In hoc falluntur multi christiani, dum habent exercitia illa tamquam finem, quasi essent ipsa pietas seu devotio seu sanctitas; sunt verò media, ut nomen ipsum indicat, quibus formetur devotio: quatenus np. introducunt gratiam divinam (et sic non considerantur in altera parte opusculi, sed potius in priori) et præparant animam ad pietatem seu devotionem, id est ad illam dispositionem fundamentalem, qua videamus, amemus et quæramus semper et in omnibus gloriam Dei (1). Verbo exercitia pietatis debent esse media, instrumenta devotionis genuinæ, quæ nihil aliud est quam charitas prompta, effectiva et diligens in Dei servitio (2).

Ex his facile intelligitur quanti sit facienda *exercitatio personalis* in eo qui informari debet ad vitam spiritualem. Porro unitatem illius actionis procurabit *examen particulare:* talis enim est natura facultatum nostrarum ut, si pluribus sint intentæ, minor fiat ad singula sensus. Unde applicandum est adagium: *divide et impera,* quod præcise principium est examinis particularis. Exercitium

---

(1) Lege egregium opus: *La vie intérieure simplifiée et ramenée à son fondement.* Ouvrage publié par le R. P. Joseph Tissot, Paris, Beauchesne et Cie, 9e éd. 1903.

(2) S. François de Sales, *Introduction à la vie dévote,* 1re partie, chap. I.

autem examinis particularis præparare debet *meditatio,* illudque complebit *confessio hebdomadaria.*

Primo itaque agit Auctor *de meditatione* (p. 27 sqq.). Quis ex nobis, dum versabamur in collegio, umquam cogitavit de meditando per ferias? Quot sunt inter laicos, qui post absoluta humaniora, adhuc meditantur? Nonne signum est defectum latere in modo quo peragitur meditatio in collegiis? De facto simpliciter auditur (et utinam adhuc audiatur!) meditatio, sed nunquam *meditatur ipse* alumnus. In laudato opusculo bene ostenditur quomodo possit practice doceri ars illa meditandi. Negotium istud utique non caret difficultate quadam, nec sperandum est futurum esse ut omnes et singuli evadant vere periti, sed certocertius aliquid obtinebitur, quod sane melius est quam nihil, ut nunc esse solet. Ceterum experientia nonnullorum tum in collegiis tum in convictibus puellarum sufficiens extat argumentum.

Opportune, ut nobis videtur, induceretur apud studiosos humaniorum usus legendi et meditandi *Novum Testamentum* in editione vulgata latina vel saltem Evangelia — notetur etiam utilitas pro prælectionibus de vera religione — necnon aureum libellum *De Imitatione Christi* in textu suo originali.

Secundo agit Auctor de *examine particulari et confessione hebdomadaria* (p. 39 sqq.). Hic attingitur cardo rei in negotio informationis ad vitam spiritualem: principium actuum in ordine ad finem supernaturalem ponendorum est natura rationalis in suo esse elevata per gratiam habitualem ut fieret ens intrinsece supernaturale cum potentiis elevatis per habitus infusos; virtutes infusæ perficiunt ac elevant potentias naturales, largiendo ipsum supernaturale posse simpliciter, non vero facilitatem agendi. Hæc non adquiritur nisi per actus repetitos, nisi per exercitium continuum. Jamvero hoc exercitium, attenta natura facultatum nostrarum, ut diximus supra, est impossibile, nisi fiat divisio materiæ:

divide et impera. Hæc divisio fit in examine particulari et retineri debet in confessione hebdomadaria.

Hoc bene novimus, quidam, non adeo pauci, rident audientes solum nomen examinis particularis; attamen, si sincere agere velint, fateri debent se, dum negligunt istud medium, ipsi nihil facere in opere perfectionis spiritualis. Hoc nobis est persuasum intime, inspectis testimoniis naturæ rationalis et magistrorum vitæ spiritualis, juvenes non secus informari posse quam aurea illa praxi examinis particularis. Hæc utique complementum accipiat necesse est in confessione hebdomadaria, quæ ita fiat exercitium pietatis seu medium perfectionis.

Hoc diffiteri non possumus, plures sacerdotes, non tantum in collegiis, plurimum deficere: plures sunt mere confessarii, dantes absolutionem, pauci eheu! directores animarum. Antequam accedunt ad confessiones excipiendas, præparant diligenter aliquam conciunculam, quam recitant omnibus et singulis pœnitentibus eamdem, quamque pœnitentes solent vix audire. Sic procedunt cum religiosis et sæcularibus, cum junioribus et senioribus, cum conjugatis et non conjugatis, cum parentibus et filiis. At quis non videt hoc modo vix impleri officium judicis, et prorsus negligi officium patris, medici et doctoris, ut loquuntur theologi? Perpendant sedulò exposita p. 53 sqq., quotquot vi muneris sui directores sunt animarum (1).

Directio hujusmodi præsertim efficax erit apud juniores animas, pro innata ipsis *generositate* quadam præcipua. Hæc si nutriatur et foveatur mirandos producet fructus. Quomodo sit procedendum dilucide exponitur p. 57 sqq. Reformari debet apud nonnullos idea disciplinæ, ut aiunt: putant np. quidam invigilatores omnia recta in collegio, quando servatur externa quædam

(1) Hæc notatim applicari debent in directione monialium quæ ita esset valde simplex et efficax.

disciplina, quando, ut dicitur, habent auctoritatem, id est multum timentur. Utique sic timore serviliter servili observatur regula, non voluntarie; unde nullo modo formatur voluntas et sic deficit educatio facultatis præcipuæ. Regula domus debet esse medium formandi voluntatem: *vince teipsum*. Si quis vult venire post me, *abneget semetipsum...;* in tantum proficies, in quantum tibi ipsi vim intuleris. Ideo sæpius recurratur ad bonam voluntatem puerorum, inculcetur spiritus officii, ut dicitur, quatenus obediant « ex animo » et « ex conscientia », et spiritus fidei « quasi Deo ». Sumus sacerdotes: cur actio nostra apud alumnos non est magis supernaturalis? cur non sæpius et instantius apud eos urgemus motivum amoris Dei?

Omittimus multa; at non possumus non indicare medium aliquod efficax promovendi illam generositatem, np. *devotionem erga Cor Jesu eucharisticum*. Est enim cor illud *fons vitæ et sanctitatis,* et inter obsequia quæ Ipsi accidunt « jucundissimum profecto illud est, quod e juvenili pectore elicitur. Nec vero sermone assequi possumus quantopere id ipsum juvenili eidem ætati sit profuturum. Assidua enim divini Cordis contemplatio, et penitior virtutum ejus et ineffabilis amoris cognitio nequit fervescentes juvenum cupiditates non frangere, et virtuti sectandæ stimulos non adjicere (1) ». Cor Jesu quæratur potissimum in Sacramento amoris, in frequenti imo et quotidiana communione, quæ, ut ait S. P. Pius Pp. X, quam maxime promoveatur *in christianis omne genus ephebeis* (2).

Hisce apparet quanti æstimemus egregiam illam opellam, quæ utinam versetur in manibus omnium ad quos pertinet educatio christiana moderanda! Nec satis:

---

(1) *Litteræ de cultu SS. Cordis Jesu amplificando,* ex S. C. Rit. 21 Julii 1899, ap. Collat. Brug., t. IV, p. 553.

(2) Decretum S. C. Conc. *De quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione* 20 Dec. 1905 (Collat. Brug., t. XI, p. 217).

tradatur etiam legenda et meditanda pueris ipsis et puellis. Altera ejus pars (p. 77 sqq.) complectitur exercitia practica in ordine ad missam, meditationem et examen particulare valde utilia, ita ut vere fieri posset libellus usualis.

Coronidis instar, notare liceat approbationem Ill^mi^ ac Rev^mi^ Episcopi Brugensis : « Geern verleenen Wij onze goedkeuring aan dit boekje *Bidden en strijden* enz. Ongetwijfeld zal het zoo meesters als leerlingen zeer nuttig zijn tot opleiding in het geestelijk leven ».

H. Mahieu.

Notæ apologeticæ.

Nostris diebus magis ac magis sparguntur scripta quibus impugnantur vel rationabilia fundamenta quibus innititur fides nostra, vel ipsæ veritates quas fide tenemus. Optimi fideles, etiamsi adversariorum objectiones noscant, non inde turbantur, scientes solida esse fidei fundamenta et, licet non a semetipsis, ab aliis tamen doctis objectiones tales refutari posse. Attamen non pauci turbantur ac, licet non statim amittant fidem, quodam tamen timore percelluntur ne Ecclesiæ doctrina plus minusve infirma reddatur, ne irrisioni sese exponant si perseverent in credendo ; alii etiam, audaciores, mutationem exoptant in defensione vel in sensu, hucusque *ab Ecclesia* admisso, dogmatum christianorum ut illa melius accommodentur placitis vel, ut aiunt, aspirationibus animæ modernæ.

Inde sacerdotes, quibus, tamquam adjutores Episcoporum, munus *custodiendi depositum* incumbit, solliciti sint oportet de cognoscendis adversariorum argumentis, deque modo respondendi illis, ut valeant docendo tueri ignorantes adversus pericula, vacillantes a dubiis liberare, firmos donare pleniori cognitione, ut valeant etiam scribendo bonos spargere libros eosque opponere perversis (1).

(1) Cfr. suprà, p. 427.

Quapropter ut adjutorium hac de re inveniant, in *Collationibus* tradentur *notæ apologeticæ* circa hodiernas objectiones et opera quæ utiliter legi possunt ad refutandos errores.

Quædam generaliora hîc utiliter prænotari possunt.

1. *Apologia* est defensio : inde apologia doctrinæ christianæ est defensio, nempe demonstratio veritatis seu divinæ originis doctrinæ a Christo traditæ.

Scientia apologiæ christianæ est cognitio scientifica de principiis, deque argumentis quibus tamquam fundamento innititur fides christiana. Tractatus integer de apologia fidei nostræ duas complectitur partes, quarum prima ostendit Christi religionem esse solam veram, altera, in sola catholica Ecclesia hanc Christi religionem de facto inveniri : illa prima pars vocatur demonstratio *christiana,* altera, demonstratio *catholica.*

Apologetica igitur, stricto sensu, est scientia de *fundamentis* fidei, inde etiam vocatur theologia dogmatica *fundamentalis* seu generalis (1). Si spectetur methodus seu ratio exponendi fidei fundamenta, hic tractatus posset, per se loquendo, continere tantum partem *positivam,* quatenus nempe exponeret illa quibus conficitur demonstratio proprie dicta ; sed præter hoc munus, tum ad complementum doctrinæ, tum ad utilitatem practicam, nostris præsertim diebus, debet etiam exponere adversariorum objectiones illasque refutare : ideo debet etiam esse *polemicus.*

Imo objectionum impugnatio jam quasi præcipuum nunc consideratur in apologia : inde etiam factum est ut illa opuscula, quæ vel unam tantum objectionem, sive contra præambula fidei, sive contra aliquam veritatem revelatam, refutant, vocentur *apologetica :* quia aliquid conferunt ad integram revelatæ doctrinæ defensionem.

2. Ut efficaciter refutetur objectio oportet imprimis ut clare et fideliter referatur, deinde ut *directa* ipsi præbeatur responsio.

Sed notemus aliud esse respondere objectioni, aliud plenam alicujus veritatis seu facti explicationem tradere. Quando agitur de *mysteriis,* proprie dictis, h. e. de illis veritatibus quas humanus intellectus naturali suo lumine detegere non

(1) Cf. Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium,* Œniponte, 1896, p. 8.

potest et quarum, etiamsi revelatæ fuerint, nequit intrinsecam cognoscere rationem, possumus utique refutare omnes objectiones, hoc sensu quod ostendimus mysterii impossibilitatem non posse demonstrari, sed non valemus ulterius positive ostendere possibilitatem seu intrinsecam rationem cur hoc sit.

Etiam de quibusdam aliis veritatibus, v. gr. de existentia mali in mundo: valemus ostendere hoc non repugnare sapientiæ, potentiæ, benignitati, justitiæ Dei, sed ulterius scire nequimus cur de facto tot esse mala permiserit Deus, quum potuisset meliorem constituere mundum.

Objectio fieri potest vel contra *factum*, aut contra *veritatem*, vel etiam contra *demonstrationem* qua stabilitur factum seu veritas. V. gr. si agitur de *infallibilitate* Summi Pontificis, potest quis impugnare a/ argumentum quod desumitur ex S. Scriptura, vel argumentum quod desumitur ex Traditione; b/ ipsam infallibilitatem sive contendat Summos Pontifices quosdam *erravisse* quando *ex cathedra* locuti sunt, sive contendat talem ab errore immunitatem non posse concedi homini. Bene igitur considerandum est quænam sit conclusio objectionis. Quam tamen detegere non semper est facile, quia quidam adversarii a sana logica omnino alieni, nonnisi valde confusas habent ideas de rebus quas impugnant.

3. Omnis objectio contra solidam demonstrationem, vel contra certam veritatem est *sophisma*, h. e. « argumentatio quæ sub specie veri nos abducit ad falsum.

« Vitium autem potest latere aut in forma, quatenus scil. *consequentia esse videtur cum reipsa non sit,* aut in materia, quatenus discursus procedit *ex principiis quæ vera videntur cum non sint.*

« Ad *singulas* quidem *scientias* pertinet ea dissolvere sophismata quæ ex propriæ suæ materiæ obscuritate oriri possunt, *Logicæ* vero munus est, tum indicare communes fontes ex quibus solet in quavis materia deceptio oriri, tum docere quomodo diluatur speciosa illa *veri apparentia,* qua falsum indigne fucatur » (1).

Sophismatis cujus vitium *in forma* residet sit exemplum sequens: Si vera est doctrina transformismi dabitur similitudo quoad ossa et organa inter varias species viventium;

---

(1) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 82.

atqui datur magna similitudo quoad ossa et organa inter varias species viventium; ergo vera est doctrina transformismi. — Cui argumentationi nihil aliud est respondendum quam: negatur consequentia (1).

Sophismatis cujus vitium in materia residet sit hoc exemplum: Nihil fit sine ratione sufficienti; atqui similitudinis inter varias species viventium non alia datur ratio sufficiens quam communis origo specierum ab uno stipite; ergo admittenda est illa origo. Cui argumentatio respondetur *negando minorem:* datur enim alia ratio sufficiens hujus facti, nempe ipsa idea et voluntas Creatoris (2).

4. Si considerantur præambula seu fundamenta fidei christianæ, hæc reduci possunt ad duo generalia argumenta:

a/ Si Deus aliquam religionem, (h. e. complexum veritatum credendarum et præceptorum observandorum) revelavit, hæc religio est vera et amplectenda; atqui Deus religionem revelavit; ergo hæc religio est vera et admittenda.

b/ Minor demonstratur sequenti ratiocinio: Si Christus, ut legatus Dei, hominibus religionem docuit, hæc est religio a Deo revelata; atqui Christus ut legatus Dei religionem docuit; ergo Christi religio est a Deo revelata et consequenter vera.

Objectiones præcipuæ quæ contra illam apologiam moveri possunt reducuntur ad sequentes classes:

a/ quæ impugnant Dei existentiam, vel ejus infinitam scientiam ac veracitatem; revelationis possibilitatem;

b/ quæ impugnant certitudinem cognitionis humanæ vel ejus valorem objectivum, hominis libertatem, ejusque ad Deum necessariam subjectionem vel veram moralem obligationem;

c/ quæ impugnant rectam *fidei* notionem aut ejus rationabilitatem, vel ipsam methodum apologiæ (3).

---

(1) Cf. ID. *o. c.*, n. 83.

(2) Cf. Illmus ac Revmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, T. IX, p. 8.

(3) Ex his apparet cur, licet veritas revelata, qua talis, sit omnino independens in se ab omni naturali hominis cognitione, tamen non indifferens sit cuinam systemati philosophico adhæreat homo: Si enim falsitatem admittat, fieri potest ut consequenter rationem credendi non inveniat. Præterea requiruntur quædam veritates, solo naturali rationis

Ad secundum syllogismum, quem proposuimus, stabiliendum totum negotium est in demonstrando Christum *ut legatum Dei* docuisse. — Dico *ut legatum Dei :* nam hoc per se sufficit, licet ad complementum doctrinæ demonstretur oportet Christum esse vere Messiam, imo esse ipsum Deum. Cæteroquin illæ duæ veritates sunt præcipuæ in ipsa Christi doctrina. — Porro hoc factum quod Deus locutus est per Christum demonstratur, sicut omnia facta, per testimonia. Prædicti facti testimonia præcipua inveniuntur in Evangeliis : inde demonstrandus *valor historicus* illorum librorum. Præterea ut constet Christum docuisse tamquam legatum Dei requiritur ut Ipsius doctrina fuerit a Deo confirmata vel miraculis, vel prophetiis, vel utroque genere signorum. Inde permultæ exsurgunt objectiones :

d/ quæ impugnant Evangeliorum *historicitatem* (h. e. libros illos vere *referre* ea quæ Jesus fecit et docuit, non esse quosdam mysticos libros), deinde *genuinitatem*, *integritatem, veracitatem ;*

e/ quæ impugnant miraculi et prophetiæ possibilitatem, illorumque cognoscibilitatem, vel quæ impugnant existentiam illorum factorum quæ ut miracula vel prophetiæ Christi referuntur.

---

lumine cognitæ, tamquam *præambula fidei :* circa quæ necessaria est recta philosophia, v. gr. circa Dei existentiam, circa principia et media quibus fieri potest et debet demonstratio *facti* revelationis. De necessitate ac utilitate sanæ philosophiæ ad fidem legatur Leonis XIII Encyclica « *Æterni Patris* », data die 4ª Augusti 1879. Idem Summus Pontifex lugebat pessimos effectus invadentis philosophiæ falsæ, præsertim Kantismi : « Nous réprouvons de nouveau ces doctrines qui n'ont de la vraie philosophie que le nom, et qui, ébranlant la base même du savoir humain, conduisent logiquement au scepticisme universel et à l'irréligion. Ce nous est une profonde douleur d'apprendre que, depuis quelques années, des catholiques ont cru pouvoir se mettre à la remorque d'une philosophie qui, sous le spécieux prétexte d'affranchir la raison humaine de toute idée préconçue et de toute illusion, lui dénie le droit de ne rien affirmer au delà de ses propres opérations, sacrifiant ainsi à un subjectivisme radical toutes les certitudes que la métaphysique traditionnelle, consacrée par l'autorité des plus vigoureux esprits, donnait comme nécessaires et inébranlables fondements à la démonstration de l'existence de Dieu, de la spiritualité et de l'immortalité de l'âme, et de la réalité objective du monde extérieur ». *Lettre aux archevêques, évêques et au clergé de France*, 8 Septembre, 1899 ; cf. *Collat. Brug.*, T. IV, p. 564.

Tandem notari potest non raro quosdam abuti argumento quod dicitur *negativum* aut *ex silentio*. V. gr. S. Polycarpus, discipulus S. Joannis Apostoli, nunquam citat aliquid ex quarto Evangelio : ergo Polycarpus non cognovit hoc evangelium, vel saltem non cognovit illud fuisse a Joanne Apostolo conscriptum ; ergo illud evangelium non est illi Joanni attribuendum.

Cui argumentationi respondetur negando suppositum. Supponitur enim S. Polycarpum, si cognovisset evangelium S. Joannis, debuisse citare illud in illa sua epistola quæ sola nobis remanet : quæ hypothesis gratis omnino asseritur (1) et gratis quidem negatur.

Et sane ut argumentum negativum valeat requiritur hæc argumentatio : si tale factum locum habuisset, talis homo hoc necessario cognovisset ; et si hoc cognovisset necessario de hac re locutus fuisset in tali scripto ; atqui in tali scripto nihil de hac re dicit ; ergo illud factum non habuit locum. Oportet ergo ut demonstrentur illa duo antecedentia, nempe ut demonstratur connexio necessaria illarum propositionum conditionalium : quodsi hoc non probatur, nihil valet argumentum ex silentio. Secundum quod antecedentia erunt certa aut probabilia, consequens etiam erit certum aut probabile (2).

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. Boese, *Die Glaubwürdigkeit unserer Evangeliën*, Freiburg im Br. 1895, p. 57 ss.

(2) De argumento negativo bene disserit P. De Smedt, *Principes de la critique historique*, Liége, 1883, p. 213-237.

E Secretaria Brevium

Novæ indulgentiæ conceduntur archiconfraternitati S. Missæ Reparatricis.

Per Breve apostolicum de die 30 Maii 1906 SS. D. N. Pius Pp X novas (1) concessit in perpetuum indulgentias plenarias, defunctis quoque per modum suffragii applicabiles, archiconfraternitati S. Missæ Reparatricis existenti in ecclesia Tongerloënsi ordinis Præmonstratensis pro universo Belgarum regno.

Conditiones: Confessio, Communio, visitatio propriæ Sodalitii ecclesiæ sive cappellæ, aut, si desit, ecclesiæ parochialis propriæ, et simul precum in ecclesia visitanda effusio ad mentem Sanctitatis Suæ.

Dies quibus adnectuntur indulgentiæ plenariæ:

Prima dominica vel prima feria sexta cujusque mensis, « dummodo per decursum totius mensis præcedentis singulis hebdomadibus missæ ex intentione reparatrici interfuerint » (2). — Festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, SS. Corporis Christi, SS. Cordis Jesu (feria VI post Octavam Corporis Christi), Immac. Conceptionis, Annuntiationis, Assumptionis B. M. V., S. Joannis apostoli (27 Dec.), S. Josephi (19 Martii), S. Norberti (6 Junii), SS. Martyrum Gorcomiensium (9 Julii), 4 Aprilis, Omnium Sanctorum (1 Nov.), dies commemorationis omnium fidelium defunctorum (2 Nov.). — Insuper festum Patroni respectivæ ecclesiæ ubi reperitur sodalitas dictæ archiconfraternitati legitime aggregata et dies adunationis sodalium annuæ.

---

(1) Indulgentias olim concessas habes apud Collat. Brug, t. X, p. 617.

(2) Cfr. Ibid., p. 616.

Libri dijudicantur.

Explication des principales cérémonies et fêtes religieuses de l'Eglise Romaine, par D. LESCOUHIER, Directeur du pensionnat de Moorslede. — Bruges, Ch. Beyaert, Editeur; in-8° de XVI — 263 pages — prix fr. 1,60 l'exempl.

Le sens et la raison d'être des fêtes religieuses, la signification des cérémonies augustes qui accompagnent l'administration des Sacrements et les autres fonctions liturgiques sont, de nos jours surtout, trop peu connus des fidèles. Cette ignorance est cause que souvent la participation du peuple aux offices divins est purement machinale et extérieure; les cérémonies constituent une prédication constante et pleine d'édification, mais les fidèles n'en comprennent guère le langage.

Il appartient aux prêtres de les initier à ce pieux et salutaire enseignement, et pour ce qui regarde spécialement les rites et les prières de la sainte Messe, le concile de Trente (Sess. XXII, C. 8, *de sacrificio Missæ*) fait un devoir aux pasteurs des âmes de les expliquer à leurs ouailles. Pas n'est besoin pour cela d'entrer dans de longs développements, que d'ailleurs le temps consacré au prône et à l'instruction catéchistique, ne permet point: quelques explications succinctes au commencement de chaque époque de l'année ecclésiastique, à l'approche d'une fête, à l'occasion d'une instruction sur les sacrements, peuvent suffire. A cette fin le livre que nous annonçons ci-dessus leur sera d'une grande utilité et les dispensera de recourir à des ouvrages plus volumineux. Après une introduction assez-étendue, qui contient des notions des plus instructives sur les cérémonies religieuses en général, sur les actions et la langue liturgiques, sur les oratoires et les églises, l'auteur dans un premier chapitre traite de l'année ecclésiastique, de ses

trois périodes et des fêtes principales qui ont leur place marquée dans chacune d'elles : c'est *le propre du temps.*

Le second chapitre est intitulé *Propre des saints :* on y trouve une étude concise mais assez complète sur les fêtes secondaires de N. S., sur celles de la sainte Vierge, sur les fêtes principales des anges et des saints. — Enfin le troisième chapitre nous fournit l'interprétation des cérémonies usitées dans l'administration des Sacrements et la célébration de la Messe, ainsi que l'explication des prières publiques et des bénédictions solennelles réservées à l'Evêque.

L'ouvrage est parsemé de notions historiques puisées aux sources les plus autorisées ; on y rencontre aussi bien des remarques ascétiques, qui édifient le lecteur et peuvent être utilement proposées aux fidèles. — Ajoutons que l'auteur nous avertit dans sa préface, qu'il s'est assuré la collaboration de plusieurs prêtres spécialement compétents en cette matière.

H. Van den Berghe.

Collationes Brugenses

Breve Beatificationis Ven. S. D. Juliæ Billiart Institutricis Congregationis Sororum Beatæ Mariæ Virginis.

PIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod Joannes vidit in monte Sion Virginum agmen sequi quocumque ierit Agnum qui inter lilia pascitur, et suavissimum audivit edere canticum quod nemo poterat dicere, luculenter demonstrat quanti apud Deum habeatur intemerata virginitas, ea nimirum vivendi ratio, angelicæ potius quam humanæ naturæ consentanea. Et sane providentissimus Deus qui investigabili sapientiæ suæ consilio, infirma mundi eligit ut fortia quæque confundat, sanctas sæpe fœminas, quæ mundi illecebris posthabitis, sese totas cœlesti Sponso manciparunt, ad magna et præclara facinora peragenda excitat, et nefariis ausibus hominum profligatorum divina et humana omnia permiscentium muliebres vires opponit. Ex agmine enim Virginum, quæ sequuntur Agnum, aliæ intra claustra umbratilem et solitariam vitam ducentes, quasi hostiæ voluntariæ precibus, jejuniis et continenti vitæ ratione illatas Deo injurias expiare ac divinam justitiam compescere student; aliæ contra, actuosam in assidua bonorum operum exercitatione ætatem agentes, in nosocomiis, in hospitiis, in scholis et in militaribus quoque castris, sollicita Marthæ ministeria sortitæ in proximorum emolumentum, industria christianæ charitatis, studio incumbunt. Has inter, admirando non minus quam jucundo spectaculo anxiis bonorum animis de sorte juventutis utriusque sexus, tot obnoxiæ periculis ex impiorum hominum diuturno molimine, lectissimæ illæ sunt fœminæ quæ virginum animis, ceu teneris virgultis excolendis, et ad solidam pietatem doctrinamque informandis, quasi positæ custodes in vineis animum adjecerunt, juxta illud Ecclesiastici : (XXIV, 42) *Rigabo hortum meum plantationum, et inebriabo prati mei fructum.* Hanc illustrem in aciem jure enumeranda est Venerabilis Dei Famula Julia Billiart, sæculo XVIII Gallici cœli lucidum sidus, optime

de christiana republica per puellarum institutionem merita, et Mater legifera Congregationis Sororum Beatæ Mariæ Virginis. In veteris Picardiæ oppidulo, cui vulgo nomen *Cuvilly*, diœcesis Bellovacensis intra fines nata et lustralibus aquis abluta est die XII mensis Julii anno MDCCLI et Mariæ Rosæ Juliæ nomina infantulæ sunt indita. Parentes tenuis conditionis habuit, qui agros colentes et exiguam mercaturam agentes, victum sibi suisque quæritabant. Vix tener animus sese explicuit, constat mirificam in puellula enituisse virtutis indolem, quæ quotidie magis confirmata est cum ad eam accederet optima parentum disciplina, qui in Juliam e natis dilectissimam, curas omnes suas diligenti studio ponebant, ut pia et laboris amans succresceret. Ea ætate, quæ maxime solet ineptiis nugisque esse dedita, nihil ipsa pueriliter fecisse dicitur, sed genitoribus ac magistris obsequens et domi ad modestiam composita, ut ne leviter quidem de ea parentes queri possent, curavit. In schola tam uberes brevi progressus fecit et doctrinæ christianæ præceptis sic est erudita, ut puella septennis jam eadem in curiali templo æqualibus suis, annuente parocho, facile posset tradere. Videre erat Juliam jam zelo illo, accensam, quo per vitam integram exarsit, pueros et puellas natalis oppidi ultro ad se accire eosque christianæ fidei rudimenta mira patientia docere. Qua morum innocentia primam ætatem duxerit, ex eo facile conjici potest, quod eidem novenni et jam maximo cœlestis convivii desiderio flagranti concessum fuerit, ut Sacræ Mensæ particeps fieret, idque secreto, ne cæterarum invidiam excitaret. Sic adolevit dulcis egregiæque indolis puella, singulari illi christianarum virtutum excellentiæ præludens, quam postea fuit consequuta. Annum agens quartumdecimum ætatis suæ, quo cœlesti Sponso liberius deserviret, se voto castitatis obstrinxit. Interea cœtibus et ludis etiam licitis abstinens sæpe in secretum domi seducta, divina mysteria meditabatur, et quotidie domesticis negotiis studiose absolutis, subsecivum tempus in Ecclesia devote ante Sanctissimam Eucharistiam flexis genibus orans insumebat, quasi in cœlestium rerum contemplatione defixa, Deum flagitaret ut novas sibi vires animumque adderet ad proximos tribulationis dies tolerandos. Crescentibus enim rei familiaris angustiis, ad parentum inopiam sublevandam vel

agrestes labores aggredi non dubitavit, ingenti cum fructu colonorum quos inter ipsa versabatur, haud minus operum socia, quam pietatis magistra. Sæpe sub diu dum intermisso labore recederent, illa rusticos homines ad divinas simul laudes concinendas compellebat. Nondum quintum ætatis lustrum compleverat, cum subito in ipso juventutis flore, paralysi correpta in lectulo jacuit ubi duos ac viginti annos affixa miræ fortitudinis ac patientiæ documentum extitit. Et sævos enim destinati morbi cruciatus æquo jugiter animo sustulit, et exemplo, precibus, consilio, adhortationibus nunquam juvare proximos intermisit. Pueros et puellas circa lectulum assidentes catechesim docebat, sæpe adultos homines, sed religionis præcepta non minus ignorantes, dulci eloquio ad eadem mandata servanda atque ad virtutis semitam terendam haud frustra hortabatur. Impetrata a parocho quotidianæ Communionis venia, plures diei noctisque horas orationi dicabat, atque orans amore erga Deum ita inflammabatur, ut cœlestis ille ignis ex ore ipso atque oculis emicaret. Sed brevi spirituale hoc etiam solatium Venerabili Dei Famulæ defuit. Nam ea tempestate in Galliis, nefarie Rege interempto, summa rerum in manus profligatissimorum civium venit; hinc teterrima in bonos orta insectatio præsertim in nobiles et ecclesiasticos viros, qui Deo Regique fideles, juramentum reipublicæ detrectabant. Pulso in exilium patrii oppiduli Parocho, Julia quam jam sanctæ vitæ fama invisam christiani nominis hostibus dabat, non sine præsenti Dei auxilio mortem effugit. Clam elata, infirmis enim cruribus insistere nequibat, huc illuc sæpe ad necem a factiosis hominibus quæsita, perfugit. Itinerum difficultate, cœli inclementia, morbi cruciatibus, et instantis mortis metu confecta, vix querulas edere voces poterat, donec fere semianimis Ambianum traducta, penes piam et nobilem fœminam Comitissam de Boudoin securo tandem in asylo consedit. Hic futuri operis sociam Mariam Ludovicam Franciscam Blin, nobilitate generis non minus, quam virtutum ornamento præclaram puellam reperit, quæ lectulo Juliæ christianæ charitatis spiritu adducta dum assideret, arctis se cum paupere infirma spiritualis et frugiferæ amicitiæ vinculis devinxit. Cum Venerabilis Dei Famula tot etiam ac tanta inter discrimina in apostolatu suo perseveraret, hæc nobilis puella

accitis ad se quinque aliis sociis ad finem præcipuum tradendi infantibus catechesim, prima posuit religiosæ familiæ fundamenta, ipsa in domo quæ infirmam Juliam recipiebat; et eam, quæ licet decumbens, precibus et consiliis inchoatum opus sospitabat, dulci incuntis communitatis matris superiorissæ nomine cœpit compellare. Interea cum paullum civilis tumultus in Gallia resedisset, accidit ut Patres a Fide nuncupati sacræ Missionis causa, duce Patre Varin e Societate Jesu, Ambianum peterent. Hic auctor Venerabili Dei Famulæ consilii fuit instituendæ societatis ad christianam puellarum educationem; hoc adjutore atque auspice frugiferum opus continuo obediens aggressa est. Nam Julia illis cum paucis, quas sibi adsciverat, sodalibus operam religiosis viris contulit saluberrimam de fœminis populi edocendis maxime sollicita, quarum nonnullæ in tanta temporum tristitia rudimenta religionis ignorabant. Quo vero utilius commisso apostolico munere fungi posset, pater qui missionibus præerat nomine Enfantin probe noscens quot uberes, si convaluisset Venerabilis Dei Serva in Dominico agro fructus perceptura foret, labente mense Maio anno MDCCCIV quasi divino spiritu afflatus, Juliam ut novendiales Sacro Cordi Jesu preces funderet, flagitavit. Quinto earumdem die ipsam in viridario piæ domus Ambianensis de more sedentem adit, ut ambulet jubet, et statim dicto audiens Julia e sella surgens incedit. Sic viginti ac duos post annos divinitus propulsata paralysi, novissimo illius novendialis supplicationis die Venerabilis Dei Famula firmo procedens gressu, mirantibus omnibus adstantibus et Sororibus puellisque, quæ dulcibus consolationis lacrymis temperare non poterant, solemnes in communitatis sacello pro recuperata valetudine Deo gratias agere potuit. Alacrior effecta restitutas sibi vires omnes, quantum vita superfuit in operis suscepit propagationem effudit. Primum Instituto regulas ipse pater Varin dedit; illique nomen factum est: *Congregatio Sororum Beatæ Mariæ Virginis*. Nec mora; Venerabilis Dei Famula mirandum in modum nullis laboribus parcens, asperrima per æstus per glacies itinera suscepit, et ea nunquam fere intermisit, sive ut suæ Congregationi nova domicilia excitaret, sive ut jam constitutis melius consuleret. Sed ardua pluribus objectis impedimentis initia operis fuere, verum

jam tot adversis rebus exercita planeque erudita Fundatrix, in Deo confisa nunquam animo cecidit, sed sparso felici semine et aucto in dies postulantium et alumnarum numero sollicitudinis constantiæque condignum brevi præmium tulit. Et sane quamvis Venerabilis Dei Famula Galliam, ubi jam plures aperuerat domos, deserere, et in Belgium una cum Sororibus migrare coacta fuerit, maximos inibi, veluti uberi solo commissa arbor, Congregatio Sororum Beatæ Mariæ Virginis progressus nacta est. Florentes enim alumnarum frequentia domus pluribus in Belgii civitatibus, magno cum civium plausu et annuentibus Episcopis, erectæ sunt, præsertim Gandavii et Namurci qua in urbe Fundatrix domum Congregationis principem collocavit. Ipse autem decessor Noster Pius Papa VII dum apud Castrum Fontebellaqueum iniqua in custodia tenebatur, Juliæ ad sua genua provolutæ spem bonam dederat, futuræ per universum terrarum orbem propagationis tam frugiferi operis pro ecclesiæ juventutis et christianarum familiarum bono feliciter atque ex auspicato instituti. Ab anno MDCCCVII ad annum mortalis ævi supremum, septem in Belgio Venerabilis Dei Famula domos aperuit, quarum pio regimini atque etiam incolumitati, licet inter maximi belli discrimina, mira prudentia prospexit; ac verbo, epistolis, sanctæque vitæ potissimum exemplis, in humilitatis, paupertatis, orationis, charitatis et christianæ perfectionis spiritu Instituti sui religiosas sorores confirmavit, ita ut vere suavissimæ Sororum Beatæ Mariæ Virginis appellationi responderent, atque in puellarum institutione, meliori illo uterentur magisterio quod manat ab exemplo, sicut ait Paulus Apostolus: *imitatores mei estote sicut et ego Christi*. Verum tot pro gloria Dei, proximorum salute et Congregationis propagatione laboribus exantlatis simulque voluntariis cruciatibus extenuata adesse sibi finem persensit. Extremi morbi dolores tres menses æquissimo animo perpessa Mariæ Franciscæ Blin, dulcissimæ amicæ et apostolatus sociæ, quæ Matris a Sancto Joseph nomen in religione assumpserat et pro viribus in ministerio Fundatricem adjuverat, universæ communitatis regimen concredidit, atque in obtutu Crucifixi Redemptoris hærens placidissimo exitu obdormivit in Domino, cœlestes virginum choros tandem assequuta et Ejus aspectu potita *in quem desiderant angeli*

prospicere Namurci septimo idus Apriles anno MDCCCXVI ætatis suæ sexagesimo quinto. Vita functæ vultus nova quadam pulchritudine nituit; corpus aliquot post menses corruptionis expers repertum est. Quæ autem viventem prosequuta est fama sanctitatis ea non defecit mortuam, sed viguit roborata miraculis quæ per ejus intercessionem a Deo patrata ferebantur. Religiosa autem communitas ab ea fundata, cui tot christianæ familiæ, temporibus difficillimis optimam puellarum institutionem acceptam referre debent haud se Namurci Belgiique finibus continuit, sed a Sancta Sede probata vel in remotissimas plagas brevi se effudit, et sic maternæ sanctitatis odor longe lateque manavit. Quare collectis testimoniis, et juridicis inquisitionibus rite persolutis penes Sacrorum Rituum Congregationem Causa agi cœpta est. Et cum Venerabilis Serva Dei adeo multiplici virtute floruerit, ut exempla ejus proponi cuivis ferme vitæ generi possint, modestiam enim et mansuetudinem cum fortitudine et constantia sociavit, cum urbanitatis officiis patientiam, cum sollicitudine regiminis pœnitentiam, cum pietate charitatem, et cum assidua cœlestium rerum contemplatione actuosam vitam, ipse Decessor Noster sanctæ memoriæ Leo Papa XIII in solemni conventu in Vaticanis ædibus in sua præsentia habito plane recordatus est se quo tempore Nuntii Apostolici munere apud Belgas fungebatur, sæpissime graves e Clero viros atque etiam Episcopos audivisse præclarissimæ illius fœminæ sanctimoniam summis cum laudibus efferentes, et per decretum octavo Idus Januarias anno MCMIII (1) datum, Venerabilis Dei Famulæ Juliæ Billiart virtutes heroicum attigisse fastigium asseruit. Inita est deinde actio super tribus miraculis, quæ ea deprecante patrata a Deo ferebantur, omnibusque juridicis probationibus absolutis, Nos ipsi per decretum die X mensis Decembris anno superiore datum (2) de singulis constare diximus. Cum autem de virtutibus ac de tribus miraculis jam esset judicium prolatum, unum supererat inquirendum, nimirum ut Venerabiles Fratres Nostri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Congregationi Sacrorum Rituum præpositi interrogarentur, utrum

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 28.
(2) *Item*, vol. XIV, p. 33.

Beatorum cœlitum honores Venerabili Dei Famulæ Juliæ Billiart decerni tuto possent. Hoc præstitit dilectus filius Noster Dominicus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Ferrata Causæ Relator in generali conventu coram Nobis, in Vaticanis ædibus tertio Kalendas Februarias vertentis anni habito, omnesque tum memorati Cardinales, tum qui aderant Patres Consultores affirmative responderunt. Nos vero ab aperienda mente Nostra supersedimus, rati exorare Deum oportere ante edendum in re tam gravi supremum judicium. Quod cum impense fecissemus tandem Dominica prima Quadragesimæ hujus anni, Eucharistico litato Sacrificio, accitis et adstantibus Aloisio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Tripepi Sacræ Rituum Congregationi Pro-Præfecto et Dominico Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Ferrata Causæ Ponente, una cum Venerabili Fratre Diomede Panici Archiepiscopo Laodicensi ejusdem Congregationis Secretario, nec non Reverendo Patre Alexandro Verde Sanctæ Fidei Promotore, solemni decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Famulæ Juliæ Billiart Beatificationem quarto nonas Martias anno MCMVI (1). Quæ cum ita sint, Nos precibus permoti universæ Congregationis Sororum Beatæ Mariæ Virginis, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabilis Serva Dei Julia Billiart, Institutrix ejusdem Congregationis, Beatæ nomine in posterum nuncupetur ejusque Corpus seu Lypsana seu Reliquiæ, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendæ, publicæ fidelium venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Præterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illa recitetur Officium, et Missa celebretur singulis annis de Communi Virginum cum orationibus propriis a Nobis approbatis. Ejusmodi vero Missæ celebrationem et Officii recitationem fieri dumtaxat concedimus in diœcesi Namurcensi et in omnibus ecclesiis et oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Religiosa Congregatio Sororum Beatæ Mariæ Virginis ab omnibus fidelibus tam sæcularibus quam regularibus, qui horas canonicas recitare teneantur: et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus ad templa in quibus Beatæ ejusdem

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIV, p. 24.

festum agitur confluentibus, servato decreto Sacrorum Rituum Congregationis (3862 Urbis et Orbis) die IX Decembris anno MCCCXCV. Denique concedimus ut Sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famulæ Juliæ Billiart in diœcesi ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrorum Rituum Congregationis die XVI Decembris anni MDCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando; quod quidem statis legitima auctoritate diebus, fieri intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictæ Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Præfecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam judicialibus fides habeatur, quæ Nostræ voluntatis significationi hisce litteris extensis haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XIX Martii anno MCMVI, Pontificatus Nostri anno III.

L. ✠ S.

ALOISIUS Cardinalis MACCHI.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris

—

I

Explica I Pet. 13-21, ostendendo quomodo auctor lectores ad sanctitatem adhortetur.

II

Expone conditiones requisitas ad meritum de condigno *ex parte personæ operantis.*

III

Quamnam obligationem inter sponsos inducunt sponsalia?

IV

Quomodo procedat oportet parochus quando instanti matrimonio opponuntur sponsalia ab alterutro sponso cum tertia persona olim contracta?

V

An et quousque datur obligatio revelandi impedimentum quod cognoscitur inter nupturientes existere?

VI

An et quare in votis est Ecclesiæ ut S. Communio distribuatur intra missam potius quam extra? Licetne eam distribuere in paramentis missæ ante missam *Requiem* aut solemnem?

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

Q. *Ostende quibusnam et qua de causa scripta fuerit epistola S. Jacobi.*

R. I. QUIBUSNAM? Ep. S. Jacobi scripta fuit *Judæo-christianis extra Palæstinam degentibus, qui, quoad maximam partem, pauperes erant et oppressi.* Id enim ex epistolæ inscriptione c. I, 1 et ex variis quæ in textu colligi possunt certò colligitur (1).

a/ Lectores ep. Jac. *Judæo-christianos* fuisse colligitur imprimis ex epistolæ inscriptione I, 1: « Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem », gr. ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Verba *duodecim tribus* nihil aliud quam integrum populum judæum significare possunt (2). Additum « quæ sunt in dispersione » verba « duodecim tribus » pressius determinant, ità ut integra dictio populum judæum seu *Judæos extra Palæstinam*

---

(1) Multum et acriter de lectoribus ep. S. Jacobi disputatum fuit, uti videre est apud ERMONI: VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, t. III, Paris, 1903, p. 1088 s. Alii enim epistolam nostram destinatam fuisse dixerunt Judæis non conversis; alii verò Judæis omnibus sive conversis sive non conversis; hi tùm Judæo-tùm Ethnico-christianis; alii tandem Judæo-christianis cum relatione quadam ad Ethnico-christianos, imo tum ad Judæos non conversos. CORNELY, *Historica et critica Introductio in U. T. libros sacros*, t. III, Parisiis, 1886, p. 602 ss., Cf. ZAHN, *Einleitung in das N. T.*, Leipzig, 1900, t. I, p. 52 ss ; GUTJAHR, *Einleitung zu den h. Schriften des N. T.*, Graz, 1905, p. 371 s ; PLUMPTRE, *The general epistle of S. James*, Cambridge, 1901, p. 35 ss.

(2) Cf. *Exod.* XXIV, 4; *Mt.* XIX, 28; *Lc.* XXII, 30; *Apoc.* XXI, 12; *Act.* XXVI, 6; ZAHN, *o. c.*, p. 56 s. Hoc tamen non impedit quominus in communitatibus aliqui *ethnico*-conversi Judæo-christianis admixti fuerint Quod quidam confirmari putant ex II, 27-25, ZAHN, *o. c.*, p. 65.

dispersos significet. Judæi enim qui permixti cum ethnicis Palæstinam, terram patriam, habitabant, in « dispersione » esse non censebantur (1). Solos autem Judæo-*christianos* ab auctore respici, vel ex eo patet quod ipse auctor se « Dei et Domini Nostri Jesu Christi servum » appellans solis Christi discipulis se scribere satis clare docet.

b/ Lectores *Judæo-christianos* fuisse e reliqua epistola clarius adhuc elucet. Etenim Jacobus lectores in Scripturis Veteris Testamenti omnino fuisse versatos suo argumentandi modo frequenter innuit. Præterea eos non tantum ut « fratres » (I, 2) alloquitur, de qua appellatione, si solitaria esset, quis adhuc ambigere posset, sed clare eos christianos esse significat, ut quomodo aliquis de Judæis non conversis velut primis epistolæ lectoribus cogitaverit, plane non intelligatur (2). Ita I, 18 ad eos scribit quos Deus « voluntarie genuit verbo veritatis, ut sint initium aliquod creaturæ ejus » (3); II, 1 eos hoc modo alloquitur: « Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ »; super eos « bonum nomen (Christi) invocatum est », II, 7; patientes esse debent « usque ad adventum Domini » V, 7 etc.

c/ Præterea e variis epistolæ locis apparet Judæo-christianos illos maximam partem *pauperes* fuisse a

---

(1) In omni fere regione tunc temporis, maxime in Ægypto et in Asia Minori, Judæorum communitates degebant, quæ quidem commercium vitæ continuum cum Hierosolymis servabant, verùm etiam negotium frequens cum ethnicis habebant. Hujus autem *dispersionis* causæ variæ assignandæ veniunt. Judæi alii, tempore exilii Babylonici deportati, nunquam Palæstinam redintegraverant; alii sub Pompejo Romam captivi ducti fuerant; alii, durante imperio Græco Romano, commercii ac negotiorum causa, libere in exteras provincias migraverant; alii demum, bella seditionesque domesticas fugientes ad extraneas gentes confugerant. Cf Schürer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi*, Leipzig, 1898, t. III, p. 2 ss.

(2) Cf. Van Steenkiste et Camerlynck, *Epistolæ catholicæ*, Brugis, 1906, p. 18.

(3) Cf. *Ephes.* II, 12; *Rom.* VIII, 23.

divitibus contribulibus suis Judæis vel etiam paganis *oppressos*. Cf. I, 10-11; II, 5-6; V, 1 ss.

d/ Generalis inscriptio epistolæ in hujus corpore nullibi explicite restringitur. Peculiaria tamen adjuncta Jacobus præ mente habere videtur necnon contra peculiaria pericula lectores monet: vitia quæ redarguit et errores quos impugnat in omnibus et singulis communitatibus Judæo-christianis viguisse nemo facile dabit. Unde eum præsertim ad determinatas quasdam ecclesias scripsisse meritò conjici potest. Quum autem, juxta probabiliorem sententiam, epistola haud post a. 50 exarata fuerit, cogitandæ sunt ecclesiæ quædam Syriæ aliusve regionis extraneæ ab Hierosolymis haud longe dissitæ.

II. Causa scribendi. S. Jacobus epistolam suam præcipue moralem contribulibus suis conversis quorum pastor erat Hierosolymis, scribit: 1/ *ut eos ad constantiam in fide adhortetur, nonobstantibus persecutionibus ac rebus adversis quibus premebantur, utque eos in suis tribulationibus consoletur;* 2/ *ut corrigat abusus vitiaque extirpet quæ inter illos irrepserant, eos hortatus ut mores fidei suæ conforment, seduloque monens ad salutem obtinendam non sufficere solam fidem sed etiam requiri bona opera.*

Occasio enim scribendi fuisse videtur prioris fervoris diminutio necnon quædam Judæo-christianorum animi dejectio ex variis causis, tùm externis, tùm internis orta.

a/ *Causæ externæ.* Neo-conversi ex una parte populares suos videbant plerumque in incredulitate perseverantes, initio indifferentes, sed statim postea hostiles, imo et persecutores (1). Ex altera vero parte se pauperes conspiciebant ab incredulis oppressos divitibus: hic manuum labore privabantur, ibi debita frustrabantur mercede (2); nunc absque misericordia ad judicia

(1) Cf. v. g. *Act.* VIII, 1-4; IX, 1-2; XII, 1 ss.
(2) *Jac.* V, 4.

trahebantur (1), nunc coram synagogis persecutiones patiebantur et, quasi hæc nondum sufficerent, ad extremam quasi paupertatem redigebantur (2).

b/ *Causæ internæ.* Mediis in tribulationibus fides multorum paulatim languescebat (3), et vitiosis consuetudinibus quibus ad fidem conversi valedixerant, sensim sino sensu iterum indulgebant. Sic pauperes in conventibus sacris quandoque contemnebantur (4); charitas fraterna non ab omnibus rite servabatur (5); nonnulli magistri munus indebite sibi arrogabant (6); detractiones aliaque linguæ peccata plures committebant (7); contentiones et jurgia inter eos exoriebantur (8); jusjurandum quandoque temere fiebat (9); apud plures studium sanctæ precationis deficiebat (10); superbia ac vana gloria quærebatur (11); ritus quidam sacri forsan neglectui tradebantur (12). Cui ecclesiarum statui Jacobus opportune mederi voluit (13).

A. Camerlynck.

II

A. *An et cur admittenda est in Christo homine scientia* per se *infusa?*

R. I. **Prænotandum.** 1/ Scientia *per se* infusa est illa quæ talis est speciei ut non possit haberi nisi per infusionem a Deo; *per accidens* infusa est illa scientia quæ talis est speciei ut possit acquiri et tamen de facto

---

(1) *Jac.* II, 6. — (2) *Jac.* II, 15-17. — (3) *Jac.* II, 14, 20-26. — (4) *Jac.* II, 1-9. — (5) *Jac.* II, 7. — (6) *Jac.* III, 1, 13 ss. — (7) *Jac.* III, 1-12; IV, 11-13. — (8) *Jac* IV, 1-2. — (9) *Jac.* V, 12. — (10) *Jac.* V, 13, 17-18. — (11) *Jac.* V, 6-10. — (12) *Jac.* V, 14-16.

(13) Cf. Meinertz, *Der Jacobusbrief und sein Verfasser in Schrift und Ueberlieferung*, Freiburg i. B., 1905, p. 313 s.; Mayor, *Dictionary of the Bible*, t. II, Edinburgh, 1904, p. 540; Beyschlag, *Der Brief des Jacobus*, Göttingen, 1898, p. 14 ss.; Salmon, *Historical Introduction to the study of the N. T.*, London, 1904, p. 453 ss.

infundatur: talis fuit, v. g., rerum naturæ scientia quam Deus Adamo ab initio indidit (1).

2/ Ut ulterius intelligatur natura scientiæ per se infusæ quæ Christo attribuitur, considerandum est animam humanam habere naturaliter duplicem statum, nempe, conjunctionis cum corpore, ut in statu viæ, et separationis a corpore, ut in statu termini ante corporum resurrectionem, et in utroque statu specialem habere cognoscendi modum connaturalem. In priore statu non intelligit nisi per species a phantasmatibus acceptas et ab eis dependentes; dependentes non solum quoad originem, verum etiam quoad usum, quatenus dum anima actu intelligit, continuo indiget convertere se ad sensibilem phantasmatis repræsentationem. In statu vero altero intelligit per species ab ipso Deo infusas, quæ longe alterius rationis sunt quam species acquisitæ, quum nec quoad originem, nec quoad usum a phantasmatibus dependeant (2).

« Scientia ergo infusa, de qua in præsenti, illa est quæ proportionatur animæ pro statu termini (seu separationis a corpore); et quia habet modum naturæ humanæ commensuratum, non est simul in actu respectu omnium objectorum suorum sicut scientia beata, sed ea utitur anima prout vult. Potest consistere cum solo lumine naturaliter indito et sic est certo certius in damnatis; sed tum dicenda videtur omnino imperfecta, nam anima cum sit infima in ordine intellectivarum substantiarum, infimo etiam et debilissimo modo participat intellectuale lumen sive intellectualem naturam; quo fit ut, nisi a Deo per habitum superadditum confortetur, non sufficiat ad plene et complete cognoscendum eo cognoscendi modo qui puris spiritibus maxime proprius est » (3).

---

(1) Cf. Cajetanus, in III, Q. IX, a. 4; Billuart, *De Incarnatione*, Dissert. IX, a. 1.

(2) Cf. Billuart, *o. c.*, l. c.; Billot, *De Verbo Incarnato*, 3ª Edit. Romæ, 1900, p. 214, s.

(3) Billot, *o. c.*, p. 215 s.

Igitur scientia *per se* infusa in Christo est scientia per species infusas et simul cum præternaturali lumine indito intellectui, ita ut sit scientia ejusdem generis cum scientia animæ separatæ sed *perfecto modo* habita.

II. Admittenda videtur hæc scientia in Christo homine.

Demonstratur. Decebat ut intellectus animæ Christi fuerit perfectus omni genere scientiæ quæ ipsi connaturalis erat et quæ non opponebatur ipsi œconomiæ operis Redemptoris ; atqui talis est scientia *per se* infusa ; ergo.

Major declaratur. Assertum in majore sequitur ex universali principio, communi inter theologos, quod Christus, propter eminentem dignitatem unionis hypostaticæ, nulla perfectione carere debet cujus capax est et quæ componi potest cum opere redemptionis quale fuerat a Deo statutum (1): hæc doctrina relate ad animam Christi exponitur a Leone XIII: « Divini autem Spiritus operâ non solum conceptio Christi effecta est, sed ejus quoque sanctificatio animæ quæ *unctio* in sacris libris nominatur (2): atque ideo omnis ejus actio *præsente Spiritu peragebatur* (3), præcipueque sacrificium sui: *Per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo* (4). — Ista qui perpenderit, nihil erit ei mirum quod charismata omnia almi Spiritus in animam Christi affluxerint. Namque in ipso copia insedit gratiæ singulariter plena, quanto maximo videlicet modo atque efficacitate haberi possit ; in ipso omnes sapientiæ scientiæque thesauri, gratiæ gratis datæ, virtutes,

---

(1) Cf. S. Thomas, III, Q. IX, a. 3; Cajetanus in h. l.; Capreolus, in III, D. XIV, a. 1, 2ª concl.; Medina, in III, Q. IX, a. 3; Jungmann, *De Verbo Incarnatio*, n. 248, Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, Œniponte, 1896, T. II, n. 558; Pesch, *Tractatus dogmatici*, T. IV, Friburgi Br. 1896, n. 264; Fei, *Theologia dogmatica*, Taurini, 1904, T. III, n. 67.

(2) Actor. X, 38.

(3) S. Basilius, *De Spiritu S.*, c. XVI.

(4) *Hebr.* IX, 14.

donaque omnino omnia quæ tum Isaïæ oraculis nunciata (1), tum significata sunt admirabili ea columba ad Jordanem, quum eas aquas suo Christus baptismate ad sacramentum novum consecravit » (2).

Minor declaratur. Scientia *per se* infusa est perfectio, imo habita cum luce præternaturali, est major perfectio quam scientia acquisita. Jamvero hujus perfectionis capax erat anima Christi, a primo instanti Incarnationis; nec operi Redemptionis perficiendo opponitur hæc scientia: hæc enim haberi potest simul ac ipsa visio Dei intuitiva; præterea nulla intellectus perfectio impedit quominus Christus patiatur et satisfaciat.

Sed, ut videtur, non solum in potentia mere obedientiali ad hanc scientiam habendam erat Christus, sed aderat aliqua specialis ratio convenientiæ. Scientia per se infusa est propria et naturalis animæ separatæ a corpore: inde illam scientiam habere debebat Christus statim post mortem suam.

Sed considerandum est quod status separationis a corpore coincidit cum *statu termini*. Status *viæ* dicitur ille in quo homo tendit vel tendere potest ad ultimum finem attingendum, seu ad merendum æternam beatitudinem; status *termini* dicitur ille in quo homo jam non potest tendere ad ultimum finem, seu mereri æternam gloriam: est status in quo homo vel actu possidet æternam felicitatem, vel illam meritus est, licet actualis possessio adhuc desit propter pœnas luendas in purgatorio, vel illam irreparabiliter amisit.

Porro ex revelatione scimus statum *viæ* eumdem esse ac statum unionis animæ cum corpore et statum *termini* incipere ab ipso instanti separationis animæ a corpore: inde, de facto, scientia *per se* infusa habetur ab omnibus animabus in statu *termini*, et remanet in illis quæ fruuntur visione beatifica (non enim repugnat ut plures scientiæ

(1) IV, 1; XI, 2, 3.
(2) Encyclica « Divinum illud munus ». V. *Collat. Brug.*, t. II, p. 366.

speciei diversæ adsint simul in eodem subjecto) (1); imo remanebit, ut videtur, etiam quando animæ, post resurrectionem, iterum corporibus adunabuntur.

Jamvero anima Christi, a primo instanti Incarnationis, licet unita corpori, erat tamen constituta in statu *termini,* quatenus fruebatur visione Dei intuitiva: inde conveniens fuit ut ab hoc etiam tempore habuerit scientiam *per se* infusam, quæ, de facto, habetur ab omnibus animabus positis in statu *termini.*

Ad rem De Lugo: « Christus, licet quod attinet ad corpus, et ejus passiones, esset viator; sed tamen quoad animam erat vere comprehensor, atque adeo ejus animæ debebatur cognitio, qualem habent animæ beatæ, sive a corpore separatæ, sive conjunctæ: certum autem est, hujusmodi animas separatas habere cognitionem rerum in seipsis: cognoscunt enim objectum instar Angelorum per species proprias et quidditativas; quod genus cognitionis non perdent ex unione ad corpus post diem judicii: ergo multo minus defuit hæc cognitio Christo Domino, dum erat in hac vita; alioquin deberes fateri post suam mortem accepisse Christum in sua anima aliquam scientiam, quam in vita non habuerat, quod videtur absurdum; ergo habuit ab initio aliquod genus cognitionis simile Angelis, et animabus separatis, et distinctum a cognitione beata et a scientia acquisita per sensus » (2).

Adnotatio. 1/ « Quæret fortasse aliquis quo gradu certitudinis tenenda sit doctrina posita. Nonnulli enim Theologi temerarium esse dicunt negare hanc scientiam, sed vereor ne hoc temere dictum sit, quia ubi nulla est auctoritas Scripturæ vel Patrum, quæ multum urgeat, et graves Theologi inter se dissident, solumque con-

---

(1) Cf. Lepicier, *Dell' anima umana separata dal corpo,* Roma, 1901, p. 131.

(2) *De Mysterio Incarnationis,* Disp. XX, Sect. I, n. 5; cf. Billot, *o. c.,* p. 216.

jecturis utuntur, non video cur temeritatis nota inurenda sit » (1).

Et sane negare in Christo omnem scientiam supernaturalem vel præternaturalem esset plus quam temerarium; præterea erroneum esset, ut videtur, negare in Christo visionem Dei intuitivam; sed quoad scientiam per se infusam, non potest asseri nisi cum solida probabilitate. Non desunt theologi qui admittunt in Christo scientiam *per accidens* infusam, et non *per se* infusam; quidam utramque admittunt. S. THOMAS adscribit Christo (præter scientiam beatam), scientiam *per se* infusam et scientiam naturaliter acquisitam; non vero scientiam *per accidens* infusam, quam sententiam multi Thomistæ et alii sequuntur (2): huic sententiæ adhæremus.

2/ S. BONAVENTURA, in III, D. XIV, a. 3, q. 1, Christo adscribit explicite scientiam infusam qualis hæc fuerit in Adamo: hæc autem scientia est *per accidens* infusa; in illo loco non explicite loquitur de scientia *per se* infusa. Videtur tamen admisisse hanc scientiam in Christo (3).

SCOTUS in III, D. XIV, q. 3, censet non admittendam esse in Christo scientiam acquisitam: *quia* duo accidentia ejusdem speciei non possunt esse in eodem subjecto: admittit in Christo scientiam infusam, sed quæ esset ejusdem speciei cum scientia acquisita: illa autem est *per accidens* infusa; non admittit, ut videtur, scientiam *per se* infusam.

DURANDUS in III, D. XIV, q. 4, quærendo: *utrum in Christo fuerit scientia modo humano acquisita,* respondet: « De hac quæstione sunt duo modi dicendi... Unus est quod in Christo fuit scientia humano modo acquisita. Alius est quod in Christo non fuit aliqua talis scientia. Et uterque modus potest aliqualiter sustineri, facta tamen alia et alia suppositione: si enim ponatur quod omnis scientia infusa sit alterius

---

(1) SUAREZ, *De Incarnatione,* Comment. in Tertiam Partem D. Thomæ, Disp. XXV, sect. III, n. 5.

(2) Cf. de hac re PESCH, *o. c.*, n. 266.

(3) Cf. Scholion annexum ad locum citatum ab Editoribus operum S. Bonaventuræ in editione confecta *Ad claras aquas* (Quaracchi).

rationis a scientia acquisita tunc posset probabiliter sustineri quod præter scientiam infusam fuit in Christo alia scientia naturali modo acquisita... Si autem scientia infusa et acquisita sint ejusdem rationis maxime ejusdem objecti tunc tenendus est secundus modus, scilicet quod in Christo non fuit aliqua scientia modo naturali acquisita. Suppositio autem videtur probabilis quia sicut visus naturaliter habitus et per miraculum restitutus est unius rationis, sic scientia naturaliter acquisita et divinitus infusa videtur esse unius rationis. Quo supposito probatur quod in Christo non fuit scientia acquisita ». Durandus igitur ut probabiliorem habet sententiam quæ dicit scientiam infusam esse ejusdem rationis ac naturaliter acquisitam; ideo illam admittendo in Christo, hanc negat. Non admittit scientiam *per se* infusam quæ est diversæ rationis ac acquisita. — Ut ex supra dictis constat, tenemus dari in Christo scientiam *per se* infusam, et admittimus omnino in Christo scientiam naturaliter acquisitam: de qua, v. suprà, p. 296.

Non tamen *repugnare* videtur quod esset in Christo etiam scientia *per accidens* infusa, sed de aliis objectis ac sunt objecta quæ Christus naturaliter cognovit; non tamen datur ratio ponendi illam scientiam *per accidens* infusam.

J. Van der Meersch.

III

Q. Quotuplici titulo requiritur attritio in sacramento Pœnitentiæ. Explica.

Respondetur.

Attritio in sacramento Pœnitentiæ requiritur duplici titulo:

A/ tanquam *pars sacramenti*, seu tanquam elementum constitutivum ipsius signi sacramentalis, juxta sententiam communiorem quæ tenet sacramentum Pœnitentiæ constitui absolutione tanquam forma, et actibus pœnitentis tanquam materia: contritione scilicet, confessione et satisfactione.

B/ tanquam *dispositio ad fructuositatem,* quo titulo

requiritur uti conditio sine qua non, uti removens prohibens, ne, defectu attritionis, obstaculum ponatur ac impedimentum ad consecutionem gratiæ ac remissionis peccatorum.

Et sane, quoad B/, impossibile est quod homo interius justificetur, ac a peccati macula emundetur, quousque ipsi peccato adhæreat ac affectum ad illud non retraxerit. Quod autem, ad præparandam justificationem vi sacramenti Pœnitentiæ, satis sit ut *attritione,* potius quam contritione perfecta, affectum illum revocaverit pœnitens, patet vel ex hoc solo quod secus sacramentum Pœnitentiæ nunquam valeret justificare peccatorem, cum eum semper inveniret per contritionem justificatum ac gratia sanctificante donatum (1).

Attamen *non parum diversæ sunt dotes* quæ in attritione postulantur, prouti munus agit elementi constitutivi in sacramento, vel munus simplicis dispositionis ad fructuositatem; quæ diversitas in eo potissimum est quod attritio, in quantum 1°/ dispositionem constituit ad fructuositatem, debeat esse appretiative summa et universalis quoad peccata commissa et committenda; in attritione vero, in quantum 2°/ partem constituit sacramenti, non videatur officere quod bona fide non fuerit universalis nec appretiative summa.

Quod spectat *primum,* id eruitur ex modò dictis, nempe tanquam conditionem sine qua non ad justificationem peccatoris exigi retractationem peccati, non quidem perfectam, sed saltem talem quæ amplectatur

(1) Equidem « quantum est ex opere operantis, nondum est factum satis ad destruendam offensam adhuc imputabiliter remanentem, et nondum invenitur homo conversus ad Deum ut ad ultimum totius humanæ vitæ finem; nihilominus ablatum est obstaculum prohibens ne sacramentum hanc conversionem in habitu operetur. In quo juvari iterum potes exemplo: nam si aliquis rumperet vinculum quo alligatus erat ad unum terminum, nondum quidem actu suo se converteret ad terminum oppositum; esset tamen in proxima dispositione requisita ad hoc ut per causam extrinsecam ab uno situ in contrarium immutaretur, et sic esti n præsenti ». Billot, *De sacramentis Ecclesiæ,* II, p. 156-157.

omne peccatum lethale ac omnem voluntatem peccati excludat. Ad hoc autem debet attritio esse *universalis* (1) et *simul appretiative summa,* adeo ut destetetur sic attritus *omne* peccatum lethale, idque *supra omnia mala* quorum timor potest inducere ad peccandum (2).

Quod attinet *secundum,* sat communiter docetur sacramenti constitutioni non nocere quod attritionem involuntarie (3) non extendat pœnitens ad omnia peccata mortalia, puta si concipitur ex motivo peculiaris turpitudinis inhærentis uni peccato declarato, non autem alii peccato bona fide omisso; ægrius autem admittitur, pro perfecta sacramenti constitutione, non referre quod attritio involuntarie non sit appretiative summa.

Quod tamen ultimum non modicùm suadent argumenta duo quæ suggerit BILLOT, o. c., p. 163 et seq.:

a/ « quia contritio non est integralis pars sacramenti nisi prout *sensibilizata* in externo actu sistendi se judicio clavium; oportet enim materiam esse sensibilem, et

---

(1) Attritio *universalis* importat dolorem de *omnibus* peccatis commissis, conceptum scilicet ex motivo universali vel ex motivo particulari omnibus peccatis admissis applicabili, et simul importat propositum vitandi quodcumque grave peccatum futurum: quod propositum sufficit virtualiter contentum in dolore ac detestatione ex motivo universali conceptis. Attritio autem universalis non est necessariò appretiative summa, cum quis possit omne quidem peccatum detestari sed non super omnia; quodsi non est universalis simul et appretiative summa non excludit omnem voluntatem peccandi, ut intendenti patet.

(2) Attritio nempe, uti olim notavimus, apud *Collat. Brug.,* t. IV, p. 460, non est nec esse potest appretiative summa *simpliciter et absolutè,* super omnia *absolute* mala, quod proprium est contritionis perfectæ, sed potest esse appretiative summa *secundum quid,* supra omnia scilicet mala quorum timor est inductivus peccati: quod plane sufficit ad excludendam omnem peccandi voluntatem.

(3) Dicitur: « involuntarie », quia si pœnitens scienter admitteret hujusmodi defectum in attritione, ita ut voluntarie obicem poneret ad fructuositatem, eo ipso deficeret vera attritio substantialis quæ requiritur tanquam pars sacramenti, ac illicò irritaretur sacramentum: eo ipso nempe jam desideraretur confessio dolorosa, in ordine ad remissionem peccatorum instituenda.

ideo quidquid ex sese non est natum transire in *exteriorem* sui manifestationem, hoc ipso extra rationem materiæ esse ostenditur. Atqui actus exterior pœnitentis *per se* quidem prodit verum ac sincerum dolorem de peccato commisso,... sed non est natus referre gradum efficaciæ ipsius doloris, an scilicet plus appretiative aversetur peccatum quam omne malum temporale vel secus... Necesse igitur est ut ad sacramenti materiam nihil aliud requiratur nisi sincerus attritionis motus, qui sit principium sinceræ subjectionis ad Ecclesiæ claves, præscindendo ab ejus gradu appretiativo ».

b/ quia sola illa pœnitentia materiam constituit sacramenti Pœnitentiæ, in modum judicii instituti, quæ obnoxia est juridicæ cognitioni, cognitioni scilicet quæ morali certitudine haberi possit ex ipso processu judiciario seu ex ipsa confessione : ex confessione autem non innotescit nisi sola attritio absque determinato gradu appretiativo (1).

Scholion. Ex descripta diversitate dotum quæ attritioni competunt, prouti pars est sacramenti vel dispo-

---

(1) Minus stringunt 3m ac 4m argumentum a laudato Auctore adductum : 3m nempe ex eo quod secus non intelligeretur doctrina passim admissa, quatenus, confessione cum insufficienti attritione peracta, si attritio ipso momento absolutionis dandæ compleatur evadatque appretiative summa, valida censeatur et fructuosa confessio : hoc namque, extra propositam sententiam, explicaretur per hoc quod attritio, immediatè ante absolutionem elicita vel satis efficax effecta, confessionem tunc, virtualiter perseverantem, informet ac dolorosam reddat ;

4m (p. 168), ex eo quod secus, si nempe gradus attritionis pertineat ad constitutionem adeoque ad valorem sacramenti, non posset confessarius, extra necessitatem, absolvere pœnitentem, nisi moraliter certus existat de sufficienti gradu attritionis, ne sacramentum exponatur periculo invaliditatis ; quæ certitudo facilè deficiet ; — contrà, si gradus ille pertineat ad solam fructuositatem. — Atvero, præterquam quod illa necessitas sæpe obtinet, difficultas illa tam bene habetur in sententia gradum appretiativum requirentis ad sacramenti constitutionem, quam in sententia illum postulantis ad solam fructuositatem : non possumus enim sacramenta magis exponere periculo infructuositatis quam periculo nullitatis, uti docuimus apud *Collat. Brug.*, t. VII, p. 96 et seq.

sitio tantùm ad fructuositatem, sequitur sacramentum posse existere *informe,* seu validum et simul infructuosum, idque duplici ex capite: non modò scilicet ex involuntario defectu universalitatis in attritione, sed etiam, quod sane frequentius continget, ex defectu inculpabili sufficientis gradus in elicienda attritione. Informiter autem susceptum sacramentum nihil impedit quominus reviviscat, obice ad fructuositatem remoto, statim nempe ac attritio, pro defectu occurrente, evadat universalis vel appretiative summa.

IV

Q. *An, quandonam et quomodo a pœnitente supplendum est defectui integritatis materialis in Confessione?*

Respondetur.

1°/ *Regulariter* supplendum est defectui integritatis materialis in confessione. Ad hoc intelligendum in memoriam est revocandum, ex natura sacramenti Pœnitentiæ requiri confessionem distinctam ac materialiter integram, ita ut omnia ac singula peccata mortalia sacramentali judicio sint subjicienda.

Attamen hæc necessitas non urget insupplebiliter: aliis verbis potest sufficere confessio minus distincta et materialiter non integra, quando et pro quanto materialis integritas est moraliter impossibilis, vel bona fide judicatur unum alterumve peccatum esse dubium et non accusandum; sufficit nempe integritas formalis, quæ importat sinceram confessionem peccatorum, in quantùm moraliter est possibilis et prudenter judicatur necessaria, quæque simul quasi in voto continet confessionem materialiter integram, ac adeo intactam relinquit obligationem postea defectui integritatis materialis supplendi, si ratio ab ea excusans removeri contingat.

Et sic qui, ob infirmitatem impeditus, confusè exposuit peccata, postea sanus effectus, distincte accuset

peccata; qui duorum peccatorum mortalium reus, alterutrum inscienter omisit, postea, memoria redeunte, duo distincte referat.

Dicitur: *regulariter,* quia uti eruitur ex explicatione modò data, quemadmodum pœnitens ab integritate materiali excusatur ratione impossibilitatis aut bonæ fidei, pariter a supplendo integritatis defectu excusat eadem vel similis impossibilitas aut bona fides circa supplendi necessitatem.

Ita v. gr. si pœnitens advertat se olim plures circumstantias speciem mutantes in confessione omississe, posset ab illis exponendis excusari, quando experientia noverit sese exinde vehementer turbandum ac anxiandum; item non debet pœnitens supplere, quousque probabiliter dubitat de facto omissi alicujus peccati, vel de gravitate alicujus circumstantiæ neglectæ etc.

2°/ Quod *tempus* spectat ac momentum quo supplendum est defectui, satis est hoc fieri in *sequenti confessione,* quin opus sit ut ideo confessio anticipetur, vel interea a S. Communione abstineatur: peccata namque in confessione formaliter integra omissa fuerunt indirecte remissa.

3°/ Quoad *modum* supplendi, simpliciter indicandum est quid defuerit in præcedenti confessione: peccatum omissum accusando, numerum corrigendo, addendo neglectam circumstantiam, quæ speciem mutet moralem vel theologicam.

Nota a/ sedula attentione esse dignum, in supplenda integritate solum peccatum esse accusandum solamque circumstantiam, cujus peccati ac cujus circumstantiæ gravem malitiam contraxerit pœnitens; et sic, si contingat pœnitentem nunc melius edoctum malitiam percipere gravem alicujus actus olim positi et clavibus non subjecti, vel alicujus circumstantiæ omissæ, non debet illa in præsenti confiteri, nisi probè sciat se illorum malitiam gravem contraxisse, eamque proinde, *ipso commissi peccati momento,* cognovisse confuso saltem modo.

b/ Non est, pro supplenda integritate materiali, corrigendus numerus in confessione indicatus tanquam approximativus, nisi postea reperiatur *notabiliter* diversus.

V

Q. *Quomodo interpretandum est factum confessionis olim non raro institutæ coram laico, in defectu sacerdotis?*

Respondetur.

I/ **Doctrina et praxis olim vigentes.**

Plures olim fuerunt Auctores, signanter inter Scholasticos, qui docuerunt:

A/ *Confessionem, in necessitatis casu ac deficiente sacerdote, alii, etiam laico, institui posse ac imo debere, quod et diu in praxi observatum legitur.*

Ita præ cæteris PETRUS LOMBARDUS, *IV Sent.*, dist. XVII, docet: « Sane ad hoc potest dici quod sacerdotis examen requirendum est studiosè: quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi. Et ideo quibus ipsi dimittunt et Deus dimittit. Si tamen defuerit sacerdos, *proximo vel socio est facienda confessio* »; et infrà ait: « quærendus est enim sacerdos sapiens et discretus qui cum potestate simul habeat judicium: qui si forte defuerit, confiteri debet socio ». Ulterius: « Sed et graviora coæqualibus pandenda sunt cum deest sacerdos et urget periculum ». Ad quam doctrinam confirmandam affert testimonium pseudo-Augustini (1).

---

(1) « Qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, quærat sacerdotem qui sciat ligare et solvere... Tanta itaque vis est confessionis, ut, si deest sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit quod pœnitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. Etsi ille cui confitebitur potestatem solvendi non habeat, fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio, qui crimen confitetur socio ».

Hoc testimonium diu fuit erronee adscriptum S. Augustino, passim

Item ALANUS DE INSULIS, *Contra Hæreticos*, l. II, cap. 9 et 10, apud *Migne*, t. 210, col. 385 et seq. (1); RAYMONDUS DE PENNAFORT, apud MORINUM, *Commentarius historicus de disciplina Pœnitentiæ*, l. VIII, cap. 24 (2); PETRUS CANTOR, ibidem (3); CARDINALIS HOSTIENSIS, ibidem (4); ALEXANDER HALENSIS, *Summa*, qu. XIX, membr. I, art. 1 (5); ALBERTUS MAGNUS, *In IV Sent.*, Dist. XVII, art. 58 et 59, edit. Paris, 1894, tom. XXIX (6); S. THOMAS, *Supplem.*, qu. VIII, art. 1 et 2, desumpta ex *in IV Sent.*, Dist. XVII, qu. III,

---

autem refertur ad initium sæculi 12i. Cf. LAURAIN, *De l'intervention des laïques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la Pénitence*, Paris, 1897; VACANT, *Dictionnaire de théologie*, V° *Absolution*, col. 185; VACANDARD, apud *Rev. du clergé français*, tom. XLIV (1905, p. 345). Illud etiam invocat, sub nomine S. Augustini, GRATIANUS, in *Decreto*, P. II, Causa 33, qu. III, dist. 1a, can. 88, et dist. 6a, can. 1.

(1) Postquam vindicavit sacerdoti esse confitendum, « cui Deus contulit potestatem ligandi atque solvendi », addit: « Si tamen sacerdotis habere non possit copiam socio vel proximo sufficit confiteri »; et rursus provocat ad auctoritatem pseudo-Augustini, cujus laudatum textum exhibet.

(2) « Sed et graviora (peccata) coæqualibus pandenda sunt, cum deest sacerdos et urget periculum »; sunt verba Petri Lombardi; et alibi: « Tanta est vis confessionis ut, si immineat articulus necessitatis, vel quia infirmatur ad mortem qui confiteri vult... et deest sacerdos, confiteatur proximo: et ita non solum clerico sed etiam laico vel socio posset ».

(3) « Ecce ex hac auctoritate (pseudo-Augustini) habemus quod in necessitate confitendum sit laico, si sacerdos desit, et non solum venialia sed etiam mortalia ».

(4) « Sicut ait Augustinus, tanta est vis confessionis quod si immineat necessitatis articulus... et deest sacerdos non solum proprius sed et quilibet, in tali articulo potest etiam laico, vel etiam mulieri, si non adsit alius, confiteri ».

(5) « Hæc confessio (facta laico) non est sacramentalis, licet sit opus virtutis; sed illa solum quæ ordinata est ad reconciliationem quæ fit per absolutionem et ligationem, quarum potestas est solis sacerdotibus tradita; unde confessio solis sacerdotibus est facienda. Si objiciatur quod ex quo laici perfecti, similiter fideles quicumque, possunt absolvere ex merito vitæ et unitate fidei, ut dictum est: videtur quod sit confessio sacramentalis Dicendum quod absolutio illa est impetratio absolutionis vel imploratio ». Cf. LAURAIN, *op. cit.*, p. 37.

(6) « Valet confessio facta laico, ubi articulus necessitatis, non contemptus religionis, excludit proprium vel alienum sacerdotem ».

art. 3, quæstiunc. 1ª et 2ª (1); GUIDO DE MONTE-RHOTHERIO, apud LAURAIN, op. cit., p. 43-44 (2).

Quod autem spectat *praxim*, varia narrantur facta apud MORIRUM, l. c.; MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, t. II, l. I, cap. VI, art. 6; JUENIN, *Commentarius historicus et dogmaticus de sacramentis*, qu. V, cap. IV, art. 2; LAURAIN, op. cit., p. 27-35, VACANDARD, l. c. (3).

B/ *Laicum, ita in necessitatis ministrum adhibitum, etiam absolutionem posse impertiri.*

Quod apparet tum ex relatis factis tum ex Auctorum testimoniis, signanter Alexandri Halensis (4) et Alberti Magni (5).

---

(1) « Baptismus autem, qui est sacramentum necessitatis, habet duplicem ministrum, unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet sacerdotem; alium cui ratione necessitatis dispensatio Baptismi committitur. Et ita etiam minister pœnitentiæ, cui confessio est facienda ex officio, est sacerdos; sed in necessitate etiam laicus vicem sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit ». Solutio 2ª, assumpta in corpus articuli 2ⁱ, qu. VIII, *Supplem.*

(2) « Notandum insuper quod si aliquis sit in periculo mortis et non possit habere copiam sacerdotis, potest et debet confiteri fideli laico... Aug. dicit: Tanta est vis confessionis ut si immineat articulus mortis et deest sacerdos confiteatur proximo ».

(3) Ita, referente Martène, l. c., legitur in *Vita S. Ludovici*, auctore Joinvillio, quod profligato a Sarracenis exercitu, et hoste imminente, qui sacerdotes nancisci potuerunt, iis confessi sunt: sibi vero Guido de Belino, magister equitum regni Cypri, peccata confessus est, *cui juxta potestatem suam absolutionem impertitus est.* Et in Chronico Ferdinandi regis Castellæ et Legionis, apud Bollandum sub die 30 Maii, legimus quod milites Hispani sub duce Alvaro Perez cum Mauris pugnam inituri, quotquot habebant copiam sacerdotum confitebantur eis peccata sua, *alii vero mutuas excipiebant confessiones;* Ludovicus etiam comes Leodiensis in extremis constitutus christianam virginem accersivit, ante cujus pedes prostratus, ei omnia peccata sua cum maximis lacrymis recitavit ». Cf. etiam historiam juvenis Viviani, apud Laurain, l. c., quam etiam memorant *Bien Public* et *XXe Siècle*, in *Supplément* diei 8ᵃᵗ Julii 1906, sub titulo: « Le Vœu de Vivien ».

(4) Cf. testimonium suprà allatum.

(5) Ad solvendam objectionem ex eo quod laicus non habeat potestatem clavium, adeoque absolvere nequeat, respondet distinguendo varias absolvendi potestates, quarum ultima est « ex unitate fidei et charitatis, et

Quidam etiam, licet pauciores, tenent

C/ *Confessionem apud laicum peractam, ac absolutionem ab eo datam, esse sacramentalem.*

Hîc præprimis allegantur Albertus Magnus (1) et S. Thomas (2).

II/ **Interpretatio doctrinæ et praxeos.**

A/ *Laudati Auctores laicis, coram quibus confessionem docent instituendam, nullatenus agnoscunt potestatem ligandi ac solvendi, sed hanc solis sacerdotibus competere contendunt.*

Et hoc quidem eruitur 1°/ ex ipso textu pseudo-Augustini, ad quem tanquam ad palmare argumentum provocant quotquot suprà attulimus Scriptores, in quo textu potestas clavium explicite restringitur sacerdoti, uti legenti patet.

2°/ Ex propriis passim verbis Auctorum qui opponuntur. Ita Petrus Lombardus docet ante omnes quærendum esse sacerdotem præ alio « *quia* sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi atque solvendi »; ergo ipsis exclusive solis competit illa potestas.

Item Alanus de Insulis (3), Raymundus de Penna-

---

hæc pro necessitatis articulo descendit in omnem hominem ad proximo subveniendum, et hanc potestatem (absolvendi) habet laicus in articulo necessitatis et mulier similiter », l. c., art. 58.

(1) Ad quæstionem utrum confessio facta laico sit sacramentum, respondet: « Dicendum quod antiqui dixerunt quod contritio et confessio non sunt sacramentum sed absolutio sola Sed hoc nihil esse infrà probabitur. Unde dicendum quod habet sacramentum confessionis ». l. c., art. 59, ubi etiam docet: « Baptismus a quocumque detur est sacramentum, ergo similiter pœnitentia (in casu necessitatis a laico ministrata) ut videtur ».

(2) « Nihilominus confessio laico ex defectu sacerdotis facta sacramentalis est quodammodo ».

(3) Vindicat l. c , cap. 9, contra hæreticos « esse necesse hominem (præsente licet laico) confiteri peccata sua sacerdoti, cui Deus contulit potestatem ligandi et solvendi »; quæ ultima verba sensu exclusivo esse sumenda urgent textus et contextus.

fort (1), Alexander Halensis (2), Albertus Magnus (3), S. Thomas (4), Guido de Monte-Rotherio (5).

B/ *Confessio facta laicis operatur ex opere operantis, non autem ex opere operato seu sacramentaliter.*

Revera plures ex adductis Auctoribus confessioni a laico exceptæ rationem sacramenti aperte denegant, inter quos Alexander Halensis (6), Cardinalis Hostiensis (7), Guido de Monte-Rotherio (8).

Hac nimirum ratione, juxta laudatos Auctores, videtur confessio laico facta ad justificationem conducere, quatenus confessionis votum in contritionis actu contentum pro posse adimplet, et sic contritionem perficit in ratione dispositionis peccatorem justificantis. Unde etiam plerique in hoc insistunt ut, remota necessitate, coram sacerdote iteretur confessio.

Hujusmodi efficaciam proponit S. Thomas, *Supplem.*, qu. VIII, art. 2, ad 3m: « Ille laico confessus in articulo necessitatis consequutus est veniam a Deo, eo quod propositum, quod concepit confitendi secundum mandatum Dei sicut potuit implevit » (9).

---

(1) « Credo tutius quod utriusque generis peccata (gravia et levia) sacerdotibus sunt pandenda, quibus est concessa potestas ligandi et solvendi »; rursus sensu exclusivo.

(2) Cf. verba suprà adducta.

(3) Opponit absolutionem sacerdotis absolutioni a laico datæ ac priorem vocat absolutionem per claves, alteram autem dicit fieri merito unitatis Ecclesiæ, et addit ad laici absolutionem non requiri vim clavium, l. c., art. 59.

(4) *Supplem.*, qu. XIX, art. 3 et 4.

(5) Cf. textum mox citandum sub B/.

(6) Cf. verba relata sub I, A.

(7) « Quod autem dictum est de laico vel mulière intelligas quoad ostendendam fidem sacramenti, unde si sic moriatur salvatur, debitum tamen sacramentum deficit, quia nullus potest verè absolvere ut scilicet verum sit sacramentum Pœnitentiæ, nisi sacerdos sit ». L. c.

(8) Post verba, sub I, A, memorata, addit: « ita tamen quod talis confessio non est sacramentalis, cum desit ibi illud quod est formale in sacramento, scilicet potestas clavium ».

(9) In hunc sensum etiam intellige verba sæpius adducti pseudo-Augustini, ubi dicit confitentem laico dignum esse venia *ex sacerdotis desiderio*.

Equidem illam confessionem dicit esse « sacramentalem quodammodo », quatenus nempe confessio est elementum sacramenti constitutivum, licet initialiter dumtaxat, ita ut aptum sit quod per absolutionem sacerdotis in sacramentum elevetur; aliunde tamen, ubi eam spectat in se et sejunctam a sacerdotali absolutione, eam vocat « sacramentale quoddam », ejusque efficaciam comparat tonsioni pectoris. Cf. art. 2, ad 1m, et art. 3m, in corpore (1).

Non aliter interpretandus est S. Thomæ magister, Albertus Magnus: sacramentalitem nempe vindicans hujusmodi confessionis, unicè excludere intendit sententiam illorum qui sacramentum volunt constare sola absolutione, non autem confessione et contritione, uti ex ipso tenore, sub I, B. allato, non obscure eruitur.

C/ *Absolutio, ubi a laico conferebatur, non erat vera absolutio, auctoritativa, proprio sensu sacramentalis, sed potius absolutionis impetratio, vel ad summum remissionis acceptæ declaratio.*

Non rarò laicus, confessione excepta, impertiebatur absolutionem quamdam, quasi confessionis complementum, sed non erat vera ac proprie dicta absolutio; et ideo nonnulli ex Auctoribus confessionem laico faciendam propugnantes, non loquuntur de absolutione vel eam excludunt (2), idque logice, cum laico omnem prorsus denegent, uti vidimus, potestatem ligandi ac solvendi.

Qui vero supponunt absolutionem a laico conferri, ejus efficaciam explicite vel implicitè reducunt ad efficaciam imploratæ absolutionis: « dicendum, inquit

---

(1) Cf. etiam art. 2, ad 3m, in fine: Oportet quod laico confessus « iterum confiteatur sacerdoti, cum copiam habere potuerit; et præcipue quia... sacramentum pœnitentiæ perfectum non fuerit: unde oportet quod perficiatur ut ex ipsa perceptione sacramenti pleniorem effectum consequatur, et ut mandatum de pœnitentiæ sacramento recipiendo impleat ».

(2) Ita Cardinalis Hostiensis, l. c.; S. Thomas, *Supplem.*, qu. VIII, art. 2, ad 2m; Guido de Monte-Rotherio, l. c.

Alex. Halensis, l. c., quod absolutio illa impetratio absolutionis est vel ejus imploratio », vel eam habent ut declarationem remissionis per contritionem et confessionem ex opere operantis obtentæ.

Solus Albertus M. difficultatem facit ac minus accuratè loquitur; ægrè tamen diceretur absolutionem laicalem habuisse uti veram absolutionem, proprio sensu sacramentalem.

Et sane præterquam quod solis sacerdotibus potestatem agnoscit ligandi ac solvendi, potestatem laici derivandam dicit ex merito unitatis Ecclesiæ, absolutionem laici vocat absolutionem *quamdam*, eam dicit non tantum effectum consequi ac si a sacerdote esset data, eam esse absolutionem in communi (ad modum formulæ *Misereatur* et *Indulgentiam*).

Quodsi officium laici in necessitate pœnitentiam ministrantis comparaverit cum officio laici in necessitate baptizantis, eamdem comparationem instituit S^tus^ Thomas, l. c., art. 2°, qui tamen omnem potestatem absolvendi laico abjudicat. Cæterum eo facilius comparaverit Albertus M. absolutionem laici ejusque efficaciam cum absolutione sacerdotis, coque minus in distinctione facienda institerit quod ipsi absolutioni sacerdotis, cum nonnullis ejus temporis auctoribus, non adscripserit virtutem remittendi peccata, quæ supponit contritione deleta: hac namque ratione absolutio sacerdotis vix aliquid plus est quam sententia declaratoria, quam a laico potestate destituto proferri non implicat:

D/ *Non est negandum a nonnullis illius ævi Doctoribus inculcatam fuisse obligationem confitendi laico, in necessitatis casu ac sacerdotis defectu: quam obligationem admittentes, auctoritate pseudo-Augustini coacti, eruebant ex exaggerata virtute voti in contritione contenti.*

Profectò ex invocatis testimoniis aperte constare videtur, licet contrarium teneant quidam, de obligatione laicis confitendi, quam supponit etiam praxis de qua suprà: ægre enim intelligeretur introducta praxis adeo onerosa absque obligationis persuasione.

Dictam opinionem, a recto sanæ theologiæ tramite deflectentem potissimum promovit auctoritas S. Augustini, cui erronee adscripserunt illius temporis theologi testimonium suprà descriptum, ad quod omnes et singulos quasi ad oraculum recurrere vidimus.

Porro conati sunt doctinam ex auctoritate assumptam theologice fulcire: quem conatum signanter exhibet S. THOMAS, *Suppl.*, qu. VIII, art. 2, ad 1m, ubi docet: « quando necessitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte sua est, scilicet conteri, et confiteri cui potest »; vel adhuc clarius, ad 3m: « ille laico confessus in articulo necessitatis consecutus est veniam a Deo, eo quod propositum, quod concepit confitendi secundum mandatum Dei, sicut potuit, implevit (1): laico nempe confessus, uti diximus, justificatur ex opere operantis per contritionem, modò, et in quantùm contritio continet votum confessionis; quod votum, ut efficax sit, debet expleri pro quanto fieri licet, ergo etiam per confessionem laico peragendam, si deficiat sacerdos.

Illam sententiam oppugnarunt præ cæteris S. Bonaventura (2), Scotus (3) et Durandus (4), meritò observantes obligationem confitendi ex Dei mandato et ex

---

(1) Cf. S. BONAVENTURA, *In IV Sent.*, Dist. XVII, P. III, art. 1, qu. 1, ad 6m.

(2) Ibidem.

(3) « Talis confessio potest esse materia verecundiæ... sed quia accusatio ad hoc ex præcepto fit, et non ad aliud, ut sequatur sententia, et laicus nullam habet sententiandi auctoritatem in isto foro, sequitur quod nullum præceptum est de accusando se laico: et forte utilius esset non accusare se illi ». *In Sent. IV*, Dist. XVII, qu. unica, n. 27 (edit. Antwerp., 1620).

(4) Respondet, sicut Scotus, argumento S. Thomæ et aliorum quatenus nempe pœnitens debet explere mandatum et votum confessionis, uti potest, adeoqne confiteri cui potest: « Sed istud non videtur necessarium, quia cessante principali cessat accessorium; sed confessio fit principaliter propter absolutionem; ergo si desit copia sacerdotis absolventis, qui solus potest in foro pœnitentiæ absolvere, absolutus est pœnitens ab obligatione confessionis ». *In IV Sent.*, Dist. XVII, qu. 11a.

voto in contritione contento non urgere nisi ad solam confessionem sacramentalem absolutione sacerdotis informandam; perseveravit tamen per aliquod tempus usus laicalis confessionis, quem usum Doctores posteriores non pauci habebant, si non uti obligatoriam, saltem uti utilem ac commendandam.

Penitus tandem derelicta est doctrina et praxis ex reactione theoretica et practica contra Protestantismum, cujus fautores tenebant laico æquam ac sacerdoti potestatem absolvendi esse agnoscendam (1). Cf. LAURAIN, o. c., pp. 49-55.

Scholion. Circa quæstionem utrum potestas peccata remittendi, initio Ecclesiæ, fuerit agnita martyribus ac pneumaticis, uti vocantur, cf. VACANDARD, apud *Rev. du clergé français,* tom. XIX, (Juillet 1899) pp. 345-356; et apud *Dictionnaire de Theologie,* V° *Absolution,* col. 229-234.

A. DE SMET.

VI

Q. *Expone quatenus Constitutio Leonis XIII* Officiorum ac munerum *abrogaverit jus antiquius de prohibitione et censura librorum.*

R. Quum mens et consilium S. P. Leonis XIII in edenda Constitutione *Officiorum ac munerum* fuit totam legislationem de prohibitione et censura librorum, per emollitionem plerumque juris antiqui, tempori nostro accommodare, duo facienda duxit ex quibus norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat.

1° Jussit librorum improbatæ lectionis diligentissime

(1) Cf. decret. Conc. Trident., Sess. XIV, can. 10: « Si quis dixerit... non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christifidelibus esse dictum: *Quæcumque ligaveritis....;* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata ».

recognosci *Indicem*, ita ut tota ejus ratio cum regulis et decretis generalibus apprime congrueret. Jam prodiit e typis vaticanis a. 1900 novus Index librorum prohibitorum, una cum Brevi *Romani Pontifices*, 27 Sept. 1900, quem, tanquam hisce litteris expresse insertum haberi volens Summus Pontifex, auctoritate Apostolica approbavit et confirmavit, atque, vetere Indice abolito, ab omnibus ubique locorum integre et inviolabiliter observari præcepit... non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque (1).

2° Nova edidit *decreta generalia,* « quibus idem sacrum » Concilium (sacra Indicis Congregatio) posthac *unice* » utatur, quibusque *catholici homines toto orbe* religiose » pareant. Ea vim legis habere *sola* volumus, abrogatis » Regulis sacrosanctæ Tridentinæ Synodi jussu editis, » Observationibus, Instructione, Decretis, Monitis, et » *quovis alio decessorum nostrorum hac de re statuto* » *jussuque,* una excepta Constitutione Benedicti XIV » *Sollicita et provida,* quam sicut adhuc viguit, ita in » posterum vigere integram volumus (2) ».

Inde sequentia deducere fas est.

Abrogatio juris antiquioris scripti est extensione sua maxima, intensione vero seu virtute intrinseca fortissima (3). Abrogatas quoque censemus consuetudines particulares contrarias (4).

1° *Abrogatio juris antiquioris scripti est extensione sua maxima.* Una excepta Constitutione Benedicti XIV

---

(1) In fine Brevis *Romani Pontifices*. Cf. *Index librorum prohibitorum SS^mi D. N. Leonis XIII jussu et auctoritate recognitus et editus,* p. X. Romæ, typis vaticanis, 1900.

(2) Ex ipsa C. *Officiorum ac munerum* in fine præfationis. Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7^a, t. II, n° 1304, p. 628. Brugis, 1903.

(3) Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum dissertatio canonico-moralis,* ed. 3^a, p. 30 s. Romæ-Tornaci, 1899; Wernz, *Jus Decretalium,* T. III. *Jus administrationis,* n° 110, nota 45, p. 113. Romæ, 1901.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.*, p. 630; Wernz, *o. et l. c.*, nota 48, p. 114.

Sollicita ac provida, vi Constitutionis Leonis XIII suppressa est quævis anterior lex aut dispositio de prohibitione et censura librorum, sive hæc materia *directe et principaliter* tractetur, sive *indirecte et pro parte* tantum in lege de alio objecto condita attingatur.

Probatur a/ *ex obvio sensu verborum.* Verbis Constitutionis superius transcriptis notantur fere omnes provisiones generales Romanorum Pontificum, quæ ut objectum principale tangunt materiam de censura et prohibitione librorum et quæ antea Indici præmitti solebant (1). Si vero vi juridica non destituantur illæ dispositiones legis in alia disciplina latæ, quibus tamen speciale statutum de prohibitione et censura librorum conditur, quid tandem sibi vult locutio adeo generalissima a legislatore apposita « *quodvis aliud* decessorum nostrorum *hac de re* statutum jussumque ». Cæteroquin nullam instituit Pontifex distinctionem inter decreta generalia de universa hac materia aut de speciali quadam quæstione v. gr. de vitis sanctorum lata. Quinimo, ex eo quod Leo XIII quasdam dispositiones speciales commemorat, alias vero omittit, luculenter probatur quod nullo solido argumento nitatur hæc distinctio, nisi exceptio ex ipsa Constitutione patescat (2).

---

(1) Sunt: *Regulæ* Indicis S. C. Tridentini jussu editæ; *Observationes* Clementis VIII ad regulam IV et IX, Alexandri VII ad reg. X; *Instructio* pro iis qui libris tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis diligentem ac fidelem, ut par est, operam sunt daturi Clementis VIII auctoritate regulis Indicis adjecta; *Decreta* Benedicti XIV de libris prohibitis nec in Indice nominatim expressis; *Monita* S C. Indicis edita die 7 Martii 1829, 7 Jan. 1836. — *Mandatum* Leonis XII de officio Ordinariis incumbenti arcendi a fidelibus periculum pravæ lectionis et *Addita novissima* circa pœnas a Constitutione *Apostolicæ Sedis* promulgatas re fuerunt in Constitutione *Officiorum ac munerum* art. 29, 47, 48, 49 iterum assumpta. *Declaratio* tandem relate ad opera, quæ circa Immaculatam Conceptionem B. M. V. intemperantius æquo vel cum nimia adversariorum offensa fuerunt scripta et ideo in Indicem relata, jam publicato novo Indice etiam corruit, cum illa opera ex novo catalogo expuncta sunt. Cf. *Præfationem novi Indicis,* p. XIV.

(2) Ita v. gr. a. 32 commemorat dispositiones speciales de documentis spectantibus ad causas beatificationis; a. 34 decreta lata a S. C. de Propaganda Fide pro missionariis. Cf. VERMEERSCH, *o. c.,* p. 31.

b/ *Ex scopo Constitutionis*. Manifestus scopus legislatoris fuit omnes leges hac de re vigentes quasi in uno codice redigere, ut norma agendi in hoc genere certa et perspicua omnibus suppetat. Quem scopum imperfecte attigisset, nisi exclusivam collectionem publicasset, sublatis sc. omnibus extravagantibus dispositionibus non expresse reservatis (1).

c/ *Ex auctoritate*. Præter citatos a De Brabandere-Van Coillie, p. 629 et a Vermeersch, p. 34, huic sententiæ suum calculum adjecerunt: Wernz, *l. c.;* Cardinalis Gennari, *Della nuova disciplina sulla proibizione e sulla censura de' libri*, ediz. 3ª, p. 51, nª. 1. Roma, 1903; Lega, *De judiciis ecclesiasticis,* lib. II, vol. III, p. 444 s., 453. Romæ, 1900; *Nederlandsche katholieke stemmen,* 1905, t. V, p. 228 ss.; Ciolli, *Commento breve della Costituzione leonina riguardo ai libri proibiti,* ediz. 2, p. 21, 42, 51. Roma, 1906. Negantibus accedit Schneider, *Die neuen Büchergesetze der Kirche,* p. 77 s. Mainz, 1900.

2° *Intensione sua vero est fortissima* ita ut hodierna disciplina ex sola Constitutione *Officiorum ac munerum* sit eruenda. Etenim vult Pontifex ut hæc *sola* habeat vim legis et hac *unice* utatur sacra Indicis Congregatio (2). Consequenter ubi præsens dispositio materialiter eadem sonat ac juris anterioris statutum, illa non est confirmatio antiquæ legislationis sed jus de novo conditum. Quare, in interpretandis præsentis disciplinæ dispositionibus, ut ad primarium criterium recurrendum est ad ipsa verba Constitutionis et ad intentionem legislatoris; secundario tantum utile provocatur ad jus anterius, si sensus legis remaneat dubius, aut eisdem verbis sanctiones anteriores fuerint receptæ (3), semper tamen habita ratione indolis benignioris novæ legislationis.

---

(1) Wernz, *o. et l. c.*, nota 45.
(2) De Brabandere-Van Coillie, p. 629 s.; Vermeersch, p. 32.
(3) Wernz, *l. c.;* Ciolli, *o. c.*, p. 22.

3° *Relate ad jus non scriptum,* quæstio non ponitur de consuetudinibus generalibus, nec de consuetudinibus particularibus postea forsan contra decreta Indicis *introducendis;* sed restringitur ad consuetudines particulares usu introductas, et antiquo simul et hodierno juri contrarias.

Ad hujus quæstionis disputatæ solutionem, juvat sequentem afferre distinctionem.

A. Consuetudo particularis plane posthabendi hujus Constitutionis saluberrimas *prohibitiones* sustineri nequit, tum propter manifestam voluntatem Legislatoris qui jubet ut novis decretis catholici omnes *toto orbe* religiose pareant (1), tum propter vitium irrationabilitatis quo laboraret hic usus. Etenim præscriptiones ecclesiasticæ quibus lectio vetatur librorum fidei et moribus noxiorum nititur præsumptione periculi communis perversionis. Proinde ejusmodi consuetudo, etsi proxime contra ipsam legem humanam tenderet, remote saltem ipsam legem divinam attingeret; nec per prudentem modum agendi confessariorum erga singulares pœnitentes, efficaciter periculum generale removeretur.

Ad rem quoque facit Decretum 19 martii 1898 (2), quo declaratum est dictam Constitutionem vim obligatoriam habere pro regionibus brittanici idiomatis, quas tacita dispensatione frui quidam arbitrabantur.

Quinimo cum plerisque auctoribus admittimus quod ubi agatur de prohibitione certa et absoluta librorum pravorum decreto generali aut speciali edicta, consuetudo derogans ut irrationabilis sit reprobanda (3).

---

(1) Addas quod illa lex ad instantias episcoporum orbis catholici apte tempori fuerit accommodata, vetere lege emollita. Cf. etiam art. 14 hujus Constitutionis.

(2) *Collat. Brug.*, t. III, p. 490; De Brabandere-Van Coillie, *o. et l. c.* p. 630.

(3) Citantur Fessler, *Censur und Index* (Sammlung vermischter Schriften über Kirchengeschichte und Kirchenrecht) p. 182. Freiburg, 1869; Aichner, *Compendium juris ecclesiastici*, ed. 8, p. 532. Brixiæ, 1898; Reiffenstuel, in lib. V, tit. 7, n° 116, apud Schneider, *o. c.*, p. 41 ss.

B. Consuetudines vero particulares contra præscriptionem legis *mere disciplinarem aut coercitivam,* olim legitime præscriptas censemus corruisse vi promulgationis præsentis Constitutionis.

Ratio haud spernenda dubitandi est, quod in illa lege generali nulla habeatur clausula specialis revocans consuetudines particulares. Atqui per legem generalem non tollitur consuetudo particularis, nisi expresse caveatur in ipsa (1).

Nihilominus astrui possunt rationes majoris ponderis in favorem sententiæ communioris (2).

a/ Omissioni clausulæ specialis compensatur per alias clausulas immediate ante Decreta generalia positas et præsertim per clausulam generalem in fine Constitutionis appositam et quæ repetita invenitur in Brevi *Romani Pontifices: Contrariis non obstantibus quibuscumque.* Illa clausula, ait Barbosa (3), « posita ab eo qui » derogare potest operatur effectum omnimodæ dero- » gationis omnium legum et statutorum et privilegio- » rum, etiam si privilegia non nominarentur ».

Attendendum etiam venit Decretum generale S. C. Rituum d. d. 8 Januarii 1904 (4), ubi apponebatur dicta formula, et quod derogavit omni consuetudini contrariæ etiam immemoriali, prout authentice fuit declaratum in *Compostellana* eodem die et anno data (5).

b/ Ex ipso capite 1 *de Constit.* in 6° apparet ratio,

---

(1) c. 1 *de Const.* (I, 2), in 6°. Adhærent huic sententiæ: VERMEERSCH, *o. c.*, p. 32 s.; GÉNICOT, *Theologiæ moralis institutiones,* ed. 2, t. I, n. 455; et, ut videtur, SCHNEIDER, *o. c.*, p. 40, coll. p. 147.

(2) Præter citatos auctores ap. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, *o. et l. c.*, huic sententiæ accesserunt: PÉRIES, *L'Index, commentaire de la Constitution apostolique* Officiorum, p. 229. Paris, 1898; LEGA, *o. c.*, p. 425; WERNZ, *o. et l. c.*, nota 46; GENNARI, *o. c.*, p. 24, nota 1; SAEGMUELLER, *Kirchenrecht,* III T., p. 407, nota 9. Freiburg, 1904; CIOLLI, *o. c.*, p. 23.

(3) *De clausulis usu frequentioribus,* in clausulam LXXXIII, n° 38.

(4) *Collat. Brug.*, t. IX, p. 123; *Monitore ecclesiastico,* t. XVI, 1904-1905, p. 27 ubi inscriptio Decreti a redactore confecta sic sonat: Decretum quo abolitur omnis consuetudo contraria.

(5) *Collat. Brug.*, t. IX, p. 465, 470.

propter quam lex generalis consuetudinem particularem non abrogat, nisi ipsam commemoret; quia scilicet præsumitur legislator ignorasse consuetudines particulares locorum.

Jam vero in casu illa ratio non verificatur. Nam ad instantias Episcoporum Galliæ, Germaniæ, Italiæ, aliisque e regionibus complurium, regulæ et universa ratio Indicis, modo nostræ ætati melius attemperato et observatu faciliori fuerunt instaurata. Inde sequitur particulares locorum consuetudines, in conciliis provincialibus etiam pluries allegatas, optime in Curia Romana fuisse notas. « Quare, ait R. P. Wernz (1), quod ex » æquitate canonica videbatur esse concedendum, jam » in ipsa Constitutione reperitur insertum; cætera quæ » silentio premuntur sunt negata ».

c/ Exempla allata vel non sunt ad rem, ita usus quo in Germania permitteretur auctoribus ut vel a proprio Episcopo vel ab Episcopo loci editionis petere queant libri approbationem (2), vel constituunt nonnulla temperamenta secundaria quæ universim jam invaluerant, et quæ novas leges ex benigna interpretatione potius explicant quam tollunt (3).

A. De Meester.

---

(1) Wernz, *l. et o. c.*; Lega, *o. c.*, p. 425.

Cette vigilance et cette sévérité, vous devrez les mettre en œuvre d'autant plus que le ministère de la prédication est votre tâche spéciale et la partie principale de votre fonction épiscopale; et quiconque l'exerce en dehors de vous l'exerce en votre nom et à votre place; d'où il appert que vous répondez toujours devant Dieu de la manière dont le pain de la parole divine est dispensé aux fidèles.

Quant à Nous, pour décliner toute responsabilité de Notre part, Nous intimons et enjoignons à tous les Ordinaires de refuser ou de suspendre, après de charitables admonitions, même durant la prédication, tout prédicateur, qu'il soit du clergé séculier ou du clergé régulier, qui n'obtempérerait pas pleinement aux injonctions de l'instruction précitée, émanée de la Congrégation des Evêques et Réguliers. Il vaut mieux que les fidèles se contentent de la simple homélie, ou de l'explication du catéchisme, faite par leurs curés, que de devoir assister à des prédications qui produisent plus de mal que de bien.

Un autre champ où le jeune clergé trouve, hélas! une occasion et un excitant à professer et à défendre l'affranchissement de tout joug de l'autorité légitime, est celui de ce qu'on appelle l'action populaire chrétienne. Non pas, Vénérables Frères, que cette action soit en elle-même répréhensible, ou porte de sa nature au mépris de l'autorité, mais parce que beaucoup, en dénaturant son objet, se sont volontairement éloignés des règles qui, pour leur bonne direction, furent prescrites par Notre Prédécesseur, d'immortelle mémoire.

Nous parlons, vous l'entendez bien, de l'instruction concernant l'action populaire chrétienne que publia, par ordre de Léon XIII, la Sacrée Congrégation des Affaires ecclésiastiques extraordinaires, le 27 janvier 1902, et qui fut transmise à chacun de vous, pour que, dans vos diocèses respectifs, vous en assuriez l'exécution. — Cette instruction, Nous la maintenons, certes, et dans la plénitude de Notre pouvoir Nous renouvelons toutes ces prescriptions et chacune d'elles, comme aussi Nous confirmons et renouvelons toutes les

instructions que Nous-même avons données sur ce sujet dans notre *Motu proprio* du 18 décembre 1903 *De populari actione christiana moderanda* et dans la lettre circulaire de Notre cher Fils le Cardinal-Secrétaire d'Etat, en date du 28 juillet 1904.

En ce qui touche la fondation et la direction des journaux et des revues, le clergé doit fidèlement observer tout ce qui est prescrit dans l'article 42 de la Constitution apostolique *Officiorum* (25 janvier 1897) : « Il est interdit aux membres du clergé d'entreprendre, sans une autorisation préalable des Ordinaires, la direction des journaux quotidiens ou des publications périodiques. » Pareillement, sans l'assentiment préalable de l'Ordinaire, aucun membre du clergé ne peut publier un écrit d'aucune sorte, soit sur un sujet religieux ou moral, soit de caractère purement technique. Pour la fondation des cercles et des sociétés, les statuts et règlements doivent préalablement être examinés et approuvés par l'Ordinaire.

Les conférences sur l'action populaire chrétienne ou sur quelque autre sujet ne pourront être données par aucun prêtre ou clerc sans la permission de l'Ordinaire du lieu. Tout langage qui pourrait inspirer au peuple l'aversion envers les classes supérieures est et doit être considéré comme tout à fait contraire au véritable esprit de la charité chrétienne. De même, il faut réprouver dans les publications catholiques toute façon de parler qui, s'inspirant d'un esprit de nouveauté malsaine, tournerait en dérision la piété des fidèles et proposerait *une nouvelle orientation de la vie chrétienne, de nouvelles directions de l'Église, de nouvelles aspirations de l'âme moderne, une nouvelle vocation sociale du clergé, une nouvelle civilisation chrétienne* et autres choses semblables.

Les prêtres, surtout les jeunes, bien qu'ils agissent de façon louable en allant au peuple, doivent néanmoins procéder en cela avec le respect et l'obéissance dûs à l'autorité et aux ordres des supérieurs ecclésiastiques. En outre, lorsqu'ils s'occupent, avec cet esprit de subordination, de l'action populaire chrétienne, leur noble but doit être d' « arracher les fils du peuple à l'ignorance des choses spirituelles et éternelles, et avec une industrieuse tendresse les acheminer vers une vie honnête et vertueuse; d'affermir les adultes

dans la foi en dissipant les préjugés qui lui sont contraires, et de les exhorter à la pratique de la vie chrétienne; de promouvoir parmi le monde catholique laïque les institutions qui sont reconnues vraiment efficaces pour l'amélioration morale et matérielle de la condition des multitudes; de défendre par dessus tout les principes de justice et de charité évangéliques qui règlent harmonieusement tous les droits et tous les devoirs de la société civile... Mais qu'ils aient toujours présent à l'esprit que, même au milieu du peuple, le prêtre doit conserver intact son auguste caractère de ministre de Dieu, lui qui a été mis à la tête de ses frères *animarum causa* (*Regul. past.*, de saint Grégoire le Grand, II, paragraphe 7). Toute manière de s'occuper du peuple au détriment de la dignité sacerdotale, des devoirs et de la discipline ecclésiastiques ne pourrait être que hautement réprouvée. » (Lettre encyclique du 8 déc. 1902).

Du reste, Vénérables Frères, pour mettre une digue efficace à ce débordement d'idées et à cette expansion de l'esprit d'indépendance, en vertu de Notre autorité, Nous interdisons dès aujourd'hui et pour l'avenir à tous les clercs et prêtres de donner leur nom à n'importe quelle société qui ne dépende pas des Evêques.

D'une façon plus spéciale et nommément, Nous interdisons aux mêmes, sous peine pour les clercs d'inhabileté aux ordres sacrés et pour les prêtres de suspension *ipso facto a divinis,* de s'inscrire dans la *Ligue démocratique nationale*, dont le programme a été lancé de Rome-Torrette, le 20 octobre 1905, et dont les statuts, sans nom d'auteur, ont été imprimés dans la même année à Bologne, près de la Commission provisoire.

Telles sont les prescriptions que la sollicitude de Notre ministère apostolique exige de Nous, en une matière si importante et eu égard à la condition présente du clergé d'Italie. Et maintenant, Vénérables Frères, il ne Nous reste plus qu'à ajouter de nouveaux stimulants à votre zèle, afin que ces dispositions et prescriptions émanant de Nous reçoivent une prompte et complète exécution dans vos diocèses. Prévenez le mal là où heureusement il ne se manifeste pas encore; étouffez-le avec promptitude là où il est naissant; et dans les endroits où par malheur il s'est déjà développé,

extirpez-le d'une main énergique et résolue. En chargeant votre conscience de ces devoirs, Nous implorons de Dieu pour vous l'esprit de prudence et de force nécessaire. Et à cette fin Nous vous accordons du fond du cœur la bénédiction apostolique.

Donné à Rome, près de Saint-Pierre, le 28 juillet 1906, troisième année de Notre Pontificat.

PIE X, PAPE.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII X LITTERÆ ENCYCLICÆ AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS GALLIÆ

de consociationibus civium cultus exercendi causa.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS GALLIÆ

PIUS PP. X

Venerabiles Fratres, Salutem et apostolicam benedictionem.

Gravissimo officii munere defungimur, eoque jamdudum vobis debito, quibus post latam legem de Gallicæ Reipublicæ Ecclesiæque discidio edicturos Nos tempori significavimus, quid ad tuendam conservandamque istic religionem facto opus esse arbitraremur. Equidem exspectationem desiderii vestri ut produceremus usque adhuc, non modo magnitudo et gravitas hujus causæ fecit, sed illa etiam singularis caritas, qua vos vestraque omnia, pro immortalibus nationis in Ecclesiam meritis, prosequimur. — Damnata igitur, ut debuimus, improba lege, id considerare diligentissime cœpimus, ullamne demum ejusdem præscripta legis relinquerent Nobis facultatem ita ordinandæ in Gallia religiosæ rei, ut sacrosancta principia quibus Ecclesia nititur, nihil detrimenti caperent. In quo visum Nobis est, vos etiam Galliæ Episcopos adhibere in consilium universos; indictoque vestro omnium conventu, hoc ipsum vobis maxime, de quo consultaretis, mandavimus. Nunc autem, cognitis consultis vestris, exquisitis complurium Cardinalium sententiis, re diu et multum Nobiscum meditata, magnisque precibus implorato *Patre luminum*, omnino videmus faciendum, ut

quod ipsi fere ad unum omnes censuistis, idem Nos Apostolica auctoritate confirmemus. Itaque de consociationibus civium, quales, divini cultus exercendi causâ, lex constitui jubet, sic decernimus, nullo eas pacto conflari posse, quin sanctissima jura, quæ ad vitam ipsam Ecclesiæ pertinent, violentur. — Dimissis vero consociationibus istis, quas probare Nos quidem conscientiâ officii prohibemur, opportunum videri potest experiri, an liceat, earum loco, aliquod aliud institui consociationum genus, quod simul legitimum sit et canonicum, atque ita laboriosissima, quæ imminent tempora, catholicis Gallis defendere. Profecto tam sollicitos atque anxios ista Nos tenent, ut nihil magis; atque utinam spes affulgeat, si non bona, at aliqua tamen, posse Nos, divino salvo jure, id inire experimenti ut dilectos filios tantorum malorum metu liberemus. At quoniam, hac manente lege, spes istiusmodi nulla ostenditur, istud alterum consociationum tentare genus, negamus fas esse, usque dum legitime certoque non constiterit, divinam Ecclesiæ constitutionem, atque immutabilia Romani Pontificis et Episcoporum jura, eorumque in bona necessaria Ecclesiæ, præcipue templa, potestatem, incolumia per consociationes easdem et tuta semper fore: contrarium velle Nos, nisi religionem officii deserendo, atque interitum Ecclesiæ Gallicæ conficiendo, non possumus.

Restat, Venerabiles Fratres, ut vos, omni utentes ope, quacumque vos jura civitatis uti siverint, disponendo instruendoque religioso cultui operam detis. Nec vero hac tanta in re tamque ardua passuri sumus Nostras desiderari partes. Utique licet absentes corpore, cogitatione tamen atque animo vobiscum erimus, vosque consilio atque auctoritate opportune juvabimus. Quapropter animose suscipite, quod, suadente Ecclesiæ patriæque vestræ amore, imponimus vobis onus: ceterum conquiescite in bonitate providentis Dei, cujus tempestivum auxilium non defuturum Galliæ, omnino confidimus.

Jamvero quibus criminationibus religionis hostes decreta hæc mandataque Nostra sint excepturi, non difficile est prospicere. Contendent persuadere populo: nequaquam Nos Ecclesiæ Gallicæ salutem spectasse tantum; aliud etiam, alienum religione, habuisse propositum: invisam Nobis esse

in Gallia formam Reipublicæ, ejusque evertendæ Nos gratiâ velificari studiis partium: ea Nos abnuisse Gallis, quæ non invite Apostolica Sedes aliis concessisset. Ista Nos et similia, quæ, ut licet e certis quibusdam indiciis cernere, late ad irritandos animos spargentur in vulgus, jam nunc indignando denuntiamus esse falsissima, vestrumque, Venerabiles Fratres, et bonorum omnium erit redarguere, ne scilicet imperitos ignarosque decipiant. — Nominatim vero quod ad illud attinet, faciliorem se alibi Ecclesiam impertivisse in causa simili, monstretis oportet, hoc eam fecisse, quum diversa prorsus verterentur momenta rerum, quumque præsertim divinis Hierarchiæ rationibus aliquo saltem modo consultum esset. Quod si quæpiam civitas ita ab se segregavit Ecclesiam, ut plenam ei communis libertatis copiam fecerit, liberumque in propria bona arbitrium reliquerit, non uno quidem nomine injuste se gessit, sed tamen in conditione Ecclesiam collocasse dicenda est non omnino intolerabili. Verum multo secus agitur hodie res in Gallia: ubi injustæ hujus legis conditores instrumentum sibi comparasse non tam ad separandam a Republica Ecclesiam, quam ad opprimendam videntur. — Ita, studia pacis professi, concordiamque polliciti, inferunt religioni patriæ bellum atrox, injectisque acerrimarum contentionum facibus cives cum civibus committunt, quanta cum pernicie ipsius reipublicæ, nemo non videt. Studebunt profecto certaminis hujus et eorum quæ secutura sunt, malorum in Nos transferre culpam. Sed quisquis facta sincero judicio æstimaverit, quæ Ipsi etiam in Litteris Encyclicis *Vehementer Nos* attigimus, dijudicabit, utrum Nos reprehendendi simus qui, alias ex aliis perpessi injurias toleranter, dilectæ nationis causâ, ad ultimum coacti sanctissimos Apostolici officii transire terminos, negavimus posse: an potius tota in eis culpa resideat, qui catholici nominis invidiâ ad hæc usque extrema provecti sunt.

At enim catholici ex Gallia homines, si vere suum Nobis obsequium studiumque præstare volent, ita pro Ecclesia contendent, quemadmodum eos monuimus, constanter nimirum ac fortiter, nihil tamen seditiose violenterque faciendo. Non vi, sed constantia, tamquam in arce justitiæ collocati, frangent aliquando inimicorum contumaciam: in-

telligant vero, quod diximus jam iterumque est dicendum, ad hanc se victoriam nisuros frustra, nisi summa inter se conjunctione in tutelam religionis conspirarint. Nostram habent de nefastæ legis usu sententiam : sequantur, ut oportet, volentibus animis ; et, quidquid quisque de hac ipsa re adhuc disputando tenuit, caveant, obsecramus, ne quis quem propterea offendat, quod melius viderit. Quid consentientium voluntatum connexarumque virium contentio possit, mature capiant ex adversariis documentum ; et quo pacto his licuit nequissimam civitati imponere atque inurere legem, eodem nostris tollere eam licebit et exstinguere. — In tanto Galliæ discrimine, si quidem universi omnes, quotquot maximum patriæ bonum summa sibi ope tuendum putant, Nobiscum et cum Episcopis suis et inter se conjuncti, pro religione, quo modo opus est, elaborabunt, non solum non desperanda Ecclesiæ Gallicæ salus est, sed sperandum brevi fore, ut ad dignitatem prosperitatemque pristinam resurgat. Nos, quin Nostris satisfacturi sint præscriptionibus et votis, minime dubitamus : interea divinam benignitatem conciliare vobis omnibus, patrocinio confisi Mariæ Immaculatæ, impense studebimus.

Auspicem cælestium munerum ac testem paternæ benevolentiæ Nostræ, Vobis, Venerabiles Fratres, universæque Gallorum genti Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, die X Augusti, in festo Sancti Laurentii Martyris, anno MCMVI, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. X.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris

—

I

Quæritur utrum demonstrari possit II ep. S. Petri a principe Apostolorum fuisse conscriptam?

II

Explica et dijudica hoc S. Thomæ assertum: « Habentibus charitatem omnis actus (humanus) est vel meritorius vel demeritorius » (*De Malo*, Q. II, a. 5, ad 7). Cf. I-II^{æ}, Q. CXIV, a. 4.

III

In quanam parochia, quoties, et quo titulo proclamari debet sponsa minorennis, quæ cum hero cui famulatur ante annum migravit ex S. Walburgæ (Brugis) ad parochiam B. M. V., et cujus parentes, ante quatuor menses, domicilium mutaverunt ex S. Annæ ad S^{ti} Œgidii?

IV

Ostende matrimonium esse in se honestum, virginitati tamen postponendum.

V

An et qua ratione matrimonium, inter infideles validè initum, evadit sacramentum: 1/ quando ambo baptizantur, 2/ quando alteruter Baptismum suscipit?

VI

Interpretare primam partem art. XIII Constitutionis *Officiorum ac Munerum* « Libri aut scripta quæ narrant » novas apparitiones, revelationes, visiones, prophe- » tias, miracula, si publicentur absque legitima Supe- » riorum Ecclesiæ licentia, proscribuntur ».

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Q. *Interpretare ep. S. Jac. I, 12-15.*

R. I. **Prænota.** S. Jacobus (1) hanc epistolam Judæo-christianis qui ob varias causas animos plus minus desponderant, scripsit ut constantes in fide permanerent, non obstantibus persecutionibus ac rebus adversis quibus obnoxii erant, utque vitam ac mores fidei suæ conforment, vitiaque extirpent.

In præsenti autem loco v. 12 claudit auctor exhortationem v. 2 incœptam, qua eos excitat ad « tentationes » i. e. tribulationes propter fidem immissas constanti animo sufferendas. V. 13-18 quorumdam objectioni: « Deus per tribulationes nos ad peccatum excitat » modo generaliori respondet: a/ Deus neminem ad malum sollicitat (v. 13-15); b/ a Deo nonnisi bonum provenit (v. 16-18).

II. **Interpretatio.** *12 Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. 13 Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. 14 Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. 15 Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.*

12. *Beatus vir:* modus docendi per « beatitudines » memoriam renovat sermonis montani (2), ad quem variæ hujus epistolæ sententiæ alludere videntur.

Qui suffert tentationem ὑπομένει πειρασμόν (v. 2) qui constanter sustinet tribulationem, qui ei non cedit per apostasiam, murmurationes etc.

---

(1) V. *suprà*, p. 490 ss.
(2) *Mt* V, 3 ss.; *Lc* 6, 20 ss.

Quoniam (etenim) *cum probatus fuerit:* δόκιμος γενόμενος, probatus factus, ideoque fortis et constans inventus in hoc certamine patientiæ, *accipiet* velut mercedem *coronam vitæ* (gen. apposit.) quæ est vita æterna (1), *quam coronam repromisit Deus* ὁ Κύριος: Dominus v. 7 (2) *diligentibus se,* i. e. qui constanter corde et opere ipsum diligunt. Innuitur Dei dilectionem esse radicem ac fontem omnis meriti vitæ æternæ, adeo ut actus ceterarum virtutum, nisi ab ea informentur, meritorii non sint. Ex hoc loco pariter colligunt catholici vitam æternam dilectioni Dei et operibus ea imbutis reddi per modum mercedis et præmii, sicut corona in certamine victoribus tribui solet.

13. Cf. *Eccl.* XV, 11. Auctor a tentatione probationis seu tribulatione transit ad tentationem seductionis, uti vocatur. Doctrina generali docet quænam sit et quænam non sit causa hujusmodi tentationis. Ærumnæ et vexationes, ob fidem toleratæ, nonnullis videbantur nimis duræ; dicebant isti: Deus, cum illas permittit, nos ad peccatum incitat, puta ad apostasiam vel saltem ad impatientiam, murmurationes, etc. Respondet s. Jacobus falsissimam esse illam opinionem: *Nemo cum* externis afflictionibus vel interne *tentatur:* ad malum sollicitatur, *dicat* quod *a Deo tentatur.* Quemadmodum Deus, ait, *intentator malorum est,* ἀπείραστος, sensu passivo, i. e. ad malum non tentatur, ad ea quæ mala sunt sollicitari nequit: ita etiam *neminem tentat,* ad peccatum sollicitat. Vox *intentator* in Vulg. videtur parum accurata; nam sumitur active et significat *qui non tentat.* Verum, si talis esset sensus, haberetur tautologia cum verbis sequentibus. *Tentare* in hoc igitur v. audit: ad peccatum allicere; significatur tentatio tùm externa, tùm interna. In præcedentibus *tentatio* dicebatur afflictio

(1) Cf. *I Pet.*, IV, 4; *II Tim.*, IV, 8.

(2) Vocem ὁ Κύριος auctor forsan in sensu V. T. usurpat de *Deo* quin explicite distinctio personarum innuatur; probabilius tamen ea vox adhibetur in sensu N. T. de Christo, Dei Filio. Cf. V, 7, 8, 14, 15.

seu tribulatio, non exclusa tamen notione de incitamento (externo) ad peccatum. Deus creatas voluntates ad peccatum tentare non potest: quando ergo dicitur tentare homines per adversa aut prospera quæ immittit, non intelligitur tentatio peccati sed probationis, qua sumit experimentum virtutis, ut homo sibi aut aliis innotescat.

14 et 15. Rejecta falsa opinione, Deum esse causam peccati, Apostolus veram tentationum causam indicat, puta internam, quæ non excludit causas externas (cf. VI, 7) seu potius occasiones tentationum: istæ enim non sunt causæ, nisi in quantum interiorem concupiscentiam excitant suggerendo et objiciendo ei phantasmata quibus ipsa delectatur. Igitur, vera et proprie dicta *causa* tentationum est *concupiscentia,* sc. mala ista naturæ lapsæ inclinatio ad peccata tùm carnalia, tùm spiritualia, quæ ex peccato originali oritur et in baptizatis remanet ad luctam (1).

Deinde graphice describit quomodo ex *concupiscentia*, cui assentitur homo, peccatum gravissimum gradatim oriatur. *Concupiscentia,* ait, nos *abstrahit* a bono, seu potius nos *protrahit* (ἐξελκόμενος, metaphora a re venatoria ducta: ut bestiæ ex abdito, ita homo a libidine ad peccandum elicitur) et *illicit*, nos allicit blandimentis suis, sicut pellex quædam viros ad amplexum provocat, vel sicut pisces esca alliciuntur (δελεαζόμενος: esca captus). Hic est primus tentationis gradus; motus concupiscentiæ et voluntatis indeliberatus. Hucusque nullum est peccatum. Sed si consensus aliquis detur concupiscentiæ, συλλαβοῦσα: concupiscentia *concipit,* consensu sc. imperfecto, semideliberato, ex quo veluti feminæ et viri complexu peccatum veniale concipitur in utero voluntatis. Hic est secundus gradus, motus voluntatis semideliberatus, qui est peccatum quidem sed imperfectum seu veniale. Porro, quando plenus

(1) Cf. Conc. Trid., sess. V, n. 5.

datur assensus malæ delectationi, *peccatum* fit *consummatum* seu perfectum, peccatum mortale (quod *generat mortem*, sc. animæ, eam privando gratia, principio vitæ supernaturalis). Hic habetur tertius gradus, motus voluntatis perfecte deliberatus, qui in re graviter prohibita est peccatum grave seu mortale. Estius post s. Aug. aliosque per *peccatum consummatum* intelligit peccatum opere externo completum, ideoque verba *parit peccatum* interpretatur de consensu pleno et deliberato. Verùm priorem explicationem præferimus cum Beelen, Drach etc., quia *mors* adscribitur tantum peccato *consummato*. Jamvero, peccatum mere internum, dummodo sit plene deliberatum, posse inducere mortem nemo catholicorum negavit. Præterea actus externus peccati per se nullam malitiam specie diversam addit peccato interne consummato. Distinctio peccatum mortale inter et veniale (quæ ex hoc textu confirmatur) non est specifica, sed theologica: quatenus mortale solum mortem animæ inducit.

III. **Paraphrasis.** 12. *Beatus* ille *qui* constanti animo sustinet tribulationem, quia *probatus* factus seu fortis et constans inventus in hoc certamine patientiæ, *accipiet* velut mercedem *coronam* quæ est *vita æterna*. 13. *Nemo* cum externis afflictionibus vel interne *tentatur* i. e. ad malum sollicitatur, *dicat* quod *a Deo tentatur: etenim* sicut *Deus* ad mala non sollicitatur, ità etiam *neminem* ad peccatum sollicitat. 14. Sed quicumque ad malum sollicitatur, *tentatur* quatenus *a* propria *sua concupiscentia* protrahitur et illicitur ad peccatum. 15. *Deinde concupiscentia cum* consensu imperfecto voluntatis *conceperit, parit* aliquod *peccatum* scil. imperfectum. *Peccatum verò cum* perfecto voluntatis assensu *consummatum* fuerit, *generat mortem* animæ (1).

A. Camerlynck.

---

(1) Cf. Ceulemans, *Commentarius in epistolas catholicas et in Apocalypsim*, Mechliniæ, 1904, p. 14 s.; Plumptre, *The general Epistle of St. James*,

II

Q. *An et cur admitti potest in Christo homine* ignorantia?

R. I. **Prænotandum.** Differunt nescientia, ignorantia, error.

Nescientia nihil aliud est quam mera *carentia* scientiæ vel cognitionis. *Ignorantia* est *privatio* cognitionis, nempe carentia cognitionis *debitæ,* seu carentia cognitionis in eo qui aptus est illam habere. — *Error* est judicium quo falsum pro vero approbatur (1).

Inquirimus utrum fuerit in Christo ignorantia proprie dicta, nempe carentia cognitionis debitæ: debitæ vel secundum ætatem et adjuncta in quibus versabatur, vel secundum munus quod Ipsi adimplendum erat: rem autem theoretice spectamus, non determinamus quid de facto cognoscere debuerit Christus ne ignorantia ipsi insit.

II. Nequit admitti in Christo homine ignorantia.

1. Nequit admitti in Christo ignorantia quæ est malum culpæ, seu peccatum in genere morum: nam nulla culpa in Christo admitti potest: est enim suppositum divinum quod inordinate agere nequit (2).

2. Nequit admitti in Christo ignorantia quæ est malum mere physicum, nempe carentia debitæ cognitionis proveniens vel ex infirmitate ingenii vel ex defectu, non culpabili, applicationis animæ ad acquirendam scientiam. a/ Talis enim defectus nec Christum decebat, nec nobis expediebat. « Ipsum non decebat, quia anima ejus debuit esse deiformis, ac per hoc

---

Cambridge, 1901, p. 53 ss.; W. Beyschlag, *Der Brief des Jacobus,* Göttingen, 1898, p. 60 ss.; Calmes, *Epitres catholiques, Apocalypse*, Paris, 1905, p. 3 s.; Zahn, *Einleitung in das N. T.*, Leipzig, 1900, p. 52 ss.; Mayor apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, T. II (1903), p. 543 ss.; Van Steenkiste-Camerlynck, *Epistolæ catholicæ*, Brugis, 1906, p. 31 s.

(1) Cf. S. Thomas, *De Malo,* Q. III, a. 7; Q. VIII, a. 1, ad 7; *Collat. Brug.*, suprà, p. 343.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, T. V, p. 350.

repleta luce sapientiæ et rectitudine justitiæ; ignorantia autem privatio est scientiæ et potest esse via in errorem et obliquationem a rectitudine justitiæ, ac per hoc Christo non competebat. — Nobis etiam non expediebat, quos venerat redimere et dirigere. Si enim defectum ignorantiæ habuisset, nos redimere nescivisset; dirigere etiam nescivisset, quia et, *si cæcus cæco ducatum præbeat ambo in foveam cadunt* (Matth. XV, 14) » (1). Hoc S. Bonaventuræ argumentum nititur hoc principio quod perfectam sibi humanitatem assumpsit Christus; nec alios coassumpsit defectus quam defectus, sicut passibilitatem, mortalitatem, quæ ad finem Redemptionis, per satisfactionem operandæ, inservire debebant.

b/ In Christo fuit perfectissima scientia, etiam supernaturalis (2); atqui cum perfectissima scientia nequit haberi simul ignorantia; ergo. « Sicut in Christo fuit plenitudo gratiæ et virtutis, ita in ipso fuit plenitudo omnis scientiæ, ut ex prædictis patet. Sicut autem in Christo plenitudo gratiæ et virtutis excludit fomitem peccati; ita plenitudo scientiæ excludit ignorantiam, quæ scientiæ opponitur. Unde sicut in Christo non fuit fomes peccati, ita in eo non fuit ignorantia » (3).

Adnotatio. 1. *Progressus* secundum scientiam *acquisitam* non importat ignorantiam, sed *nescientiam*, quatenus Christus naturaliter cognovit quædam quæ antea non noverat *secundam illam scientiam:* supposito admissum fuisse in Christo a primo Incarnationis instanti visionem beatificam et scientiam per se infusam, non datur in Ipso progressus nisi *secundum quid,* nempe secundum scientiam acquisitam: secundum hanc cognitionis speciem paulatim acquirebat cognitionem eorum quæ jam cognoscebat alia cognitionis specie.

---

(1) S. Bonaventura, in III, D. XV, a. 2, q. 1.

(2) Cf. suprà, p. 296, 439.

(3) S. Thomas, III, Q. XV, a. 3, cf. in III, D. XVII, a 4, ubi docet S. Thomas non potuisse in intellectu Christi adesse *dubitationem* quæ provenit ex defectu medii sufficientis ad veritatem inveniendam.

2. Quidam Patres admiserunt Christum, hac in terra degentem, non cognovisse diem ultimi judicii (1): secundum illos hæc carentia cognitionis non erat ignorantia, sed nescientia, quam subiit Christus in sua humanitate quia nescientia talium eventuum est hominibus connaturalis. Audiamus *S. Athanasium*: Certe cum in Evangelio de se, ut homine, ita loquitur: *Pater venit hora, glorifica Filium tuum,* clare demonstrat se ipsam quoque horam, qua omnium rerum finis est futurus, ut Verbum cognoscere, sed ut hominem ignorare. Hominis enim proprium est ignorare. Verum hoc ipsum singularis Salvatoris benevolentiæ et benignitatis est effectus. Quoniam enim homo factus est, idcirco, propter carnem, ignorantem, dicere non erubescit: *Nescio,* ut scilicet ostendat se ut Deum scire, at secundum carnem ignorare. Itaque non dixit: Neque Filius Dei novit, sic divinitas ignorare videretur; sed tantummodo neque Filius, ut nimirum ignoratio filii ex hominibus nati esse intelligeretur » (2).

Et alio in loco: « Illud quoque recte dictum est, quod male ab illis intelligitur nempe, *de die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli, neque Filius.* Hæc, inquam, rectam continent sententiam. At illi (Ariani) ex his verbis, *neque Filius*, putant cum ille se ignorare asseverat, rem creatam se esse significare. Verum non ita est, absit. Etenim quemadmodum cum dixit: *creavit me,* humanam naturam designabat: ita cum ait: *neque Filius,* eamdem naturam denotabat. Et quidem causa cur ita locutus sit valde consentanea est. Quia enim homo factus est, uti scriptum est, et hominum proprium sit ignorare, ut et esurire ceteraque id genus (namque nihil homines cognoscunt nisi audierint et didicerint), idcirco hominum ignorantiam, quatenus homo factus,

(1) Cf. Petavius, *De Incarnatione,* L. XI, cap. 1, n. 5; Schwalm, *Les controverses des Pères grecs sur la science du Christ, Revue Thomiste,* T. XII (1904), pp. 12-47, 257-297.

(2) *Oratio III contra Arianos,* n. 43.

præ se ferre voluit, primum quidem ut ostenderet se vere corpus humanum habere; deinde ut hominum ignorantiam in corpore gerens, naturam humanam ab omnibus liberaret et purgaret, perfectamque ac sanctam Patri exhiberet » (1).

Etiam *S. Cyrillus Alexandrinus* admittit Christum hominem nescivisse diem ultimi judicii ejusque nescientiæ convenientiam proponit: quia voluit Verbum sibi assumere humanitatem similem nostræ humanitati et formam servi accipere (2).

3. Attamen hæc sententia postea a plerisque Patribus et theologis rejecta est: et sane omnino convenit ut Christus, quà hominum Redemptor et Judex, cognoscat tempus ultimi judicii: illa nescientia minime confert ad hoc ut Christus sit verus homo, nec ut veritas ejus humanitatis innotescat. « Harum duarum opinionum, ait *Petavius* (3), quarum auctores recensuimus, posterior (negans illam nescientiam in Christo) usu jam recepta consensuque Theologorum, merito anteponitur alteri. Nam et Christi dignitati consentanea magis est; et huic, quam gerebat, personæ, officioque Mediatoris, et Capitis, hoc est omnimodæ gratiæ, ac sapientiæ fontis, aptior, necnon Judicis; cujus interest nosse functioni illi exercendæ præstitutum tempus. Quamobrem prior illa, tametsi summis quibusdam viris olim non displicuit; postea hæresis est notata; eoque nomine pro hæreticis damnati sunt Agnoëtæ cum eorum parente Themistio diacono ».

4. Præcipua autem ratio cur quidam Patres adducti fuerint ad admittendam in Christo homine nescientiam diei judicii est illa Christi assertio: « De die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater » *Marc.* XIII, 32.

---

(1) *Epistola II ad Serapionem*, n. 9.
(2) Cf. SCHWALM, *o. c.*, p. 294.
(3) O c., l. c. n. 15.

Attamen non constat hoc in loco Christum fateri se nescire diem judicii. Etenim aliqua certissime hîc est admittenda restrictio vel distinctio subintellecta: nam Filius est divina Persona, et hæc Persona divina certissime cognoscit diem judicii (1): ergo nequeunt verba citata sic exponi ac si Christus simpliciter negaret se nescire diem judicii: ergo intelligatur oportet: Filius UT HOMO nescit hanc diem. Hoc autem posito, jam duplex rationabilis explicatio innotescit: vel, Filius in humana natura aut in humano intellectu hoc non cognoscit; vel, Filius ex humana natura, aut ratione humanæ naturæ hoc non cognoscit, licet hoc, in intellectu humano, cognoscat, mediante cognitione supernaturali, de qua hîc Christus mentionem facere non debebat quia docere intendit nullam creaturam, propria ac naturali cognitione, cognoscere diem judicii (2). Porro aliæ adsunt rationes, quas suprà indicavimus ut hæc secunda admittatur explicatio (3).

J. VAN DER MEERSCH.

---

(1) « Das Wort Christi, das *Schell* (qui propugnat nescientiam dici judicii fuisse in homine Christo) hier meint, ist Marc. XIII, 32. Schell bedenkt nicht, dasz der fragliche Auspruch Christi, wenn er streng nach den vorliegenden Wortlaute genommen würde, die Unwissenheit auf die ganze Person und mithin auch auf die Gottheit ausdehnen würde. Somit ist der katholische Exeget und Theologe hier für ieden Fall zu einer Abschwächung genöthiget » SCHMID, Die Lehre der Agnoëten, Zeitschrift für katholische Theologie, 1895, p. 676; cf. LEPIN, *Messie et Fils de Dieu*, 2e Edition, Paris, 1905, p. 414.

(2) « *In* natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non *ex* natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit. » S. GREGORIUS M. *Registrum Epistolarum*, Lib. X, Indictione III, Epistola XXXIX.

(3) Videsis aliam interpretationem apud JUNGMANN, *De Verbo Incarnato*, n. 250.

III

Q. *Expone undenam confessarius sæcularis accipiat jurisdictionem in peregrinos sæculares, ex aliena diœcesi accedentes.*

Respondetur.

Præferenda ducitur sententia juxta quam confessarius sæcularis jurisdictionem in peregrinos sæculares accipiat *ab Episcopo proprio pœnitentis peregrini.*

Probatio.

Ad absolvendum requiritur jurisdictio *in ipsum pœnitentem,* tanquam in subditum, uti ostendimus apud *Collat. Brug.,* t. IV, p. 455 et seq., ac proinde facultas aliquem absolvendi non potest concedi nisi ab illo qui jurisdictione pollet in ipsum pœnitentem absolvendum.

Oportet igitur ut ad absolvendos peregrinos facultatem acceperit sacerdos sive ab Episcopo proprio peregrini, sive a S. Pontifice, utpote qui soli jurisdictionem habent in illos.

Jamvero minus conformis juri videtur sententia docens jurisdictionem in casu esse derivandam a S. Sede, sive mediate sive immediate, potius quam ab Episcopo proprio pœnitentis.

Ratio est quia principium est juris universim admissum confessarios *sæculares regulariter* accipere jurisdictionem in pœnitentes *sæculares* (1) ab Episcopo pœnitentium: hujusmodi autem principio non est derogandum nisi cogente ratione, quæ cogens ratio hic nullo titulo adest.

Equidem optime posset S. Pontifex concedere jurisdictionem in peregrinos, tum mediante Episcopo loci confessionis, tum absque ejusdem intermedio; sed talis supremæ auctoritatis immixtio, juris derogativa, non est præsumenda sed probanda.

---

(1) Seponitur hic quæstio de origine jurisdictionis penes confessarium regularem respectu pœnitentium sæcularium, vel penes confessarium sæcularem respectu pœnitentium regularium.

Porro nihil est in disciplina fori pœnitentialis quod id exigat. Et revera

a/ ex eo quod passim ac indiscriminatim absolvuntur peregrini a confessariis loci in quo actu versantur, non sequitur jurisdictionem non accipi ab Episcopo proprio pœnitentis peregrini. In promptu est enim quod Episcopus proprius pœnitentis, hanc consuetudinem approbando, in hoc consentiat ut peregrini confessarium eligant in loco in quo degunt: qua electione indirecte obtingit jurisdictio cuicumque sacerdoti approbato in confessarium electo.

Et ita non est recurrendum ad explicationem S. Alphonsi, l. VI, n. 588, tenentis quod « peregrini, stante hodierna consuetudine, nempe quod absolvantur ubique a quocumque confessario approbato, hodie non amplius absolvuntur ex voluntate suorum Episcoporum, sed ex voluntate Ecclesiæ, quæ talem consuetudinem approbando tribuit facultatem ut habeantur ipsi tanquam incolæ loci ubi confitentur ».

Nec *b*/ nobis opponenda est praxis passim admissa, quatenus peregrini ex una parte possunt, seposita fraude (1), absolvi a peccatis quæ reservantur ipsorum Episcopo non autem Episcopo loci in quo peregrinantur, et ex alia parte nequeunt absolvi a peccatis reservatis in loco peregrinationis et non in patria.

Nihil namque impedit quominus Episcopus proprius

---

(1) Juxta Bullam Clementis X *Superna* statuitur « posse regularem confessarium (et pariter sæcularem) in diœcesi in qua est approbatus, confluentes en alia diœcesi, a peccatis in ipsa reservatis non autem in illa ubi idem confessarius est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit *in fraudem reservationis* ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse ».

Juxta S. Alphonsum, l. c., n. 589, obtinet illa fraus « quando quis alienam petit diœcesim ob principalem finem obtinendi absolutionem vitandique judicium proprii pastoris... Unde (non transit in fraudem ac) bene absolvi poterit si abscesserit ad aliquam diœcesim ob aliquem honestum finem, puta negotium agendi vel indulgentiæ lucrandæ, vel ut confiteatur cum minori incommodo aut citius confessionem expediat, vel ut confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat ».

pœnitentis, hanc praxim approbando, sacerdoti extraneo, a diœcesano peregrinante in confessarium electo, jurisdictionem concedat cum eadem amplitudine ac eadem restrictione quam ea qua ibidem gaudet dictus sacerdos respectu reliquorum pœnitentium. Et profectò rationabiliter agit Episcopus peregrini sese conformando, in jurisdictionis concessione super peregrino, limitibus jurisdictionis qui determinantur ab Episcopo loci in quo confessio instituitur, adeo ut ratio habeatur reservationis qualis existit in loco confessionis, non autem qualis existit in loco unde accedit peregrinus pœnitens (1).

Hac nimirum ratione vitantur difficultates quæ natæ essent oriri pro confessario si ipsi esset attendendum ad propriam patriam cujuscumque pœnitentis necnon ad varias disciplinas in variis diœcesibus, quoad reservationem, vigentes.

IV

Q. *Indica quædam specialiter attendenda in excipienda confessione puerorum.*

Respondetur.

Restringitur quæstio ad ipsam confessionis exceptionem, et unicè sermo est de pueris duodecimum annum nondum egressis, ac illa dumtaxat attinguntur quæ huic generi pœnitentium propria sunt.

Præsupposita opportuna præparatione (2), benigne

---

(1) Lehmkuhl, *Theologia moralis,* II, n. 404, Noldin, *De Sacramentis,* Œniponte, 1903, n. 375, qui eamdem supraexpositam sententiam tuentur circa originem jurisdictionis in peregrinos, tenent peregrinos posse absolvi a peccatis in loco confessionis reservatis et non in patria, quia, aiunt, ab Episcopo loci confessionis non potest restringi jurisdictio, siquidem ab ipso non procedit. Atvero hæc jurisdictionis restrictio potest induci, uti diximus, ab ipso Episcopo proprio pœnitentis, in concedenda jurisdictione, merito sese conformante limitibus jurisdictioni appositis ab Episcopo loci in quo confessio excipitur.

(2) In hac instructione præparatoria, quæ maximi est habenda, fidu-

excipiatur puer confessurus, omnia vitando quæ eum turbare possent aut deterrere, eumque suaviter invitando ut omnia candidè pandat quæ conscientiam gravant. Quæ autem ulterius sunt attendenda huc præcipue redeunt:

1°/ **Quoad peccatorum accusationem et confessionis integritatem:**

a/ Puerum sponte sese accusantem sinat loqui confessarius absque interruptione; hærentem vero ac cunctantem amanter adjuvet, interrogatione opportunè facta circa varia objecta frequentius cum hujusmodi pœnitentibus occurrentia.

b/ Defectui integritatis, ubi apparet vel rationabiliter præsumitur, supplendum est in quantum fieri potest. Quo in munere summa prudentia est opus: peccata namque in se levia non rarò apud pueros, ex falsa conscientia, fuerunt formaliter gravia et qua talia sunt accusanda, dum ex alia parte non pauca peccata vel peccati adjuncta, speciem graviter mutantia, aut non attenduntur aut leviora reputantur, adeo ut malitia gravis non fuerit contracta (1).

---

ciam excita in confessarium, ad quem accedant pueri tanquam ad pium patrem ac misericordem medicum qui vulneribus medebitur eaque inviolabili sigillo occultabit. Efficaciter urge pueros ad sinceritatem, salutari timore prudenter incusso a sacrilegio, et simul præ oculis posito copioso ac suavi fructu bonæ confessionis. Ad contritionem eliciendam eos dispone, in quantum potest fieri, perfectam, pueros manuducendo a consideratione bonitatis Dei in nos ad considerationem summæ ejus amabilitatis in se. Doce eos sedulò conscientiam excutere, practica proposita methodo confessionem juxta ordinem decalogi perficiendi: quam methodum applicando nonnulli eousque procedunt ut pueros confessuros doceant singula præcepta per summa capita ex ordine enumerare, addendo utrum et in quo illa transgressi sint necne; hanc autem praxim, primo aspectu fastidiosam, uberes referre fructus experientia testatur. Eam etiam probat PRUNER, *Lehrbuch der Pastoraltheologie*, Paderborn, 1905, II, n. 142.

(1) Ita monet AERTNYS, *Theologia Pastoralis*, n. 127: « Actiones inhonestæ puerorum, qui luxuriæ adhuc ignari sunt, plerumque non sunt habendæ ut peccata mortalia, quia vel commotionem veneream non habuerunt, vel hujus malitiam nondum apprehendunt ».

Præcipua vero difficultas occurrit in materia luxuriæ, qua in re, ut hic pauca tangamus, duplex scopulus æque diligenter est vitandus: non tantùm scilicet ne nimium interrogando malum doceantur innocentes, sed etiam ne, nimium ab interrogatione reformidando, confessio relinquatur manca, ac, quod potissimum est, ne sinantur pueri in peccato sordescere, cum magno dispendio animæ et corporis; non desunt namque eheu! adeo miseri qui ab ipsa pueritia pessimæ consuetudini existunt obnoxii, luctuosæ suæ conditionis nonnunquam inconscii, quique, tempestive moniti et erecti, e barathro surrexissent, nunc autem, ob incuriam confessarii ejusve incautam verecundiam, tanquam passionis vile mancipium, miseram vitam ducunt gementes.

Porro pueros de hisce rebus nihil confitentes non interroget sacerdos, nisi forsan generice omnino, donec, ratione ætatis pueri, ejusque familiæ, societatis, pietatis status, vel ex aliis indiciis prudenter suspicetur aliquod hujus generis peccatum esse commissum; ubi autem prudens suspicio datur, caute et solerter conetur confessarius accusationem extorquere, variis industriis pro opportunitate adhibitis: periculosa tamen videtur ac rarius consulenda illa, quæ interdum proponitur, quatenus fingatur peccatum fuisse a puero admissum, eoque supposito urgenter postuletur quoties commiserit; fiet nimirum ut timidiores pueri, hujusmodi quasi-suggestioni cedentes, peccata agnoscant quæ nunquam extiterunt.

Pueri autem peccatum impuritatis agnoscentes, sed indeterminatè dumtaxat confitentes, paternè urgeantur ut ipsi proprio ore explicent in quo peccaverint, ad hoc ut confessarius, absque inopportunæ interrogationis periculo, discat utrum de vero peccato luxuriæ agat necne (1), utque speciem peccati cognoscere valeat.

(1) Notum est non semel contingere quod immunditia, in ore pueri, prorsus aliena sit a luxuria, et mere importet nugas, puta quod vestem sordibus maculaverit, et alia hujusmodi.

Quod si frustrà conatus fuerit, ipsius confessarii est successivis interrogationibus indolem peccati detegere, ac, in quantum fieri licet, integritatem confessionis procurare. In quem finem multum proficiet inquirere de variis circumstantiis loci vel temporis, ratione etiam habita, juxta superius dicta, indolis, societatis, conditionis et pietatis pueri pœnitentis: ex quibus omnibus elementis simul sumptis passim efformari poterit judicium. Proderit etiam, si socios habuerit puer, postulare quid mali fecerint alii, quid ipse ab aliis viderit patratum: hoc apertius declarabit, et illicò jam apparebit quid in hac re intelligat nomine impuritatis, et quousque in hujus rei notitia processerit; facilius etiam addet utrum idem fecerit ipse necne.

Ubi constat de vero peccato luxuriæ, non est imprudenter indagandum in infimam speciem, sæpe sæpius, ob inadvertentiam vel ignorantiam, non contractam; secus enim pronum est ut curiositas infaustè excitetur et ignota intempestive doceantur: magis autem innocentiæ parcendum est quam integritati; omni vero quo par est zelo sacerdos nitatur a luxuria avertere puerilem pœnitentem, præ oculis positis fæditate peccati et pulchritudine virtutis, propositis remediis, ac animo fortiter addito, necnon excitata alacri spe in victoriam referendam.

2°/ **Quoad judicium efformandum:**

a/ circa rationis usum satis expeditum ut malitia peccati apprehendatur, præstat præ oculis habere varia signa ab auctoribus indicata, signanter a REUTER-LEHMKUHL, *Neo-Confessarius,* 1905, n. 100: « 1/ Si peccata sua distincte explicent, quæstiones a confessario propositas bene percipiant, ad illas apte respondeant; 2/ si pudefiant ob mendacium vel actum turpem commissum; 3/ si magni faciant obedientiam et pietatem, sciantque quæ bonis et quæ malis eventura sint. Contrà si nihil sponte dicere possunt, vel si recitant quædam tanquam narratiunculas pueriliter aut formulas

tantum a parentibus ipsis inculcatas, vel si ad omnes quæstiones affirmative respondent, etsi sint ante propositis contradictoriæ, si digitis ludunt in clathris, si sæpe respiciunt ad ea quæ extra geruntur, si pileo vel rosario gesticulantur: indicia sunt usus rationis nondum obtenti ».

b/ circa materiæ sufficientiam, patet de ea nonnunquam dubium esse in confessione puerorum, eo vel magis quod, uti diximus, judicandum est de malitia peccati, prout eam, momento quo commissum est, apprehenderunt.

c/ circa notitiam illorum quæ scitu necessaria sunt necessitate medii vel præcepti: si cognitio sufficiens non adsit, compleatur, in quantum fieri potest, in ipsa confessione, modo puerili ætati convenienti, juxta methodum quam proponit Reuter-Lehmkuhl, op. cit., n. 104.

De judicio circa dispositionem nihil speciale notandum.

Juxta efformatum judicium circa usum rationis, debitæ materiæ præsentiam, divinarum rerum notitiam, ac requisitam dispositionem, absolutionem concedet confessarius vel negabit aut differet, attento principio posito a S. Alphonso, l. c.: Si nempe moraliter constat de dictis conditionibus, indilatè sunt absolvendi pueri pœnitentes; si autem dubium manet de una alterave conditione, puta de rationis usu, conditionate absolvantur, quotiescumque sunt « in periculo mortis (aut in obligatione implendi præceptum) et tantò magis si confessi fuerint aliquod dubium mortale: bene enim potest administrari sacramentum sub conditione, quando justa adest justa causa.... Et probabiliter plures Doctores dicunt quod pueri isti dubie dispositi (vel dubie ratione utentes) absolvi possunt (saltem post duos vel tres menses) sub conditione, licet sola venialia afferrent, ne careant diu gratia sacramentali, et forte etiam sanctificante, si forti aliquam gravem culpam haberent ipsis

occultam ». Cf. etiam LAHOUSSE, *De Sacramento Pœnitentiæ,* n. 224, sub 4°.

3°/ **Quoad instructionem dandam:**

Præter officium supplendi defectui cognitionis in rebus fidei, de quo modò, sedulò attendat oportet confessarius ut errores corrigat quibus obnoxium reperit puerum pœnitentem, utque conscientiam rectificet; non infrequenter namque contingit pueros circa malitiam ac gravitatem peccati perperam fuisse instructos a parentibus vel ancillis, imprudenter inferni pœnas minitantibus ut eos a futili actione avertant.

Eos ulterius rite confessos manuducat ad contritionem, ac ad absolutionem quam diligentissime disponat, verbis usurpatis ac motivis propositis ad tenellum animum movendum efficacioribus, juxta normam apud Auctores propositam, puta apud S. ALPHONSUM, *Praxis confessarii,* n. 91; REUTER-LEHMKUHL, op. cit., n. 103; AERTNYS, op. cit., n. 123 et seq.; HOUZE, *Regulæ Practicæ confessionum audiendarum,* p. 16 et seq.

Nota. Pœnitentia, uti notat S. Alphonsus, l. c., pueris injungenda, pro tenella eorum ætate, levior sit oportet, et « curandum ut illa ab ipsis quantocius impleatur: alioquin eam obliviscentur aut omittent ».

V

Q. *Titius laicus confitetur, extra tempora privilegiata, peccata hæreseos, abortus et sodomiæ. An, quomodo et quibusnam sub cautelis absolvi posset a communi confessario: 1/ in articulo mortis, 2/ in periculo infamiæ?*

Respondetur.

Prænotanda. Peccatum *hæreseos* est reservatum *ratione censuræ,* i. e. non ipsum peccatum directe afficitur reservatione, subtracta jurisdictione in illud, sed reservatur absolutio censuræ, quæ peccato adnectitur: reservatur scilicet S. Pontifici, idque speciali modo; cum autem censura excommunicationis graviter illicitam

reddat sacramentalis absolutionis elargitionem, inde est quod, ob adnexam excommunicationem reservatam, indirecte reservetur ipsius peccati absolutio.

Peccatum *abortus* pari modo reservatur *ratione censuræ* ipsi adnexæ: quæ censura non quidem reservatur S. Pontifici sed, ex juris communis dispositione, ordinario.

Contrà *sodomia*, in diœcesi Brugensi, Episcopo reservatur *ratione peccati,* seu ipsum peccatum directe obnoxium est reservationi, ablata communi confessario jurisdictione in illud.

Pro duobus igitur prioribus delictis, ratione censuræ reservatis, reservatio attingit directe censuram et indirecte tantùm peccatum; pro tertio crimine, ratione peccati reservato, directe attingit ipsum peccatum (1).

Quæ distinctio inter reservationem peccati, ratione sui et ratione censuræ, notandam etiam differentiam inducit quoad absolutionem a reservatis dandam. Nimirum *a*/ si peccatum ratione censuræ reservatum, absque facultate speciali et extra easum urgentem, absolvatur, *valide* absolvitur, licet illicitè; defectus namque jurisdictionis, uti diximus, afficit solam censuram absolvendam, cujus præsentia reddit absolutionem peccati illicitam quidem sed non invalidam; peccatum vero ratione sui reservatum, si sic absolvitur, absolvitur *invalide,* cum jurisdictio deficiat in ipsum peccatum.

b/ peccatum *ratione sui* reservatum potest absolvi directe vel indirecte: *directe,* quando nempe absolvitur a sacerdote jurisdictionem habente super illo, ita ut ipsa absolutione immediate et efficaciter attingatur; *indirecte,* quando super eo jurisdictionem non habet confessarius, potest tamen, ratione urgentis necessi-

(1) Ne confundas casum reservatum *ratione censuræ* et casum reservatum *cum censura:* hic alter est peccatum ratione sui reservatum, cui adnectitur ulterius excommunicatio. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 25.

tatis, pœnitentem casui reservato obnoxium, a reliquis peccatis sacramentaliter absolvere, adeo ut sacramentum validè constituatur ac gratiam infundat sacramentalem : eo ipso peccatum reservatum non aufertur quidem directe et vi absolutionis, sed tollitur macula peccati indirecte et e consequenti per gratiæ infusionem cum qua consistere nequit peccati reatus. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 30-31.

Contrà peccatum *ratione censuræ* indirecte absolvi nequit : ipsum namque peccatum semper absolvitur directe, cum jurisdictio in illud non deficiat ; censura autem nequit indirecte auferri per infusionem gratiæ sacramentalis, siquidem cum statu gratiæ consistere potest.

Potest tamen interdum censura, deficiente omni facultate in ipsam, absolvi *ad effectum,* uti dicitur, ita nempe ut, manente censura ejusque reservatione, effectus removeatur excommunicationis, seu prohibitio sacramentalis absolutionis a peccatis : efficitur scilicet ut, non obstante censura, sacramentum Pœnitentiæ hic et nunc licite suscipiatur, sublata, in ordine ad hujus sacramentalis absolutionis consecutionem, prohibitione lata. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 32 et t. XI, p. 450.

Notetur etiam censuras, de quibus in casu proposito, præsumi contractas, ab eis non excusante ignorantia (1); supponi etiam omnes obtinere conditiones in ipso delicto ad censuram vel reservationem requisitas.

Solutio.

A/ **In articulo mortis.**

1°/ Titium absolvere potest communis confessarius a censura adnexa *hæresi,* adeoque a peccato hæreseos, idque *directe,* injunctis de jure injungendis (2), et salva

(1) Censura non incurritur ab eam ignorante ; ignorantia vero reservationis non excusat a reservatione neque censuræ neque casus ratione sui reservati. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, 23 seq., et 36 seq.

(2) Circa injungenda de jure cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 142 seq. et 230 seq ; t. VI, p. 276, ubi signanter præscribitur reparatio scandali, ac

cautela servanda, quatenus Titio sic absoluto onus sit imponendum recurrendi, infra mensem, ad S. Sedem, sub pœna reincidentiæ in eamdem censuram.

Illud onus imponendum est, in articulo mortis, pro solis censuris S. Pontifici reservatis specialiter, qualis est censura hæreseos: importat autem pro pœnitente, obligationem vel impetrandi a S. Sede aut ab Ordinario ratihabitionem absolutionis impertitæ, vel novam obtinendi absolutionem a confessario eodem aut diverso, debita facultate instructo, uti latius exponitur apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 148 et seq.; VI, p. 214 seq. et p. 372 (1).

Sedulò tamen nota ad hoc ut illa cautela sit observanda a confessario, in articulo mortis absolvente a censura specialiter reservata S. Pontifici, supponi quod sacerdos absolvens omni peculiari facultate sit destitutus seu communis existat confessarius, uti habet tenor quæstionis; secus enim non est locus descriptæ cautelæ servandæ (2).

2°/ Idem Titius absolvi potest a censura *abortui* adnexa et a peccato abortus, idque *directe* et absque onere imponendo adeundi superiorem.

3°/ Tandem absolvi valet a casu *sodomiæ*, Episcopo reservato, rursum *directe* et sine onere recurrendi ad Episcopum, ita ut peccatum sit absolutione deletum ac omnis reservatio sit ablata.

---

hæreseos abjuratio, quæ sufficit secreta apud confessarium, in supposito, uti hic, quod non agatur de hæretico sectæ adscripto.

(1) Utrum et quandonam ab illo onere imponendo excusetur confessarius, cf. *Collat. Brug*, t. VI, p. 217 et seq.; VII, p 50 et seq.

(2) Hoc attento, onus de quo suprà, non est injungendum a confessario diœceseos Brugensis, quotiescumque absolvit vi facultatum quæ, juxta *Libellum*, p 20 et seq., concedi solent confessariis ibidem approbatis, signanter respectu « personæ laicæ graviter decumbentis et alii confiteri renuentis », idque per universam diœcesim, necnon respectu « ægrotorum confitentium in ordine ad suscipiendum Viaticum aut Extremam Unctionem », in territorio in quo jurisdictionem exercent laudati confessarii.

Quod, posito mortis articulo, a triplicis speciei delicto reservato absolvere valeat communis confessarius, ratio est quia, teste Concilio Tridentino, Sess. XIV, cap. 7 « in mortis articulo nulla est reservatio... (1) atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt ». Restrictio autem, quæ habetur pro censuris speciali modo reservatis R. Pontifici, quatenus absolvantur *ad reincidentiam,* urgetur in Constit. *Apostolicæ Sedis*, et in Decreto C. S. O. 17 Junii 1891. Cf. *Collat. Brug.,* t. IV, p. 32-33.

B/ **In periculo infamiæ.**

1°/ A censura *hæreseos* absolvi potest eodem modo et sub iisdem cautelis ac sub A/.

Obtinet namque eo ipso casus urgentior (2), in quo censuræ S. Pont. reservatæ a communi confessario absolvi possunt directe, sub pœna tamen reincidentiæ, nisi infra mensem recurratur ad S. Sedem ejusque mandatis obtemperetur. Quæ fusius probantur et evolvuntur apud *Collat. Brug.,* t. II, p. 594; IV, p. 230 et seq.; V, p. 148; et VI, p. 215.

2°/ Censura *abortus*, jure communi reservata Ordinario, quamvis a pluribus auctoribus, ob indolis paritatem, eadem disciplina applicetur quæ viget pro censuris S. Pontifici reservatis, nequit, in diœcesi Brugensi, juxta expressam mentem Episcopi, absolvi nisi *ad effectum* dumtaxat.

Urgente igitur gravis infamiæ periculo, potest confessarius, facultate a reservatis destitutus, pœnitentem,

---

(1) Circa sensum formulæ Tridentinæ cf. *Coll. Brug.*, t. VIII, p. 405 et seq.

(2) Casus urgentior, respectu censuræ S. Sedi reservatæ, non tantùm obtinet in periculo infamiæ, sed etiam « in casu quo nec infamia nec scandalum est in absolutionis dilatione, sed durum valde est pro pœnitente in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reservatis ». Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 48 et ll. cc.

abortus reatui ac censuræ obnoxium, a peccato sacramentaliter absolvere, præmissa absolutione a censuris et in specie a censura abortus; atvero hæc absolutio non auferet censuram ejusve reservationem, sed solam pro hac vice prohibitionem sacramentaliter absolvendi peccata. Unde sponte sequitur hujusmodi pœnitentem nova indigere absolutione ut a censura liberetur, adeoque ad hoc esse obligandum ut sese præsentet coram confessario debita facultate munito, in ordine ad absolutionem ab excommunicatione consequendam.

3°/ A casu *sodomiæ* potest communis confessarius absolvere *indirecte,* modo scilicet suprà descripto.

Porro peccatum, dicta ratione absolutum, est quidem remissum ac deletum, sed nondum est clavibus illud solvere valentibus submissum, ac proinde iterum est judicio sacramentali subjiciendum, et quidem, cum maneat reservatio, judicio confessarii ad illud absolvendum peculiari facultate instructi.

Debet igitur confessarius, in dicto casu absolvens, monere pœnitentem hujusmodi peccatum nondum esse directe remissum, illudque manere reservationi obnoxium, ac adeo esse iteratò coram confessario a reservatis habente accusandum.

Attamen adverte quod, ex benigna concessione Episcopi Brugensis, si contingat peccatum reservatum a simplici confessario esse absolutum simpliciter et absque dictæ obligationis injunctione, absolutio tamen sit valida et directa, ac sublata sit reservatio, adeo ut, si postea error detegatur, nova confessio ulterius non sit imponenda, nec recursus ad confessarium privilegiatum: quam concessionem censuit Episcopus non esse restringendam ad casum quo sacerdos sic processerit ex inadvertentia vel negligentia, sed eam extendit ad casum quo sic absolverit scienter et sacrilegè, modò « pœnitens bona fide existimaverit peccatum suum non esse reservatum vel sacerdotem, cui illud declaraverit, a reservatis absolvendi facultatem habere, et aliunde fuerit rite dispositus ». *Libellus,* p. 26.

Conclusio summaria. Titius absolvi potest a communi confessario : 1°/ *in articulo mortis,* directe, onere imposito, pro solo casu hæreseos, infra mensem recurrendi ad S. Sedem aut ad Ordinarium, pro ratihabitione absolutionis acceptæ, vel ad confessarium facultate munitum, in ordine ad novam absolutionem impetrandam; 2°/ *in periculo infamiæ,* directe ab hæresi, ad effectum ab abortus censura, et indirecte a sodomia, salvo, pro casu hæreseos, onere imponendo de quo suprà, et salva obligatione injungenda pœnitenti ut ab utroque ultimo casu novam absolutionem consequatur penes confessarium facultate speciali instructum.

A. De Smet.

VI

Q. *Quid præscribit liturgia de lumine coram tabernaculo?*

R. I. 1. **De lampade** sequentia habet Cæremoniale Episcoporum, lib. I, c. XII, n. 17 : « Lampades quoque ardentes numero impari in ecclesiis adsint, tum ad cultum et ornatum, tum ad mysticum sensum, ut et multa ex superius narratis pertinent. Hæ vero in primis adhibendæ sunt ante altare, *vel* locum *ubi asservatur SS. Sacramentum* et ante altare majus, quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante altare majus erit, tres ad minus ; *qui ante Sacramentum saltem quinque lucernas habeat.* Ante vero reliqua singula altaria singulæ possunt lampades appendi ; quæ quidem in præcipuis festis, saltem dum Vesperæ et Missa solemnis decantantur, continue ardeant. *Ante SS. Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensæ tota die adsint.* »

2. Pro ecclesiis autem quæ nec cathedrales nec collegiatæ sunt, præscribit Rituale Rom. (tit. IV, c. 1, n. 6) ut « *lampades coram tabernaculo plures, vel saltem una, die noctuque perpetuo colluceat* ».

3. Quæ præscriptiones universales in jure diocesano Brugensi pluries fuerunt inculcatæ et magis determinatæ. Debet enim decanus inquirere « an diu noctuque lampas ardeat coram tabernaculo » (1). Lampas autem sit « quantum potest pretiosa » (2). « Cum enim Is qui in augustissimo Sacramento continetur sit *splendor lucis æternæ*, jugiter coram eo (non vero in aliquo angulo) lumen foveatur, lampade diu noctuque accensa » (3). Quæ « lampas ardere debet coram SS. Sacramento, *etiam dum in sacristia reconditur*. Potest autem eo loco collocari quo non faveat latronibus, si forte in sacristiam penetrare conarentur » (4). In ecclesia autem « coram SS. Sacramento *in medio chori, coram tabernaculo* suspendi debet. Non sufficit ut lampas ardens collocetur in pariete laterali, vel in pavimento deponatur ad latus altaris, ita ut ab introeuntibus ecclesiam videri statim non possit » (5).

Horum præceptorum ratio intimius perspicitur, si velint sacerdotes perpendere lumen lampadis requiri 1/ ut honor debitus et Christo symbolice conveniens SS. Sacramento deferatur, et 2/ ut fideles hoc lumine accenso de vera Christi præsentia certiores reddantur et ad Jesum digne adorandum moveantur. Jesus enim in SS. Eucharistia permanens est « splendor lucis æternæ », « Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum », adeoque optime et designatur et honoratur sub lucis symbolo, sub quo tota ecclesiastica traditio Christum consuevit agnoscere, et fideles admonere ut tanquam « filii lucis » ambulent, utque in cordibus eorum amor Jesu tanquam flamma vivida ardeat.

---

(1) Statuta diœcesana, p. 49.

(2) Decret. anni 1867, ap. *Collectio epistolarum pastoralium*, t. XI, p. 179.

(3) Pastorale Brugense.

(4) Decret. anni 1854, de cultu SS. Sacramenti, n. XXII, apud *Collectio epistolarum pastoralium*, t. VIII, p. 45.

(5) Decret. 7 junii 1859, ap. *Collectio epistolarum*, t. X, p. 243.

Maxime urget præfatum præceptum, ubi, non obstante Ritualis præscriptione, tabernaculum non tegitur conopeo quo Ecclesia honorari vult Christum in Tabernaculo præsentem. Deficiente enim utroque, et conopeo et lumine, nullo jam signo agnoscere valent fideles utrum necne SS. Sacramentum in tabernaculo servetur.

II. **Ad oleum** lampadis quod spectat, attendi debet imprimis decretum a S. R. Cong. die 9 julii 1864 editum. Plures Galliarum Antistites exposuerunt « difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse *oleum olivarum* » et declarari petierunt « utrum in casu, attentis difficultatibus et ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea, quæ ex vegetalibus habentur, ipso non excluso petroleo ». « Sacra porro Congregatio, etsi semper sollicita ut etiam in hac parte quod usque ab Ecclesiæ primordiis circa usum ex olivis inductum est, ob mysticas significationes (1) retineatur; attamen silentio præterire minime censuit rationes ab iisdem episcopis prolatis » et ideo rescribendum censuit: « Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiæ episcoporum, ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetalibus ».

In diœcesi Brugensi autem debet esse oleum, si non ex olivis, quod sane magis decet, saltem ex vegetalibus eductum. Injungitur enim decanis ut in visitatione ecclesiarum inquirant « utrum lampas, quantum potest pretiosa, *cum oleo vegetali* continuo ardeat coram Sanctissimo, et non in aliquo angulo » (2).

C. Callewaert.

---

(1) Mystice oleum olivarum recte adhibetur in honorem Christi *Redemptoris*. Ex ipsis enim liturgiæ verbis, olivæ « opus misericordiæ » ac « *misericordiæ pinguedinem* » designant et « *spiritualem unctionem* advenisse quodammodo clamant. . quia *Redemptor noster humanis condolens miseriis* pro totius mundi vita cum mortis principe esset pugnaturus ac moriendo triumphaturus » (Missale Rom. in *Dominica Palmarum*).

(2) Decret. anni 1867, ap. *Collectio epist.* t. XI, p. 179.

Miscellanea.

De Evolutione et Natura fidei catholicæ.

Actum fidei catholicæ tenemus ejusdem esse generis ac actus fidei naturalis, seu actus creditivus in genere; scilicet, in utroque actu, intellectus sub imperio voluntatis, assentit propter auctoritatem testantis alicui veritati seu alicui propositioni, quæ jam antecedenter ad illum interventum voluntatis ut evidenter credibilis judicabatur. Illud autem judicium circa credibilitatem alicujus propositionis nititur motivis credibilitatis. Inde deducimus omnimodam rationabilitatem actus fidei religiosæ et supernaturalis. Etenim eo quod actus versetur circa materiam religiosam, imo quod sit supernaturalis, meritorius ad vitam æternam, minime excluditur necessitas debiti fundamenti seu motivorum credibilitatis; in universa theologia valet tritum illud adagium: « gratia non destruit naturam sed eam perficit et elevat ».

Non ita sentit M. Hébert, qui in opere (1) quod prodiit anno elapso, actum fidei religiosæ et catholicæ tanquam actum omnino singularem proponit. Valorem objectivum actus fidei funditus negat, ejusque originem mere psychologicam defendere conatur. Sententiam auctoris placet breviter exponere; quasdam animadversiones postea addemus.

I

Primitus, scil. ante quamcumque evolutionem, fides religiosa catholica est motus animi qui oritur ex innata tendentia hominis ad bonum et perfectum. « C'est le

(1) L'évolution de la foi catholique, par M. Hébert, Professeur à l'Institut des Hautes Etudes (Université nouvelle de Bruxelles). Paris, Alcan, 1905.

sentiment de l'infini, de l'idéal, du parfait » (1). Jamvero ille motus, quem auctor vocat etiam *emotionem* (2), necessario pro humana natura debet systemati theologico viam parare.

Revera homo prius sibi effingit imagines et mythos quibus effectus mere subjectivi aliqua objectiva repræsentatione exprimantur. — Illud primum stadium occurrit in Evangeliis. — Postea ipsas imagines ideis plus minusve philosophicis quidam interpretantur. — Hoc locum habuit apud Patres et scholasticos. — Tandem aliquando habetur variarum theoriarum systematizatio quæ est theologia. Multiplex autem efformata est systematizatio theoriarum circa fidem catholicam. Alia invenitur apud Reformatores; alia fuit proposita in Concilio Vaticano; alia denique apparet apud sic dictos fideistas (3), qui sive ante Concilium Vaticanum, sive post illud usque nunc temporis eamdem theologiam sub varia tamen forma elaboraverunt.

Quævis tamen forma proponatur, non est ut *objective vera* nec *definitiva* tenenda; e contrario est aliquid omnino transitorium. Sic etiam, « La foi chrétienne et catholique apparaît comme l'un des moments les plus intéressants et féconds, mais dépassés, de l'évolution de la conscience humaine, une des nombreuses *espèces*

---

(1) o. c., p. 207 — Illa sententia quâ negatur actum fidei esse formaliter assensum intellectualem, nostris diebus a pluribus proponitur. Dicitur in *Revue des Idées,* Juin, 1906: Les conditions phychologiques de la foi: « La foi peut se définir une *adhésion sentimentale* ». Generalem refutationem ejusmodi sententiæ videsis in tractatu de virtutibus infusis Horatii Mazzella: *Prælectiones Scholastico-Dogmaticæ breviori cursui accommodatæ.* Vol. III. Romæ, 1905, p 487 ss. Cfr. etiam *Revue Augustinienne,* 15 Juillet 1906, p. 72-78. — Idem negant nonnulli qui præ intellectu extollunt voluntatem, illique primatum tribuunt; inde deveniunt ad doctrinam juxta quam dogmata catholica non spectant immediate ipsum intellectum sed primarie sunt præcepta quædam moralia. Cfr. *Collat. Brug.*, X, 603 ss.

(2) o. c , p. 8.

(3) Dicuntur *fideistæ* qui rationi omnem vim probativam negant, fidemque habent ut unicam regulam certitudinis.

de croyances que la conscience a créées à travers les siècles » (1). Non est enim confundendus *sensus religiosus,* « qu'il suffit d'accepter comme un fait, comme un élément constitutif de la nature humaine, analogue au sentiment esthétique » (2), cum *imaginibus* (unde dogmata enata sunt) quibus exprimitur ille sensus religiosus. Nulla datur inter utrumque relatio objectiva, quod nostris diebus invicte demonstratur. Dogmata christiana magnum certe influxum exercuere in homines; sed nihil refert quoad illorum dogmatum valorem objectivum. « C'est parce que l'humanité avait incarné les plus hautes aspirations de sa conscience dans les dogmes chrétiens que ces mythes exerçaient sur elle une suggestion morale profonde, bien plutôt qu'en vertu de leur sens littéral, puisque la critique en démontre l'inanité. Nos pères s'y sont trompés: ils ont pris des procédés pour des vérités objectives » (3).

Unde lenta sed certa quadam evolutione deveniemus ad aliquam religionem naturalem qua homo magis ac magis perfectionis attingendæ fit conscius illique propius accedit. Tunc habebitur « l'adhæsion consciente, joyeuse et courageuse, à cet ordre idéal des choses qui se manifeste par la science, l'art et la moralité » (4).

Nec est cur timeamus ne homines sub ullo respectu ad pejora descendant propter derelictas religiones quæ dicuntur revelatæ. « C'est précisément en tant que nous sentons dans la science, l'art et la morale, la connaissance et la réalisation progressive de cet ordre idéal, que nous y voyons une *religion:* est religieux, est seul religieux, l'acte par lequel nous agissons comme organes de cette merveilleuse création du mieux. Et voilà retrouvée une source inépuisable d'enthousiasme, de

(1) o. c., p. 3.
(2) o. c., p. 209.
(3) o. c., p. 206 s.
(4) o. c., p. 208.

désintéressement, d'énergie inlassable, que l'on prétendait tarie avec la destruction des religions révélées » (1).

II

Ex dato schemate apparet radicalem esse sententiam auctoris et subversivam cujuscumque religionis supernaturalis. Philosophia et critica historica, juxta M. Hébert, quæcumque dogmata catholica plane destruunt: « Chaque jour plus étroitement, le dogme catholique se trouve comme serré entre ces deux branches d'un étau: la pensée philosophique et la critique historique. Qu'il y soit brisé, c'est incontestable » (2). Non deest in opere apparatus scientificus, omnino tamen insufficiens, quia inspicienti bibliographiam auctoris videbitur scientiam criticam, juxta M. Hébert personificari a parte protestantium in Reville et a parte catholicorum in Loisy. Unde merito, qui illarum quæstionum non omnino est alienus, statim mirabitur tonum semper firmum et auctoritativum quo auctor quasi ex cathedra loquens, quæstiones historicas et criticas dirimit; item mirabitur auctorem quascumque sententias proponere ut indubie probatas et universaliter a viris scientificis admissas (3).

---

(1) o. c., p. 208 s.

(2) o. c., p. 164.

(3) Exemplo sint sequentia. Auctor, agendo de obligatione ad actum fidei, qualem definivit Concilium Vaticanum, non diffitetur illam doctrinam recte proponi, suppositis existentia Dei et facto revelationis. « Si la raison », ait p. 164, » démontre que Dieu existe et peut nous parler et si les faits prouvent qu'il nous a réellement parlé, l'obligation de la foi est au-dessus de toute discussion. Mais les démonstrations philosophiques de l'existence d'un Dieu personnel sont-elles si solides, et si authentiques les documents évangéliques où sont consignés les miracles attestant la dite révélation? Nous savons qu'il n'en est rien. Les derniers ouvrages de l'abbé Loisy nous ont livré les conclusions d'une critique consciencieuse et loyale..... Quant à l'idée de Dieu (quem auctor p. 3 vocat « un mythe ») M. Loisy, qui a toujours témoigné une sorte de répulsion pour les idées métaphysiques, ne peut s'empêcher de l'avouer: « Le progrès de la science pose en des termes nouveaux le problème de

Inter asserta auctoris quædam seligamus quæ pertinent ad fundamentalia sententiæ expositæ circa evolutionem fidei christianæ et catholicæ.

1. Quum fides catholica juxta M. Hébert, initio fuerit simpliciter motus animi subjectivus, minime vero actus intellectualis de quo agit Concilium Vaticanum (Constit. *Dei Filius*, C. III) illud erui debet, ex documentis religiosis prioris sæculi, scil. ex epistolis et Evangeliis. « En somme », scribit (1), « l'homme dans l'Evangile, sans raisonner, emploie le divin « sensible à son cœur » un peu comme l'ignorant emploie l'eau, le feu, l'électricité, sans savoir et sans avoir besoin de savoir ou chercher à savoir un mot des théories physiques et chimiques, ou comme l'artiste, qui peut éprouver les plus profondes émotions esthétiques et créer des œuvres merveilleuses et serait très embarassé si l'on venait lui demander ce que c'est au juste le Beau ». « Le Juif » addit (2) « ne faisait pas d'analyse ou si peu ! Il acceptait le fait en bloc, tel que l'avait construit son sentiment subjectif et l'interprétait avec ce même sentiment ou d'autres sentiments qu'il trouvait dans des textes sacrés, prophétiques, etc. ». Ergo fides religiosa apud ipsos erat motus animi mere subjectivus, cui nullum objectivum fundamentum prærequirebatur : « Pas de raisonnement logique, de discussion rationelle » (3).

Jamvero illa thesis quæ est basis totius systematis auctoris, in quantum est primum stadium prætensæ evolutionis, legenti documenta scripturistica manifeste falsa apparet. Quod Judæi non habebant theologiam proprie dictam, in sensu quo nunc usurpatur vox

---

Dieu ». — Utiliter legentur quæ contra sententiam M. Hébert circa Deum personalem, scripsit D. Mercier, Revue Neo-Scolastique, Février, 1903, p. 73-91 ; Mai, p. 201-204. — Cfr. etiam Revue Apologétique, Mars, 1906, p. 835 s.

(1) o. c., p. 19.

(2) o. c., p. 23.

(3) o. c., p. 18.

« theologia », absque ulla difficultate concedimus; sed hoc asserimus, nimirum, fidem Judæorum nedum fuerit motus subjectivus nulli objectivæ rationi innixus, e contrario fuisse actum intellectualem qualem nos catholici hodiedum elicimus.

Uti supra jam diximus, actus fidei catholicæ est actus creditivus omnino ejusdem structuræ quam actus fidei naturalis, cujus proinde structura pro vario tempore et pro variis hominibus nullam variationem essentialem patitur, eo ipso quod in natura hominis fundatur. Inde non sequitur quemvis hominem valere plenam analysim actus fidei instituere, qualem instituit philosophus vel theologus. Sine dubio pueri forent incapaces explicare rationabilitatem cujuscumque actus creditivi, et tamen de facto et centies quidem per diem, alicui veritati propter auctoritatem testantis assentiunt, postquam pro certo habuere veritatem ipsis revera proponi a teste qui scientia et veracitate gaudet. Porro, non desunt argumenta, quibus probatur ipsos Judæos erga veritates religiosas iisdem cautelis usos fuisse, quas ipsa sana ratio homini dictat servandas erga quascumque veritates non evidentes propositas.

Imprimis auctor reformidare debet textus Evangelii, in quibus fides tanquam *cognitio intellectualis* exhibetur, siquidem, juxta ipsum, fides apud Judæos est motus animi: « un sentiment ». Sed pro modo suo ratiocinandi faciliter se ab illa difficultate expedit (1).

---

(1) « On objectera un ou deux textes où la foi est présentée comme une *connaissance:* « Il vous a été donné de *connaître* les mystères du royaume des cieux », Matth. XIII. 11; mais la critique prouve que cette parole n'est pas de Jésus dont l'enseignement moral a toujours été simple et sans mystères pour les hommes de bonne volonté; c'est une interprétation des paroles de Jésus par le rédacteur du premier évangile qui écrivait cinquante ans après la mort du Christ... » p. 19. « La critique attribue également à un pieux inspiré, se servant de textes bien connus de l'Ancien Testament, le passage: « Personne ne *connaît* le Père que le Fils et celui à qui il plaît au Fils de le révéler » Matth. XI, 27. Là encore c'est de l'interprétation, ce n'est plus l'enseignement authentique de Jésus » p. 20.

Cæteroquin illis textibus minime indigemus ad scopum nostrum attingendum. Tam parum proni erant Judæi ad sequendum simpliciter et unice motum animi, quod inter ipsos numero plures, quanquam ad adventum Messiæ toto corde anhelarent, tamen Christo, se ut Messiam proponenti, fidem denegarunt. Quomodo autem illam suam incredulitatem justificare conati sunt? Dicendo *objectivam* deesse probationem sufficientem. Signum quærebant (1) et quidem non signum quodcumque sed signum determinatum (2). Nonne ex hoc apparet Judæos omnino fuisse conscios de necessitate signorum ad fidem rationabilem? Quodsi Christus, et merito quidem, signa patrare noluit, tempore et modo statutis ab adversariis, aliunde non deerant signa sufficientia, quibus Christus suam divinam missionem confirmaret, et ad fidem adduceret homines non stultos nec tardos corde.

Revera illos qui in Christum crediderunt, teste Scriptura, his signis tanquam fundamento objectivo innixos fuisse apertum est. « Multi crediderunt in nomine ejus (Jesu) *videntes signa* ejus quæ faciebat » (3). Idem omnino asseritur de discipulis Christi, qui cum Christus resurrexisset a mortuis, recordati sunt *quia hoc dicebat* et crediderunt scripturæ et sermoni quem dixit Jesus (4). Ex quibus elucet Judæos, sicut et nos, in materia religiosa non spontaneo cuidam motui indulsisse, sed debitum tribuisse momentum prærequisitis ad fidem, scilicet motivis quæ nunc vocamus motivis credibilitatis. Miracula et prophetias habebant ut signa certissima, « ut argumenta divinæ missionis eorum qui nomine Dei loquuntur et veritates tanquam a Deo revelatas promulgant » (5). Postea, quando Petrus Apostolus, die Pen-

---

(1) Matth. XII, 38.
(2) Matth. XXVII, 40 ss.
(3) Ev. Joan. II, 22.
(4) Ev. Joan. II, 21.
(5) Cfr. Boucquillon, *Tractatus de Virtutibus theologicis*, Brugis 1890, p. 46 ss.

tecostes, multitudinem ad fidem in Christum adducere conaretur, non aliam viam sequendam esse opinatus est. Rursus objectivum proposuit fundamentum quo rationabilitas assensus appareret: « Viri Israelitæ, audite verba hæc, Jesum Nazarenum, virum approbatum Deo in vobis, *virtutibus et prodigiis et signis*, quæ fecit Deus per illum, in medio vestri, sicut et vos scitis... Certissime sciat *ergo* omnis domus Israel, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum quem vos crucifixistis » (1). Quæ omnia ratiocinationem debito modo factam clarissime manifestant (2).

Unde absque ullo fundamento objectivo, sed potius judicio quodam præconcepto ductus, asserit auctor: « L'intelligence à la juive, uniquement pratique, fit place à l'intelligence à la grecque, c'est-à-dire à l'intelligence réfléchie qui contrôle rigoureusement les faits, les tex-

---

(1) Act. Apost. II, 22 ss.

(2) Illud assertum infirmare minime valet auctor, innuendo ipsos Judæos mediantibus signis mente non ascendisse ad messianitatem vel saltem ad divinitatem Christi. Sic dicit p. 70: « A la prédication de Jésus se joignirent — la critique historique le prouve — des guérisons, accomplies non pour signifier sa puissance, mais par pitié, bonté de cœur. On trouve encore dans les Actes une trace de cette manière de comprendre ces guérisons: « Vous savez, dit Pierre, comment Dieu a oint du Saint-Esprit et de force Jésus de Nazareth, qui allait de lieu en lieu faisant du bien et guérissant tous ceux qui étaient sous l'empire du démon, car Dieu était avec lui ». (Act. X, 38). Voilà le Jésus pitoyable, fraternel et non plus le Jésus hellénisé, byzantinisé, de la théologie ».

Nescimus quamnam theologiam ipse M. Hébert olim in Seminario didicerit, sed sana theologia eodem modo ac S. Petrus per signa evangelica *immediate probari* contendit Deum esse cum Christo, seu Christum exercere munus divinum, agere legatum Dei. Inde statim et logice *deducitur* ea quæ Christus, utpote legatus Dei, profert, ab omni errore esse immunia, auctoritatem Jesu docentis esse infallibilem. Atqui aliunde patet ex documentis scripturisticis Christum docuisse se esse Filium Dei, se unum esse cum Patre. Ergo vera est divinitas Christi. Hic non pertinet demonstrare quod etiam Apostoli et Judæi crediderunt in divinitatem Christi; sed certe ex verbis citatis *Act. Apost.*, nullo modo erui potest Petrum non admisisse divinitatem Jesu. Fundamentum stabilire conatur S. Petrus, scil. Jesus non fuit deceptor, quoniam Deus erat cum illo, uti patet ex signis.

tes, au point de vue de leur valeur objective » (1).

Nec dicatur eo ipso, quod plurimi inter Judæos non crediderint, significari realem defectum signorum, proindeque fidem aliorum non fuisse assensum fundatum in dictis motivis credibilitatis. Etenim aliud est aliquem errare in agnoscendis signis et in dijudicando de eorum valore, aliud est, signis pro nihilo habitis, sed cæca mente et subjectivo quodam motu impulsum, veritati cuidam religiosæ adhærere. Cæteroquin non necessario in casu recurrendum est ad defectum signorum, quod contradicit universæ Scripturæ (2). Ratio incredulitatis multorum est obvia, scilicet duritia cordis. Manet in potestate hominis assensum fidei præstare vel non, etiamsi omnia ad credendum requisita præsto sint. Quæ consideratio nos ducit ad dijudicanda quædam ab auctore proposita contra naturam actus fidei qualem postea tantummodo, juxta ipsum, elaboraverunt Patres et Scholastici.

2. Sequenti modo auctor crisim instituit doctrinæ traditionalis theologorum circa processum in actu fidei: « Sauf l'intervention de la grâce divine, que nous n'avons pas à étudier ici, tout le reste est de la psychologie et d'un mécanisme psychologique facile à comprendre, sauf la seconde intervention de la volonté.

De deux choses l'une, en effet: ou les motifs de crédibilité suffisent, rendent la crédibilité évidente, et dès lors la volonté n'a pas à intervenir, pas plus que je

---

(1) o. c., p. 25 s. Non negamus græcos tunc temporis magis philosophiæ addictos fuisse quam Judæos, sed negamus Judæos adeo parum philosophatos fuisse ut de ipsis dici possit: « qu'ils ont vécu d'images et de constructions d'images ». p. 26.

(2) Jam supra vidimus auctorem negantem authenticitatem plurium textuum qui ipsius sententiæ obstant. Quoad alios textus, simpliciter affirmat testes hallucinatos fuisse seu vidisse signa quia voluerunt et inde putaverunt se videre. Sic de S. Paulo dicit: « Ignorant ce que nous appelons hallucinations et suggestions, il est persuadé d'avoir vu Jésus » p. 23. Quis non videt auctorem per fas et nefas velle destruere quidquid probat fidem Judæorum fuisse innixam objectivo alicui signo!

n'ai besoin d'elle pour croire que 2 + 2 font 4; ou ces motifs sont insuffisants et dès lors l'intervention de la volonté destinée à transformer la probabilité en certitude est une tricherie malhonnête ou une décevante illusion » (1).

Admittimus primam partem dilemmatis, scil. « les motifs de crédibilité suffisent, rendent la crédibilité évidente ». Sed negamus quod inde concludit auctor: « Dès lors la volonté n'a pas à intervenir »; item negamus probationem ex paritate adductam: « pas plus que je n'ai besoin d'elle pour croire (!) que 2 + 2 font 4 ».

Evidenter confundit M. Hébert inter evidentiam credibilitatis et evidentiam veritatis (2) alicujus propositionis.

Quando adest evidentia credibilitatis, voluntas debet intervenire ad imperandum assensum fidei, eo ipso quod tantummodo adest evidentia credibilitatis, non vero evidentia veritatis. Aliud est judicare: illa propositio evidenter meretur cui propter auctoritatem testantis assentiam; aliud evidenter perspicere, sive post factum ratiocinium sive ante omne ratiocinium, nexum intrinsecum inter subjectum et prædicatum alicujus propositionis, uti v. gr. in « 2 + 2 = 4; Deus est existens » (3). Patet in ultimo judicio nullum interventum voluntatis requiri. Intellectus pro sua natura rapitur ad assensum, quando veritas ab intrinseco sive mediate (ut in propositione: Deus est existens) sive immediate (ut in alia propositione: 2 + 2 = 4) perspicitur. In priori autem judicio quod versatur circa credibilitatem propositionis, intellectus, perspectis motivis credibilitatis, necessario videt *credibilitatem*, inde tamen minime ad *assensum ipsum creditivum* necessitatur, quia ab intrinseco seu ex ipsa propositione veritas non apparet,

---

(1) o. c., p. 103.

(2) *Veritas* sumitur nunc per oppositionem ad *credibilitatem*, scil. sensu restricto pro veritate rei in seipsa.

(3) Cfr. *Coll. Brug.*, T. VI, p. 455 ss.

sed tantum ab extrinseco, nempe per relationem testis scientis et veracis. Ad hoc autem intervenit voluntas, ut, quamvis tantummodo ab extrinseco veritas propositionis eluceat, intellectus tamen affirmet et quidem propter auctoritatem testantis, adesse nexum inter subjectum et prædicatum illius propositionis, seu aliis verbis ut credat veritati.

Hæc quoad necessitatem interventus voluntatis ad ipsum actum fidei (1).

Sed an justificatur ille interventus voluntatis, scil. an datur ratio sufficiens cur rationabiliter interveniat voluntas in actu fidei? Illud etiam negat auctor. « Même en restant sur le terrain psychologique, nous sommes en face d'une intervention de la volonté qui n'a pas sa raison suffisante (2) dans les motifs de crédibilité, mais dans une disposition particulière que, depuis le Concile d'Orange, les théologiens appellent un sentiment pieux, une pieuse inclination : « Pius affectus », « pia affectio », « pius credulitatis affectus », « voluntas pia credendi ». Or, c'est inclinée par cette pieuse affection, que la volonté commande à l'intelligence l'assentiment ferme, la foi ».

Hic sedulo est distinguendum inter fidem naturalem et supernaturalem. Quando Concilium Arausicanum (3) agit de necessitate pii affectus etc. ad credendum « in eum qui justificat impium », absque dubio intendit loqui de fide supernaturali. Sed minime Concilium affirmat nos unice moveri ad credendum per illum pium affectum credendi, quasi « illud gratiæ donum id est inspiratio

---

(1) Integrum processum psychologicum actus fidei perspicue exponit S. Thomas, *De Veritate*, q. XIV, 1.

(2) o. c., p. 107. Putamus auctorem loqui de ratione sufficienti ut voluntatis interventus sit possibilis et *rationabilis*, non vero ut *necessario*, necessitate physica, fiat ; quia necessitas physica in eliciendo actu fidei, etiam quando adest pia voluntas credendi, evidenter est excludenda.

(3) Cfr. DENZINGER, *Enchiridion*, ed. IX, 1900, p. 41.

Spiritus Sancti » esset causa *adæquata* cur ad *supernaturaliter* credendum moveamur. Etiam fides supernaturalis est fides rationabilis, nec gratia, utut necessaria, locum tenere potest motivorum credibilitatis.

Revera, etiam absque gratia, fides, utique *naturalis*, saltem physice et frequenter etiam moraliter possibilis est (1). Voluntas *sufficienter* movetur ad assensum imperandum, non directe quidem et immediate propter motiva credibilitatis, sed propter illud quod ex perspectis motivis credibilitatis sequitur : nempe propositionem esse evidenter credibilem seu nullum jam adesse dubium rationabile et prudens propter quod ipsi propositioni assensus denegetur. Inde intellectus videt assensum esse rationabilem, imo obligatorium et aliunde utilem. Voluntas propter bonum quod in assensu præstito habetur jam intellectui libere imperat ut propter auctoritatem testantis propositioni firmiter adhæreat.

Ut rursus dicamus, omnia prædicta locum habent etiam in actu fidei *supernaturalis*. Virtus supernaturalis vel saltem gratia, absolute requiritur ut actus fiat salutaris et meritorius valeatque ad vitam æternam, non vero absolute ut actus fieri possit. Interventus voluntatis, de quo agimus, per adjutorium supernaturale facilior quoque et promptior redditur non vero rationabilior.

Nihil habetur in toto illo negotio quod sanæ rationi repugnat vel quo actus fidei catholicæ ut actus omnino singularis et prorsus inintelligibilis proponatur.

Auctor in fine operis circa evolutionem fidei catholicæ, indicat ad quid sese accingere debeant moderni scientifici, posthabita religione revelata, et quænam fides, catholicæ fidei sit substituenda. « Il s'agit d'extraire de l'antique image d'un Dieu personnel ce qu'elle renfermait de vrai, à savoir la foi au Bien, à l'Idéal, et de sauvegarder vivante, joyeuse et efficace cette foi,

(1) Cfr. Billot, *De Virtutibus Infusis*, Romæ, 1901, p. 75 s.

tout en renonçant à l'image elle-même, survivance de la vieille idolâtrie, superstition introduite avec bien d'autres par l'esprit oriental dans le christianisme. Il s'agit de les remplacer par la mise en pratique enfin loyale et rigoureuse de cette justice, de cette solidarité, qu'avait entrevues le paganisme, et que la religion chrétienne a nettement affirmées, tout en les déguisant et étouffant sous trop de symboles » (1).

Ex prædictis jam sufficienter apparet quam fragilia et inania sint motiva illius actus incredulitatis.

A. Soetaert.

JAM ABROGATA CENTUM ANNORUM TOTIDEMQUE QUADRAGENARUM INDULGENTIA FRATRIBUS ET SORORIBUS SOCIETATIS A SS. ROSARIO, IPSIUS ROSARII SIGNA DEVOTE DEFERENTIBUS, SEMEL IN DIE LUCRANDA, RURSUS CONCEDITUR. (2)

Beatissime Pater,

Fr. Hyacinthus Mar. Cormiet, Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, ad pedes S. V. provolutus exponit quod Innocentius VIII, in Bulla « splendor paternæ gloriæ » diei 26 Februarii 1491, ita edixerat:

« Nos cupientes ut ipsi Confratres et Consorores sedulius
» Rosarium prædictum ob Virginis Mariæ reverentiam de-
» ferant... quo uberius ex hoc dono cœlestis gratiæ conspe-
» xerint se fore refectos, de Omnipotentis Dei misericordia
» ac Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate
» confisi, volumus et Auctoritate Apostolica ordinamus et
» concedimus, ac omnibus et singulis confratribus et con-
» sororibus conscriptis, vere pœnitentibus nunc et pro tem-
» pore existentibus, Rosarium deferentibus (3) centum annos

---

(1) o. c., p. 210.

(2) *Analecta Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum,* series II, tom. VII, Romæ 1906, p. 592.

(3) Ipsa benedictionis formula videtur innuere aliquam spiritualem peculiarem gratiam consequi eos, qui devote apud se Rosarium gestant. In ea enim habetur: ut quicumque horum (signorum Rosarii) quodlibet secum portaverit sit consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et Indulgentiarum.

» et totidem quadragenas Indulgentiarum de injunctis sibi » pœnitentiis misericorditer in Domino, indulgemus ».

« Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis ».

Cum autem hujus Indulgentiæ mentio non reperiatur in Catalogo Indulgentiarum die 29 Augusti 1899 a fel. rec. Leone XIII approbato quo edicitur « quascumque alias Indulgentias confraternitatibus Sanctissimi Rosarii tributas, abrogatas seu revocatas esse censendas » prædictus Magister Generalis, suo et omnium SS. Rosarii Confratrum et Consororum nomine, humiliter et enixe Sanctitatem Vestram rogat ut prædictam centum annorum et totidem quadragenarum Indulgentiam, semel in die lucrandam ab iis qui Rosarium apud se, ob Beatæ Virginis reverentiam, devote gestaverint, renovare, renovatamque declarare dignetur.

Et Deus.

Juxta preces in Domino.
Die 31 Julii an. 1906.

(Sign.) PIUS PP. X.

Fabriques d'église

Séance légale du mois d'Octobre.

Les conseillers de fabrique se réuniront en séance ordinaire et obligatoire le premier dimanche de ce mois.

Ils veilleront surtout à ce que, vers cette époque, la visite des bâtiments affectés au service du culte soit dûment faite par des gens de l'art, à la diligence du trésorier. Voir les *Collationes Brugenses,* t. X, p. 503.

Notæ Bibliographicæ

Abbé J. Paisse. *Cours de religion. Manuel à l'usage de l'enseignement moyen.* Huy, Charpentier & Foncoux, s. d. (1906), in-8, 573 p. Fr. 2.

Cet excellent manuel mérite pleinement les éloges qui lui ont été décernés par Monseigneur l'Evêque de Liége et, quoique il soit l'explication approfondie du catéchisme en usage dans ce diocèse, il rendra de sérieux services à l'enseignement religieux dans les écoles moyennes, les athénées et les collèges.

L'ouvrage divisé en trois parties — dogmatique, morale et culte — comprend: 1° un exposé clair, méthodique et solide de la science de la religion; 2° la démonstration de ces vérités par l'Ecriture sainte et la raison; 3° la solution des objections les plus répandues. Un chapitre préliminaire, des paragraphes d'introduction aux différentes parties et leçons indiquent la connexion des matières; des tableaux synoptiques — peut-être un peu trop détaillés — seront pour le professeur et les élèves l'occasion d'utiles répétitions.

Quelques modifications augmenteraient encore la valeur de ce travail. Tout d'abord nous conseillerions à Monsieur Paisse d'y ajouter une table de matières d'après l'ordre suivi dans le manuel; ensuite il serait d'une incontestable utilité de donner aux élèves le moyen de poursuivre plus tard l'étude de la religion, en mettant en notes quelques références bibliographiques, où serait renseigné pour les diverses questions un choix d'ouvrages sérieux et à la portée des laïques. Nous croyons que dans une prochaine édition l'auteur simplifiera son manuel, ou du moins que par l'emploi d'un petit texte il mettra au second plan des explications de moindre importance. Si l'exposé pêche quelque peu par excès, il pêche aussi parfois par défaut; certaines données de droit public et privé ecclésiastique seraient à leur place dans un cours approfondi de religion et pour n'en donner qu'un exemple, l'auteur aurait du se prononcer sur la prétendue hostilité de l'Eglise aux sociétés modernes.

Au point de vue de la correction de la doctrine, nous nous bornons à relever une condamnation par trop radicale du probabilisme (p. 198).

*
* *

F. Card. Cavagnis. *De Concordato Napoleonico pro Gallia. De articulis organicis. De lege 9 Dec. 1905 separationis Reipublicæ gallicæ ab Ecclesiis.* Roma, Desclée-Lefebvre & Soc., 1906, in-8°, 106 p. Fr. 1,25.

Illud opusculum extractum est ex quarta editione præclari operis *Institutiones juris publici ecclesiastici,* quam Emmus Auctor, variationes, additionesque complures in eam inducendo, hocce anno publici juris fecit.

Quanti momenti, quantæque utilitatis sit quæstio hac in dissertatione clare, erudite et solide agitata nemo jam dubitabit, præsertim quod ad publicas res nostras belgicas peculiari titulo pertineat. Quod cæteroquin abunde ostendet series materiarum compendiose relata.

Præmissa brevi introductione historica, traditur initiò textus Concordati cum interpretatione singulorum articulorum. Notatione præprimis digna sunt quæ ad art. IV affert Em^mus^ Auctor de nominatione, institutione, depositione episcoporum. Postea, transcriptos articulos organicos severe carpit, utpote qui ab Ecclesia reprobati contradicebant disciplinæ et doctrinæ ecclesiasticæ, necnon solemni conventioni cum S. A. initæ. In sequentibus referuntur; allocutio SS^mi^ D. N. Pii X die 14 Novembris 1905 habita; lex gallica separationis Ecclesiarum et Status diei 9 Decembris ejusdem anni; Encyclica *Vehementer* 9 Februarii 1906, præmisso singulis actis summario. Demum, enumerantur decreta pro executione legis separationis Ecclesiarum a Statu in Gallia.

Præclarum opus complet index analyticus.

A. De Meester.

*
* *

Hymnes du Bréviaire romain traduites en vers français par un serviteur de Marie. Paris, Lille, Desclée, De Brouwer et Cie (1905). Petit in-8°, 426 p. Prix: 3 fr.

Heureux ceux qui savent comprendre et goûter tout ce qu'il y a de poétique beauté et de piété suave dans les admirables hymnes qui émaillent l'office divin. Un curé-poète « serviteur de Marie » a essayé de rendre ces trésors accessibles à ceux qui sont étrangers à la langue latine. L'entreprise ne manque pas de hardiesse. Mais en sacrifiant parfois la richesse de la rime à la fidélité de la traduction, l'auteur est parvenu en général à faire passer dans une traduction élégante la douce et majestueuse simplicité de l'original. On peut d'ailleurs à diverses reprises comparer la traduction de l'auteur avec les versions plus brillantes mais moins fidèles de Racine ou de Corneille.

En note, quelques explications — que nous eussions voulu plus nombreuses — sur le sens de certaines expressions ou l'idée générale de la pièce.

C. Callewaert.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Decembris

—

I

Præ oculis habito textu ep. II S. Petri III, 14-16, ostende 1/ quid et in qua epistola « Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit » ;

2/ Auctorem II Petri epistolas S. Pauli habuisse ut divinitus inspiratas ;

3/ factum quod auctor II Petri plures epistolas S. Pauli cognoverit non necessario obstare quominus II Petri a Petro apostolo scripta fuerit.

II

Expone conditiones requisitas ad meritum de condigno *ex parte ipsius operis.*

III

Ostende ipsos contrahentes matrimonium esse sacramenti ministros.

IV

Bertha nupturiens a medico monita de gravissimo mortis periculo ipsi ex imprægnatione impendente, matrimonium init sub conditione non utendi matrimonio. An et quare valide contrahit ?

V

An et qua ratione indissolubilitas matrimonii est de jure naturæ ?

VI

Describe ordinem et rationem cæremoniarum quæ in S. Communione extra Missam ministranda servandæ sunt inde ab accessu sacerdotis ad altare usque ad distributionem, indicando præcipuas regulas generales quæ applicandæ veniunt.

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. Ad quosnam, ubi et quando conscripta est I ep. S. Petri? Proba responsum.

Respondetur. I Lectores. *a/* Scripta est ad *christianos commorantes in variis provinciis Asiæ Minoris* (1), sc. ad electos advenas dispersionis *Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ et Bithyniæ* (2). Epistola nostra destinata est (3) ecclesiis universæ Asiæ Minoris, exceptis paucis partibus (v. g. Cilicia, ubi tamen jam erant christiani, (4) *Act.* XV, 23, 41; *Gal.* I, 21; *Act.* IX, 30; XI, 25). Silvanus omnes ecclesias per Asiam Minorem dispersas per se vel per deputatos visitare atque ad ipsas epistolæ exemplaria mittere jussus fuerit.

b/ Ad istos autem christianos quod refert, alii (5),

---

(1) *I Pet.* I, 1.

(2) Sive hæc nomina geographica sensu Romano de provinciis Romanis (Itâ Hort, Ramsay), sive sensu vulgari de antiquis regnis intelligenda sint (in utraque sententia difficultas reperitur), certum est integram ferme Asiam minorem designari. Ch. Bigg, *A critical and exegetical commentary on the Epistles of St. Peter and St. Jude,* Edinburgh, 1902. p. 68.

(3) Zahn, *Einl. in das Neue Testament,* Leipzig, 1900, t. II, p. 1, 11; Bigg., *o. c.*, p. 68.

(4) Hæ tamen communitates ecclesiis Syriacis potius annexæ videbantur.

(5) *Inter veteres:* Origenes apud Eus., *H. E*, III, 1; Didymus Alex., apud Eus., *H. E.*, III, IV, 2; Ps. Athanasius, *Synops. S. S.*, LIII (Migne, *P. G.* XXXVIII, p. 407), aliique interpretes græci. — s. Hieronymus, *De vir. ill.*, I (Migne, *P. L.*, XXIII, p. 638); Ven. Beda, *In I Pet.* I, 1 (Migne, *P. L.*, XCIII, p. 41. *Inter recentiores*: Kuehl, *Die Briefe Petri und Judæ,* Göttingen, 1897, p. 21 aliique quos ibidem citat sc.: Erasmus, Calvinus, Grotius, Bengel, Weiss, 1855, p. 99 ff., Schenkel, Fronmueller, etc.

I Pet. I, 1 nixi, intelligunt *Judæo-christianos,* extra Palæstinam inter gentiles dispersos. Alii vero (1), ad *I Pet.* I, 14; II, 9, 10; III, 6; IV, 3 provocantes, *Ethnico-christianos* audiunt. Alii (2) tandem quibuscum facimus mediam ineunt viam, *christianos partim ex Judæis, partim ex Gentilibus conversos* cogitantes. Profecto Ethnico-christiani in variis communitatibus partem efformabant haud spernendam et hos certe præ oculis habuisse videtur Petrus. Etenim multa scribit quæ nonnisi Ethnico-christianis conveniunt, ut ex gr. « de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus etc. » aliaque similia (3). — Cæteroquin variæ hujusmodi Ecclesiæ omnes vel fere omnes non a s. Petro (V, 12-14) sed a s. Paulo ejusque comitibus (Barnaba, Silvano etc.) ac discipulis fuerant fundatæ, ut ex Act. Ap. et Epp. Pauli, saltem quoad Asiam et Galatiam, liquet, atque dictos cœtus ex Ethnicis ac Judæis coaluisse ita ut prævalerent Ethnico-christiani, satis notum est. Neque in tota ep. textus reperiuntur qui huic sententiæ haud congruant (4).

Cui sententiæ non obstant verba « *electis advenis dispersionis* ». Omnes enim christiani, qui his in terris degunt, respectu cœli merito vocantur *advenæ* seu peregrini; nam ibi est vera eorum patria (5). Dicuntur autem advenæ *dispersionis;* hæc appellatio prius de Judæis inter Ethnicos exulibus vel etiam libere com-

---

(1) Cassiodorus, *Instit. div.*, 14 (Migne, *P. L.* LXX, 1125); Junilius Afric., *De part. leg.* I, 6 (Migne, *P. L.* LXVIII 16) aliique latini Antiqui; dein s. Augustinus, *c. Faust.*, XXII, 89; *Enarr. in Ps.* CXLVI (CXLVII), 9; s. Hieronymus, *Adv. Jovinian.*, I, 39 etc. Demum hodie omnes fere authentiæ adversarii.

(2) Belser, *Einl. in das Neue Testament*, Tübingen, 1905, p. 686; Ceulemans, *Comment. in epp. cathol. et Apocalypsim,* Mechliniæ, 1904, p. 54; Zahn, *l. c.*, etc.

(3) *I Pet.* I, 10, 15, 18; II, 9-10; IV, 2-4; I, 4; II, 18; III, 15.

(4) Zahn, *l. c.*

(5) *I Pet.* I, 17; II, 11.

morantibus (1) abhibita, postea christianis inter Ethnicos degentibus applicari potuit. Omnes enim tituli et prærogativæ Ecclesiæ judaicæ pedetentim in christianam Ecclesiam, cujus Synagoga erat umbra et figura, translata fuerunt.

II **Locus.** I Pet. certo Romæ (2) scriptam esse tenemus: *sub metaphora enim Babylonis* (3), *Romam intelligimus* (4).

Et primo quidem, Roma symbolice Babylon vocari optime potuit, ob suam sc. similitudinem cum antiqua Babylone: nam sicut hæc erat civitas opulentissima simul et idolorum cultui maxime dedita et populum Dei lacessans,ità et illa erat divitiis affluens et adhuc idolis inserviens et Judæos Christianosque opprimebat. Appellatio Babylonis pro Roma, apud primos christianos notissima erat ut vel ex Apocalypsi liquet (5); præterea, ab antiquissimis jam temporibus, nomine Babylonis semper hîc Roma intellecta fuit. Citasse sufficiat Papiam et Clementem Alex. (6), s. Hieronymum (7), Hilarium Arel. (8), Ven. Bedam (9), Theophylactum (10), Œcumenium (11), Catenas græcas (12), etc. Dein, nullibi

---

(1) *Jo.* VII, 35; *Jac.* I, 1 et *Collat. Brug.*, XI, p. 490 ss.

(2) *Jerosolyma* et *Joppe* a quibusdam indicatæ fuerunt, sed absque ullo fundamento; alli de *Babylone Mesopotamiæ*, alii de *Babylone Ægypti* (Kairo) cogitarunt. Cf. Bigg, *o. c.*, p. 75 ss.; Zahn, *Einl.*, II, p. 17 ss.

(3) *I Pet.* V, 13.

(4) Ita etiam Cornely, *Introd. spec.*, t. III, p. 620; Duchesne, *Histoire ancienne de l'Eglise*, t. I (Paris, 1906), p. 63; Belser, *Einl.*, p. 687; Zahn, *Einl.*, t. II, p. 17, 20; Chase apud Hastings, *Dictionary of the Bible*, Edinburgh, t. III (1900), p. 787, 791; Bigg, *o. c.*, p. 76; Ceulemans, *o. c.*, Mechliniæ, 1904, p. 54, etc.

(5) *Apoc.* XIV, 8; XVI, 19; XVII, 5; XVIII, 2, 10, 21 coll. XVII, 9, 18; In oraculis Sibyllinis legitur, V, 158: « Βαβυλῶνα Ἰταλίας. » Cf. etiam *Apocalypsim Baruch* XI, 1, ed. R. H. Charles, 1896.

(6) Eus., *H. E.*, II, 14, 15; Zahn, *Einl.*, II, p. 20.

(7) *De Vir. Ill.*, VIII.

(8) *I Pet.* V, 13 (*Spicil. Casin.*, III, I, 241).

(9) *In I Pet.* V, 13 (Migne, *P. L.*, XCIII, 67).

(10) *In I Pet.* V, 13.

(11) *In I Pet.* V, 13 (Migne, *P. G.*, CXIX, 576)

(12) *Cat. gr.* ed. Cramer, VIII, p. 82, 86.

legimus s. Petrum unquam in Babylone Assyriaca vel Ægyptica commorasse, aut tanquam suum apostolum ab Ecclesiis Mesopotamiæ vel Ægypti vindicatum fuisse. Insuper, testantibus Strabone (1), Plinio (2), Pausania (3), tempore quo s. Petrus scribebat, antiqua Babylon Mesopotamiæ erat deserta. Babylon in Ægypto sæc. 1° nihil aliud erat quam statio militaris in qua certò certius s. Petrus non est quærendus. Denique, inter salutationes quas transmisit Apostolus, etiam eas Marci invenimus (4): Jamvero s. Petrum cum Marco Romæ versatum fuisse ss. Patres nobis frequenter asserunt; imo, tempore quo epistola nostra conscripta fuit, Marcum Romæ adfuisse ex epistolis Paulinis novimus (5). Ergo jure merito nomine Babylonis Romam intelligimus, eo vel magis quod inania omnino videntur argumenta quibus adversarii thesim suam stabilire conantur (6). Præjudicio enim dogmatico plures Protestantes (post Erasmum et Calvimum) ab unanimi antiquitatis consensu recesserunt: ut sc. Romanum Petri episcopatum facilius impugnarent.

III **Tempus Scriptionis.** A. *Epistola I Petri inter a. 63 — a. 64 (vel initio 65) conscripta fuit* (7).

---

(1) Strab., XVI, p. 738.
(2) Plin. *H. N.* VI, 26.
(3) Pausan. *Arcad.* 33.
(4) *I Pet.* V, 14.
(5) *Col.* IV, 10; *Phil.* 24.
(6) Cornely, *Introd. spec.*, t. III, p. 621; Bigg, *o. c.*, p. 75.
(7) a/ *Inter eos qui authentiam admittunt,* B. Weiss, Kuehl dicunt c. a. 54. — B. Bruekner, ante Pauli captivitatem. — Gloag, c. 59 vel 60. — Bigg inter 58-64. — Chase, paulo ante persecutionem. — J. Monnier, 64, ante persecutionem. — Steiger, Geuricke, Bleek, Wieseler, c. 62. — Hofmann, Renan, F. C. Cook, brevi post persecutionem Neronianam. — Zahn, a. 64, ante persecutionem Neronianam. — Eichhorn, de Wette, Neander, Grimm, Huther, Sieffert, Ewald, Wiesinger, Usteri, Plumptre, Salmon, Farrar, Sanday, Hort, Lightfoot, Schott, Bovon, Hatch, Allard, Guérin, Hug, Glaire, Drach, Batiffol etc. eam paulo post incendium Romæ ponunt. — b/ *Inter eos vero, qui eam rejiciunt:* Scholten, von Soden (92-96), Harnack (83-93, forte 1 vel 2 decades ante 83) Mc Giffert (c. 90) tenent omnes *sub*

a/ *Non tardius quam 64 (65) concinnata fuerit:* etenim, quum sit authentica et opus s. Petri, non postea scripta fuerit, quum princeps Apostolorum a. 64 (65) mortuus esse videatur (1).

b/ *Nec citius quam 63 redacta fuerit.* Nam s. Petrus frequenter ad Ep. ad Ephesios alludit, imo sæpe iisdem verbis et locutionibus utitur, quibus Paulus usus erat (2). Jamvero Ep. ad Eph. in fine primæ captivitatis Apostoli Romæ (61-63) scripta esse videtur sc. a. 63 (3). Ergo.

B. *Scripta fuit post decretum generale persecutionis, a Nerone latum post incendium Urbis sc. in fine a. 64* (4) *(vel initio 65).*

Nam a/ auctor continuo præ oculis habere videtur persecutionem gravem et universalem, christianis imminentem et decretam (5).

b/ Imo c. IV, 12 « Ἀγαπητοί, μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν γινομένῃ, ὡς ξένου ὑμῖν συμβαίνοντος, » haud obscure ad incendium Romæ alludere apparet, ob quod Nero a. 64, ut « jussi incendii » Urbis rumorem aboleret omnemque suspicionem a sese averteret, « quæsitissimis pœnis affecit eos, quos per flagitia invisos vulgus *Christianos* appellabat », et « afflicti suppliciis sunt christiani, genus hominum superstitionis

---

regno Domitiani (81-96). — Sed SCHWEGLER, BAUR, KEIM, LIPSIUS, PFLEIDERER, MANGOLD, WEIZSAECKER, SCHMIEDEL, HAUSRATH, W. BRUECKNER, HILGENFELD, S. DAVIDSON, JUELICHER (c. 100) sub Trajano dicunt, ZELLER autem eam sub Hadriano (117-138) scriptam conjicit. — VOLKMAR denique inter 140-147 !!

(1) Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Epistolæ catholicæ,* Brugis, 1906, p. 68 s.

(2) *Eph.* I, 1-3 = *I Pet.* I, 1-3; *Eph.* I, 4 = *I Pet.* I, 20; *Eph.* I, 14 = *I Pet.* II, 9; *Eph.*, I, 14 = *I Pet.* I. 7; *Eph.* I, 21 = *I Pet.* III, 22; *Eph.* II, 21-22 = *I Pet.* II, 5; *Eph.* V, 22-24 = *I Pet.* III, 1-6; *Eph.* V, 25-33 = *I Pet.* III, 7; *Eph.* VI, 5-9 = *I Pet.* II, 18-25, etc.

(3) CORNELY, *o. c.*, p. 499.

(4) CORNELY, *o. c*, p. 625; ZAHN, *Einl.*, t. II, p. 19; BELSER, *o. c.*, p. 687; CALLEWAERT, *Revue d'hist. ecclés.*, 1902, p. 606; J. MONNIER, *La première épitre de l'apotre Pierre*, Macon, 1900, p. 326 proponit initium a. 64.

(5) *I Pet.* I, 5-7; II, 12, 23; III, 14, 17, 18; IV, 12, 13-16; V, 10, etc.

novæ et maleficæ » (1). Quare Apostolus non potest quin moneat christianos ut bonam conversationem habeant, ut persecutorum detractiones et calumnias bonis suis operibus vincant, utque tanquam boni christiani glorificent Deum in nomine Christi (2).

c/ Sic optime explicatur cur Petrus potius quam Paulus ad illos christianos scripserit: Silvanus nempe, discipulus Pauli, instante persecutione Romam venit, ut magistri sui commendationes acciperet; sed Paulus jam anno 63 (vel initio 64) ex prima sua captivitate Romana liberatus probabiliter in Hispaniam profectus erat » (3). Quibus addere possumus: quod, decreto Imperatoris lato, etiam sui æstimaverit officii princeps apostolorum monendi christianos ad gnaviter tolerandas persecutiones. *Petrus ergo epistolam scripserit a. 64 (65)* (4).

A. Camerlynck.

II

Q. *Solvatur sequens difficultas:* Si in Christo, a primo suæ Incarnationis instanti, adfuisset visio beatifica et scientia per se infusa, non admitti posset realitas seu serietas operationum Christi quatenus illæ in Evangelio describuntur. Christus enim interrogat et res de novo addiscit, miratur, quod est de re antea ignota, etc. (5).

---

(1) Tac., *Ann.*, XV, 44; Sueton., *Nero*, 16.

(2) *I Pet* II, 12; III, 15; IV, 14, 16.

(3) Ceulemans, *o. c.*, p. 55; Zahn, *Einl.*, t. II, 19 Sic etiam explicatur cur Petrus ad Ecclesias scribens fundatas a Paulo, hujus salutationem non mittat

(4) Callewaert, *Rev. d'hist. ecclés* , 1902, p. 613.

(5) Hac ratione utebatur Schell (*Katholische Dogmatik*, T. III, *Die Weisheit Jesu*) ad impugnandam in Christo scientiam infusam; illudque argumentum exponebat « en laissant à l'auteur la responsabilité de son opinion », Loisy (*Revue biblique*, 1896, p. 342) his verbis: « Supposer dans l'âme humaine de Jésus, au cours de sa vie mortelle, la connaissance complète et la vue en Dieu de tout le réel, c'est supprimer la réalité de sa science acquise, de l'épanouissement de ses facultés et même de leur

Atqui tenenda est omnino realitas et serietas operationum Christi quæ nobis in Evangelio narrantur. Ergo non admittenda est in Christo in hac terra degente, visio beatifica et scientia per se infusa.

R. Negatur antecedens. Omnes Christi operationes vel passiones, quæ in Evangelio narrantur, optime intelliguntur, admissa visione beatifica et etiam scientia per se infusa, dummodo recte perspiciatur essentialis diversitas scientiarum quas in humana Christi natura simul adesse fatemur.

Imprimis *visio Dei intuitiva* in eodem intellectu subsistere potest cum scientia acquisita et cum hujus actuali exercitio. Nam visionis Dei intuitivæ objectum est ipsa Dei essentia, quæ immediate, sine ulla specie intelligibili, obversatur intellectui: hæc cognitio quæ, uti patet, necessario est semper in actu, non impedit quominus idem intellectus, aliqua specie intelligibili informatus seu actuatus, actu intelligat secundum illam objectum ab illa repræsentatum : ideo visio Dei intuitiva consistere potest in intellectu cum actu scientiæ acquisitæ, et etiam, sine ullo dubio, cum habitu ejusdem. — Propter similem rationem haberi potest in eodem intellectu visio Dei intuitiva et actus scientiæ per se infusæ, necnon et habitus ejusdem.

---

exercice; c'est changer les traits les plus expressifs de son histoire en une succession d'apparences, puisque le Sauveur aura continuellement semblé apprendre des choses qu'il n'ignorait pas, ressentir des impressions nouvelles qui pourtant n'étaient jamais imprévues; c'est rendre inintelligibiles des scènes comme celle de Gethsémani, ou bien se condamner à admettre on ne sait quel mécanisme par lequel Jésus aurait oublié toute sa science de l'avenir éloigné pour ne considérer que le présent et l'avenir immédiat; c'est enfin diminuer singulièrement la valeur morale de tous les actes exercés par le divin Rédempteur, en atténuant, si tant est qu'on la puisse concevoir encore, la réalité de ses angoisses et de ses douleurs, en plaçant au fond de tous ses discours comme une arrière pensée qui se cache et parfois se trouverait en contradiction avec les paroles qui sont dites, en dédoublant sa vie de telle sorte que sa façon d'être, de parler et d'agir ne puisse être considérée comme l'expression spontanée, naturelle, sincère de sa pensée et de ses sentiments les plus intimes ».

Sed major est difficultas in solvenda quæstione utrum in eodem intellectu possit esse simul actus scientiæ acquisitæ et actus scientiæ per se infusæ: illæ enim duæ scientiæ habentur per *species* informantes intellectum ad actum cognoscendi. Sed quidquid sit de hujus quæstionis solutione (1), nulla est ratio dicendi in Christo scientiam per se infusam fuisse semper in actu: e contrario, scientia per se infusa et scientia acquisita erant *habitus*, quibus uti poterat Christus secundum quod volebat. Poterat igitur, non actu utendo scientia per se infusa, exercere sensus externos vel internos, nominatim phantasiam, deinde per intellectum agentem et possibilem, sicut homines naturaliter agunt, acquirere sibi novas cognitiones, pertinentes ad genus cognitionis quam homo naturaliter potest in se efficere.

His positis speciatim agemus de *admiratione,* de *interrogatione,* de *dolore* ac *tristitia* in Christo.

a/ Quum Christus potuerit novas sibi acquirere cognitiones secundum unam cognitionis speciem (2), quæ vocatur scientia acquisita, inde etiam potuit connaturaliter *mirari*. Ita v. gr. Christus audiens verba centurionis, exinde internos hujus hominis sensus intellectu naturaliter apprehendens, miratus est illamque expressit admirationem. « Audiens autem Jesus miratus est et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël » (3).

Illa nova cognitio, illa admiratio bene intelliguntur adfuisse realiter in Christo dummodo perspiciatur illud principium, fundamentale in recta Incarnationis scien-

---

(1) Cf. S. Thomas, I, Q. LVIII. a. 4, Q. LXXXV, a. 2; Cajetanus, Comment. in hh. ll.; Sylvius, Comment. in I, Q. LVIII, a. 4; Billot, *De Verbo Incarnato*, 3ª Ed. Romæ 1900, p. 223.

(2) Secundum visionem Dei intuitivam et secundum scientiam per se infusam nihil novi poterat Christus cognoscere: nam illæ scientiæ, a Deo supernaturaliter inditæ, fuerunt ab initio perfectæ: consequenter non potuit esse in Christo admiratio secundum illas scientias. quum admiratio supponat aliquid de novo hic et nunc cognitum.

(3) *Matth.* VIII, 10; cf. S. Thomas, III, Q. XV, a. 8.

tia, quod in Verbo Incarnato duæ erant naturæ, *inconfusæ,* ita ut unaquæque agere posset quod sibi proprium erat, et, consequenter, ita etiam ut humana natura id pati posset quod ipsi proprium erat (1).

b/ *Interrogatio*, ratione finis ad quem ordinatur, duplex est distinguenda : una enim fit ab interrogante ut *doceat* alios, excitando in illis cogitationes ac dubia quibus et traditur explicatio ac solutio ; altera, ut *discat* ipse aliquid quod nescit (2).

Facile admittitur fuisse in Christo primum interrogationis genus et de hoc sermo esse videtur quando describitur Christus sedens in medio doctorum, audiens illos et interrogans eos. Luc. II, 46.

Alterum interrogationis genus nequit esse in Christo nisi secundum cognitionem naturaliter acquirendam : quum autem hæc cognitio vel scientia augeri potuerit, nihil *physice* impedit quominus Christus et interrogationes adhibuerit ad novas sibi comparandas cognitiones.

Sed animadversio est hîc facienda. *S. Thomas* docet (3) quod, cum Christus a Deo constitutus fuerit caput Ecclesiæ, imo omnium hominum, ut non solum omnes per ipsum gratiam acciperent, sed etiam ab eo omnes *doctrinam veritatis* acciperent, ideo non fuit conveniens ejus dignitati ut a quocumque homine doceretur. Hæc ratio convenientiæ valere videtur quando agitur de *doctrina* proprie dicta vel de *scientia* acquirenda. Sed non valet, ut videtur, quando agitur de cognoscendis factis, mere contingentibus, quæ naturaliter ab homine non alio possunt cognosci modo quam *testimonio humano*. Si enim admittitur in Christo cogni-

---

(1) Operationes omnes quæ ab humanæ naturæ variis facultatibus eliciebantur in Christo non erant minus reales quia quædam operationes supernaturaliter ponebantur a Christo.

(2) Hoc quod inquirit potest esse vel res aut veritas, vel id quod alii cognoscunt de aliqua re aut veritate. Ita magister interrogare potest alumnos ut sciat quid ipsi cognoscant

(3) III, Q. XII, a. 3.

tio naturaliter acquisita, nulla in hoc videtur inconvenientia quod Christus testimonio humano quædam discat quæ alio modo non possunt apprehendi naturali rationis lumine — supposito semper quod Christus illa jam cognoscebat scientia supernaturali. Inde v. gr. quando Christus interrogat: « Quot habetis panes? » (1), non videtur inconveniens Christum tunc revera didicisse, secundum naturalem cognitionem, fuisse septem panes apud discipulos. Pariter dicendum de interrogatione quam fecit Jesus ante resurrectionem Lazari: « Ubi posuistis eum? » (2).

Sed hic occurrit aliqua difficultas: si admittis Christum interrogatione cognovisse quædam facta, admittenda est etiam *fides* in Christo: quod videtur inconveniens.

Ad illam solvendam objectionem varia sunt bene notanda. Imprimis negatur fuisse in Christo *fidem theologicam,* nempe virtutem infusam fidei; ratio est quia « objectum fidei est res divina non visa. Habitus autem virtutis, sicut et quilibet alius, recipit speciem ab objecto. Et ideo excluso quod res divina sit non visa, excluditur ratio fidei. Christus autem a primo instanti suæ conceptionis plene vidit Deum per essentiam (visione nempe intuitiva). Unde in eo fides esse non potuit » (3).

Ex hoc non sequitur non dari posse in Christo *fidem mere humanam* et *naturalem*. Sed hîc occurrit alia difficultas: non pauci theologi docent non posse in eodem intellectu dari scientiam et fidem de eodem objecto, h. e. de eodem objecto cognitionem per evidentiam intrinsecam et cognitionem per evidentiam mere extrinsecam: inde videtur dicendum non posse esse in Christo fidem, licet humanam, de aliquo facto quod cognoscit in ipsa Dei essentia.

---

(1) *Matth.* XV, 34.
(2) Jo. XI, 34.
(3) S. Thomas, III, Q. VII. a. 3.

Præobservemus oportet illam sententiam etiam a multis theologis negari; præterea qui censent non dari posse in eodem intellectu fidem et scientiam de eodem objecto, agunt de objecto cognoscibili, objective loquendo, per scientiam humanam sed duplici actu, scientiæ nempe et fidei: v. gr. supponunt demonstrari posse a posteriori *Deum existere* et dicunt: si quis plenam et perfectam evidentiam intrinsecam habeat de veritate illius propositionis ita ut intellectus sponte sua in assensum rapiatur, tunc jam ille intellectus non poterit (alio actu) admittere hanc veritatem propter auctoritatem alicujus testimonii (1): sed in casu nostro, non est sermo de aliquo objecto cognoscibili naturaliter *et* per evidentiam intrinsecam veritatis *et* per evidentiam extrinsecam, sed agitur de illis factis quæ naturaliter hîc et nunc non possunt cognosci nisi testimonio humano: ideo licet Christus visione beatifica cognoverit locum, ubi posuerant Lazarum mortuum, tamen potuit naturaliter hujus facti cognitionem acquirere ex testimonio illorum quos de hac re interrogavit.

Si quis tandem diceret: non convenit ut Christus *credat homini*, nempe ut admittat aliquid propter auctoritatem hominis dicentis, sic suum intellectum subjiciendo homini, responderem non constare de hac inconvenientia quum Christus libere sese subjecerit hominibus, obediendo parentibus.

Sed si quis non concederet fuisse in Christo fidem illam qua aliquis adhæret propositioni formaliter propter *auctoritatem* dicentis, admittere saltem deberet in Christo illam fidem qua aliquis adhæret propositioni formaliter propter *evidentiam in attestante:* hac enim fide non subjicitur intellectus auctoritati testantis, sed adhæret veritati, unice propter evidentiam, utique rei extrinsecam, quæ menti affulget (2).

---

(1) Cf. Billot, *De Virtutibus infusis*, Romæ, 1901, p. 236 s.

(2) « Potest esse assensus *propter evidentiam in attestante*, seu pure et

Et nisi saltem hoc admittatur in Christo, jam nequit in ipso poni vera *admiratio* de fide centurionis. Etenim hæc admiratio, uti suprà diximus, est de aliqua re noviter cognita secundum naturalem cognitionem : jamvero quomodo potuerit Christus naturaliter cognoscere illam fidem centurionis ? Quatenus, ex variis adjunctis *judicando illum hominem esse veracem*, concluserit Christus ipsius fidem revera tantam fuisse quantam nunquam invenerit aliam in Israël: quod importat in Christo saltem hanc fidem quæ est propter evidentiam in attestante.

c/ De *dolore* et *tristitia* tandem est agendum.

Visio beatifica, quum sit omnino supernaturalis, minime afficit animam in quantum hæc est corporis forma, ideoque in corpus non habet ullum *physicum influxum:* relinquit ergo corpus mutabile et passibile a corporibus extraneis, subjectum morbo et morti, relinquit etiam omnes facultates sensibiles. Jamvero ut sit verus et realis dolor sensibilis in homine requiritur et sufficit *læsio corporis* et *sensus læsionis*. Corpus autem Christi lædi poterat ; nec deerat in ipso sensus læsionis, quum anima Christi perfecte haberet omnes potentias natura-

---

simpliciter quia evidens intellectui est quod in testificando testificans nec falli potuit nec fallere: puta quia evidens mihi est.... post consideratione omnium circumstantiarum alicujus testimonii humani, quod in eo nec error obrepsit, nec fallacia. Tunc evidentia illa non est tantum de prærequisitis ad assensum, sed est ipsum motivum super quo fundatur assensus, propriaque ratio mensurans ejus firmitatem ac certitudinem. Tunc ille qui credit non fidit testificanti sed solum evidentiæ quam habet de testimonii veritate, et sic credendo non honorificat testificantem, quasi in actu exercito signans quia verax est. Etenim, quantum est ex modo talis adhæsionis, eadem indifferenter ratione crederet ex testimonio cujuscumque, etiam illius quem vilissimum et mendacissimum hominum reputaret, sicut patet exemplo judicis firmiter credentis ea quæ reus in judicium adductus contra se confitetur, ex hoc scilicet quod perspicuum ipsi sit, attestantem nec falli nunc posse, nec fallere. Ideo hæc evidentia est quæ judicis fundat fidem, minime vero confitentis dignitas sive auctoritas quæ in ejus æstimatione nulla omnino est. Vere igitur dicendum quod assensus tunc fundatur super affulgentem menti evidentiam. » BILLOT, *o. c.*, p. 203 s.

les. Unde nulli dubium esse potest quin in Christo fuerit verus *dolor sensibilis* (1).

Etiam *tristitia sensibilis* admittenda est in Christo: habuit enim phantasiam qua naturaliter repræsentabantur mala ut præsentia: ex hoc consequitur, in appetitu sensibili, tristitia.

Tandem potuit esse *tristitia in voluntate:* nam cognitione naturali in intellectu potuit apprehendere Christus multa ut nociva sibi, et quidem ut præsentia; quum homo naturaliter velit bonum suum, nempe omne quod ut sibi bonum apprehenditur, quando cognoscit se hîc et nunc privatum aliquo bono, connaturaliter de hac privatione tristatur in voluntate; idem dicendum quando homo intellectu cognoscit privatos bono illos quos amat amore benevolentiæ et quibus vult omne quod ipsis bonum est. Ergo potuit Christus in voluntate tristitiam habere de multis malis vel sibi, vel aliis hominibus. Nec hæc tristitia impeditur gaudio visionis beatificæ: illa enim tristitia et hoc gaudium non sunt contraria, quia non sunt de eodem objecto secundum idem considerato. Et sane, in visione beatifica intellectus humanus cognoscit res *in essentia divina*, consequenter cognoscit existentia prouti subsunt ipsi divinæ cognitioni et voluntati: jamvero mala Deus *cognoscit* in quantum sunt in aliquo ente privatio ulterioris boni (2); *vult* autem Deus mala physica *per accidens* tantum, in quantum vult aliquod bonum, quocum necessario connectitur aliquod malum; malum vero morale, Deus tantum *permittit* (3): ideo in Deo non datur gaudium de malo ullo; inde etiam in illo qui fruitur visione beatifica nullum datur gaudium de aliquo malo, sed sicut objectum illius visionis est Dei essentia, ita objectum gaudii est ipsa Dei bonitas prout in se est et deinde

---

(1) Cf. S. Thomas, III, Q. XV, a. 5; *Collat. Brug.*, t. V, p. 158 s.

(2) Cf. S. Thomas, *De Veritate*, Q. II, a. 15; Billot, *De Deo Uno et Trino*, Prati, 1895, T. I, Thes. XXI, coroll.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 464.

prouti participatur a creaturis: illud autem gaudium *physice* non impedit quominus aliquis homo, cognitione *alterius ordinis,* qua aliquid apprehendit *absolute ut* hîc et nunc *nocivum* sibi vel aliis, afficiatur tristitia de illo malo (1).

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Da notionem sponsalium de futuro, eorumque distinctionem indica inter sponsalia clandestina et solemnia.*

Respondetur.

I. Notio.

Sponsalia (2) de futuro (3) apte definiuntur: *promissio mutua futuri matrimonii:*

Dicitur 1° **promissio**, i. e. deliberata ac libera fidei obligatio alteri facta et acceptata. Est nempe

---

(1) Cf. S. THOMAS, III, Q. XV, a. 6.

(2) Sponsalia dicta sunt a *spondendo.* « Qui modus loquendi juris Romani fundabatur in praxi apud Romanos recepta. Etenim qui puellam quamdam ducere volebat in uxorem, is patrem puellæ vel eum, in cujus potestate constituta fuerat, interpellavit solemni formula: spondesne? cum ille respondit: spondeo. Hinc quæ spondebatur, *sponsa;* cui spondebatur, *sponsus;* qui spondebat, *sponsor;* dies quo spondebatur, *sponsalis;* totus vero actus sive contractus promissorius *sponsalia* appellabantur ». WERNZ, *Jus Decretalium,* t. IV, n. 86. Cf. etiam SEHLING, *Die unterscheidung der verlôbnisse im kanonischen recht,* Leipzig, 1887, p. 20-21, qui notat: « Später blieben die Ausdrücke: sponsa, sponsalia, bestehen, trotzdem an Stelle der sponsio die freie Consenserklärung trat ».

Nomen *sponsalia* sensu minus proprio adhibetur etiam pro muneribus a sponsis mutuò oblatis.

(3) Determinatio « *de futuro* » primùm apparet apud Guilielmum de Campellis, et brevi est usu consecrata, inde a Petro Lombardo. Est autem inducta ad distinguendum contractum sponsalitium ab ipso contractu matrimoniali; in terminologia namque tunc vigenti mulier matrimonio juncta sed nondum cognita passim vocabatur sponsa, in oppositione ad uxorem carnaliter cognitam quæ dicebatur nupta, et sic matrimonium non consummatum veniebat etiam nomine sponsalium; quod natum erat confusionem ingerere: ad quam vitandam Auctores prælaudati contractum matrimonialem appellarunt sponsalia de præsenti, contractum vero sponsalitium, matrimonio prævium, sponsalia de futuro.

a/ *fidei obligatio* facta, seu actus quo aliquis fidem præstat et obligationem contrahit respectu alterius personæ, præstitam fidem acceptantis, de matrimonio cum ipsa contrahendo. Et ita jam distinguitur promissio a mero proposito: « proponens nempe non intendit eo ipso se obligare, ne ex constantia quidem, ut aliqui volunt, nisi hoc speciale motivum constantiæ ante oculos habeat proponens aut aliunde ad constantiam obligetur » (1). Est autem obligationis susceptio

b/ *deliberata*, i. e., ex parte intellectus, ex maturo judicio procedens, secluso errore substantiali, et ex parte voluntatis, serio facta. Quo pacto « juvenes, qui in amoris et libidinis æstu, inter amplexus et oscula, sibi invicem nuptias promittunt, sponsalia valida non ineunt, quia non advertunt ad id quod dicunt » (2). Pariter invalida sunt sponsalia si quis, interne dissentiens, externè seriò promittit matrimonium : obligationem tamen inducunt resarciendi damna forte illata ; in foro autem externo præsumitur consensus internè seriò præstitus, adeoque valor præsumitur contractus sponsalitii donec constet de simulatione.

c/ *libera*, personalis scilicet et independens : quibus excluditur consensus datus a tertia persona, puta a patre, nisi huic consensui præcesserit mandatum speciale, aut ratihabitio successerit.

d/ *acceptata :* ante acceptationem non esset nisi mera pollicitatio, quæ « propositio est sine acceptatione, seu nondum acceptata » (3).

Dicitur 2°/ **mutua**, altera scilicet parte repromittente, ita ut utraque pars obligationem contrahat ad invicem, et obligationem mutuò factam utrimque acceptet.

Est eo ipso contractus stricte bilateralis, seu perfectè

---

(1) Ill. ac Revmus Waffelaert, *De Justitia*, t. I, n. 531.

(2) Gasparri, *Tractatus canonicus de matrimonio*, t. I, n. 18.

(3) Ill. ac Revmus Waffelaert, l. c.

synallagmaticus (1), utramque partem ex justitia obligans ad futurum matrimonium.

Si una tantum pars promittat, altera parte acceptante quidem sed non repromittente (2), est contractus promissionis unilateralis dumtaxat, ac nullo titulo vocari potest contractus sponsalitius, et, si ex illo exsurgat obligatio (3), nullatenus datur obligatio sponsalitia, eique denegandi sunt effectus proprii sponsalium.

3°/ **futuri matrimonii**, opportuno scil. tempore ineundi, tempore nempe expressè determinato ex voluntate partium, vel tempore computando juxta adjuncta et consuetudines locales (4).

II. **Divisio** in sponsalia *solemnia* et *clandestina* attenditur prouti celebrantur necne coram persona vel in forma ab auctoritate publica ad hoc constitutis: quo pacto clandestina sunt sponsalia, non modò privatim et secretò inter sponsos inita, sed etiam publice contracta, absque formalitatibus auctoritative statutis.

Nota. 1°/ Definitioni sub I datæ non videtur adden-

---

(1) Contractus est perfecte synallagmaticus « quand les parties se soumettent, par le fait même de la convention, à des engagements réciproques, qui forment ou qui sont censés former, pour chacune d'elle, l'équivalent de la prestation à laquelle elle a droit ». Ill. ac Rev^mus WAFFELAERT, o. c., t. I, n. 340.

(2) Per se acceptatio promissionis matrimonii ab altero factæ non importat repromissionem; a. v. optime fieri potest ut aliquis acceptet promissionem sibi factam matrimonii ineundi, quin ipse sese obliget erga alteram parten; non rarò tamen acceptatio, attentis circumstantiis in quibus fit, vim habebit repromissionis. Cf. SCHMALZGRÜBER, *In l. IV Decret.*, tit. I, n, 44-46.

(3) Nimirum, *abstractè loquendo*, ex hujusmodi promissione, quam non sequitur repromissio, stricta exurgeret obligatio, eaque justitiæ, matrimonium ineundi, si id exigat persona cui promissio est facta; atvero, re *in concreto* inspecta, plerumque non erit attendenda dicta obligatio: ordinarie nuptias spondens non intendit obligationem contrahere ad matrimonium contrahendum, nisi in quantum altera pars in eamdem obligationem consentiat repromittendo. « In foro externo, notat Gasparri, o. c., n. 6, præsumitur promittentem intendisse sponsalia ideoque non datur actio sponsalium, nec per se *ulla actio* ».

(4) Circa spatium temporis inter sponsalia et matrimonium interponendum, in jure Romano, cf. SEHLING, o. c , p. 21-22.

dum, uti a nonnullis fit: « inter personas determinatas et habiles ». Habilitas namque contrahentium subintelligitur in omni contractu, determinatio autem personarum requiritur ex subjecta materia: et sane non initur matrimonium nisi inter determinatum virum et determinatam mulierem, ac proinde non potest valere mutua promissio matrimonii nisi inter determinatum juvenem et determinatam puellam (1).

2°/ Nulla solemnitatis forma specialis, pro valore vel liceitate sponsalium, præscribitur a jure communi ecclesiastico, adeo ut valida censeantur ac licita sponsalia, quantumvis clandestinè contracta (2).

Quinimo, usque ad recentiora tempora, S. Sedes semper rejecit preces repetitis vicibus oblatas a variis Episcopis, quos movebant incommoda haud levia ex clandestinis sponsalibus orientia, ac severe reprobavit statuta diœcesana, solemnitatis formam pro sponsalium valore præscribentia (3).

Recentius tamen huic constanti disciplinæ derogavit

---

(1) Hinc, uti appositè notat WERNZ, o. c., n. 98 « promissio etiam cum repromissione accepta ducendi unam ex tribus sororibus, quam ipse vir sibi elegerit, obligationem sponsalitiam non inducit, quamvis alius quidem contractus promissorius oriatur... similiter sponsalia inita non dicuntur, si quis promittit *aliam* se non ducturum in uxorem *præter* talem puellam, nisi ex circumstantiis appareat, quod pars promittens, non obstante illo modo negativo et conditionato loquendi, habuerit *positivam et absolutam* intentionem non ducendi aliam, sed *hanc puellam* ».

(2) Sedulò tamen servetur consuetudo, sicubi existit, celebrandi sponsalia ritu aliquo publico, ut de ipsis constare posset in foro externo; ritui autem ejusmodi deneganda est vis irritativa ac etiam stricte obligatoria.

(3) FEYE, *De Impedimentis matrimonii,* ed. 1893, n. 558, WERNZ, o. c., n. 89 et 99; DE BECKER, *De Sponsalibus et Matrimonio,* ed. 1903, p. 2-3; GASPARRI, o. c., t. I, n. 24-et 25; *N. R. th.,* t. XXV, p. 92 et ss. et signanter *Canon. Contemp.*, 1898, p. 489 ss. et 1905, p. 579, ubi refertur causa 17 Junii 1905, in qua S. C. C. respondet: *Dilata*: Rejecta etiam fuit in Concilio Tridentino propositio decernens « eos omnes qui in posterum sine testium saltem trium præsentia matrimonium vel *sponsalia* contrahere attentaverint ad sic contrahendum inhabiles fore, et contractus hujusmodi ab eis fieri attentatos irritos esse et nullos ». THEINER, *Acta Concilii Tridentini,* II, p. 339.

S. Sedes, declarando, die 31 Januarii 1880, sponsalia *in Hispania* non esse valida si *absque publica scriptura* (coram notario) celebrantur, quin publicæ scripturæ defectui suppleri queat per « instrumentum in curia (episcopali) conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento »: quæ moderatio est inducta attenta consuetudine, in Hispania vigente, et dictam formalitatem exigente, inde a Pragmatica Sanctione a Carolo III, anno 1803 promulgata (1).

Tandem nuperrime, die nempe 1ª Januarii 1900, Leo XIII precibus annuens Patrum Concilii Americæ Latinæ anni 1899 (2), disciplinam, pro Hispania valentem, extendit ad Americam Latinam.

IV

Q. *An et quandonam copula, inter nubiles admissa, sponsalia inducit; an et quandonam, sponsalibus superveniens, inducit matrimonium?*

Respondetur.

Ad I/.

1°/ *Nudum factum copulæ* inter nubiles admissæ non inducit sponsalia: non enim per se et seorsim spectatum constituit signum mutuæ promissionis, neque ex natura

---

(1) Cf. Gasparri, o. c., n. 26, et *N. R. th.*, t. XXIV, p. 134 ss, quo altero loco refertur decretum S. C C., diei 11 Aprilis 1891, quatenus declaratio anni 1800, hodie, non obstante codicis civilis Hispani mutatione, adhuc vigeat.

(2) Cf. *Postulata Patrum Concilii plenarii Americæ Latinæ*, ad V: « Ut Sanctitas Vestra ad omnes regiones Americæ Latinæ extendere dignetur declarationem S. C. Concilii pro Hispania editam die 31 Januarii 1880... id est: *sponsalia quæ contrahuntur in regionibus nostris absque publica scriptura invalida esse, et publicam scripturam supplere non posse informationem matrimonialem, neque instrumentum in curia diœcesana vel alibi conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio seriò facta contrahendi matrimonium* ». Ad hoc respondit S. C. negotiis eccles. extraord. præposita: « ad V, pro gratia in perpetuum ». Cf. *Acta S. Sedis*, XXVII, p. 553 ss.; *Acta et Decreta Concilii Americæ Latinæ*, n. 592, cum nota.

rei, neque ex ordinatione Ecclesiæ, quatenus ex copula habita præsumat contractum sponsalitium.

2°/ Copula peracta *in quibusdam peculiaribus circumstantiis,* potest haberi *in foro externo* tanquam inducens sponsalia: nimirum quando copula succedit futuri matrimonii propositioni aut promissioni a viro factæ mulieri honestæ ac virgini; consensus enim hujusmodi mulieris in copulam accipitur, in foro externo, uti signum acceptationis et repromissionis, quibus sponsalitia pacta perficiuntur: præsumitur namque, uti ratiocinatur SANTI (1), corporis sui copiam non fecisse, nisi « animo matrimonii ineundi, per quod honori suo consultum fore confidit ».

Circa quæ attende a/ dici: « *in foro externo* », quippe in quo solo hæc præsumptio valet: in foro nempe interno sponsalium valor pendet ab intentione mulieris copulam admittentis, utrum necne intenderit per hoc nuptias futuras repromittere; imo, in ipso foro externo, præfata præsumptio cedit veritati, quotiescumque de contraria intentione constare potest.

b/ ad dictam fori externi præsumptionem, utrumque elementum de quo suprà stricte exigi, honestatem scilicet mulieris ac præviam matrimonii promissionem, claram et certam, a parte viri: ad quam promissionem probandam non sufficiunt signa amatoria a viro præstita. Inde est, uti advertit SANTI, l. c., quod « in omnibus ferme controversiis in S. Congregatione Concilii nostra ætate propositis, causæ de valore sponsalium naufragium fecerint, licet copula carnalis interfuerit, et eam præcesserint amatoria verba et familiaris frequens conversatio ».

Ad II/.

1°/ **Disciplina hodierna**: Copula sponsalibus superveniens, matrimonium nunquam inducit *in locis subjectis legi Tridentinæ* de clandestinis nuptiis, etiamsi animo

(1) *Prælectiones juris Canonici,* In l. IV Decret., Tit. I, n. 21.

conjugali sit peracta; irrita enim sunt quæcumque conjugia nisi ineantur per consensum præstitum coram parocho et duobus testibus.

In locis vero *in quibus decretum Tametsi non viget,* copula carnalis, inter sponsos habita, matrimonium constituit vel non, prouti animo conjugali fuerit admissa necne: sufficit nempe et requiritur consensus maritalis, qualicumque signo, in illis locis, manifestetur; idque valet non tantùm in foro interno, sed etiam in foro externo, adeo ut, coram foro Ecclesiæ, sponsi carnaliter commixti non habeantur ceu conjuges, nisi in quantum de eorum affectu maritali legitima probatione constiterit.

2°/ **Disciplina antiqua:**

Ante Concilium Tridentinum, copula, sponsalibus rite contractis succedens, matrimonium inducebat *coram foro externo,* præsumptione *juris et de jure,* præsumptione nempe quæ non admitteret probationem in contrarium (1). Aliis verbis, copula inter sponsos admissa censebatur, *in foro externo* (2), peracta animo conjugali, adeoque involvebat, coram Ecclesia, consensum matrimonialem, ac contractum constituebat, idque ita ut huic

---

(1) Cf. decretum Alexandri III, l. IV Decr., tit. I, c. 13, *Veniens,* et signanter decretum Gregorii IX, eodem titulo, c. 30, *Is qui:* « Is qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo carnali copula subsecuta, si in facie Ecclesiæ ducat aliam et cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet præsumptum primum matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi *non est probatio admittenda.* Ex quo sequitur quod nec verum nec aliquod censetur matrimonium quod de facto est postmodum subsecutum ». Quod testatur Leo XIII, in Constitutione, de qua infrà, docens quod laudati SS. Pontifices « in hac juris præsumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque jus nec probationem contrariam ullam admitteret ».

(2) In foro *interno* hæc præsumptio cedebat veritati, et in conscientia validum erat habendum aut invalidum matrimonium illud præsumptum, non secus ac nunc, prout necne sponsi maritali cum affectu carnaliter fuerint permixti. Quæ sanè oppositio inter utrumque forum nata erat conflictum parere, ac talem inducere conditionem in qua vir esset, sub pœna excommunicationis, cogendus assumere uti uxorem mulierem non suam, relicta altera quam vinculo in conscientia valido sibi copulaverit.

præsumptioni frustrà opponeretur affectum maritalem prorsus defuisse, ac copulam intercessisse fornicariam, vel et violenter coactam (1).

Inde a Concilio Tridentino, invalidante matrimonia clandestina et ad valorem exigente consensus præstationem coram parocho et duobus testibus, matrimonia præsumpta (2) eo ipso sunt abrogata (3) pro omnibus

---

(1) Censet Esmein, o. c., t. I, p. 142 ss., illam disciplinam, vi cujus sponsalia, subsecutâ copulâ, ipso jure transibant in matrimonium, fuisse introductam sub influxu *Copulatheoriæ,* quæ olim non paucis Doctoribus placuit, quatenus, juxta tritam formulam, *conjugium desponsatione initiatur et commixtione perficitur:* per copulam nempe qua talem et seorsim spectatam, abstractione facta ab animo quo fuit peracta, accedebat desponsationi (matrimonio initiato) elementum matrimonium perficiens, utpote constitutum desponsatione et copula; et ita intelligeretur matrimonii valori non obfuisse animi conjugalis defectum.

Atvero, seposita quæstione intricata, postea latius agitanda, de copulatheoria, quousque in jure fuerit recepta, aptior et obvior videtur oriuntis disciplinæ interpretatio in textu proposita: matrimonium scilicet in casu censebatur constitui non copula qua tali (desponsationem sequenti) sed copula, in quantum præsumebatur exhibere affectum et consensum conjugalem.

Cæterùm hujusmodi præsumptiones non erant inauditæ vel in ipso Jure Romano, cujus dispositiones non paucas suas fecit Ecclesia. Ita Sehling, o. c., p. 14-16, ostendit quomodo, in Jure Romano, ex deductione mulieris in domum mariti consensus matrimonialis et ipsum matrimonium præsumebatur; imo, apud Esmein, o. c., t. I, p. 103 citatur Novella 74, juxta quam sponsalia per copulam transibant in matrimonium.

(2) Circa notionem matrimonii *præsumpti,* cf. Gasparri, o. c., t. I, n. 232 et seq.; Santi, o. c., in l. IV, n. 74 ss.; Leitner, *Lehrbuch des katholischen Eherechts,* 1902, p. 296-297; Wernz, o. c., t. IV, n. 29, cum nota (12), ubi enumerantur *tres species* matrimonii præsumpti.

(3) Quod Conc. Trident. matrimonia præsumpta, et signanter in casu nostro, abrogaverit pro locis in quibus viget decretum Tametsi, id aperte docet Leo XIII, in inferius referenda Constitutione: « Deinde vero matrimonia clandestina... quum Concilium Tridentium irrita infectaque esse jussisset, jus illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata vel moribus usuque recepta Tridentina lex ».

Et sane copula per se sumpta, quantumvis sponsalibus succedens, non exhibet nec manifestat affectum ac consensum matrimonialem, cum alio plane animo peragi possit, sed meram ejus præsumptionem inducit, ac proinde, etiam si illi præsentes fuerint parochus et duo testes, non importat consensum in forma Tridentino præstitum.

Quare respuenda est fantastica hypothesis Sanchezii, quasi copula

locis in quibus caput Tametsi viget, servato antiquo jure Decretalium in locis dicto decreto non subjectis.

Mansit igitur, usque ad hæc ultima tempora, in toto suo vigore, præsumptio juris et de jure, inducens matrimonium præsumptum ex copula sponsorum, pro *omnibus et solis* regionibus in quibus nuptiæ clandestinæ valide ineuntur (1). Nuper autem, *die 15 Februarii 1892,* Leo XIII, Constitutione *Consensus mutuus* (2) priscum illud jus abolevit et pro abolito ac abrogato, ac si nunquam prodiisset, haberi voluit, mandans ut « deinceps illis in locis, in quibus conjugia clandestina pro validis habentur, a quibusvis judicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas ejusmodi matrimoniales agitari et judicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris præsumptione (juris et de jure) conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur » (3).

---

sponsalibus in facie Ecclesiæ celebratis succedens, et coram parocho et testibus peracta, etiam sub disciplina Tridentina, validum constituerit matrimonium præsumptum: « Quando, tam sponsalia de futuro quam copula, sunt coram eodem parocho et testibus, dicendum est jus antiquum manere illæsum, atque ita transire in matrimonium verum quidem, si animo conjugali, præsumptum vero, quando fornicario haberetur copula, adeo ut probata copula et sponsalibus præsumeret Ecclesia matrimonium cogeretque ad illud, sicut ante Tridentinum cogebat ». *De S° matrimonii sacramento*, l. III, Disp. 40ª, n. 7. Cf. etiam Ermein, o. c., t. II, p. 210 s.

(1) Hoc etiam confirmat Leo XIII, in memorata Constitutione, inquiens: « quibus autem illa (lex Tridentina) locis non viget, in iis semper Apostolicæ Sedis judicium fuit, canones (Decretalium)... ratos atque firmos permansisse ».

(2) *Collectanea S. C. de P. F.*, n. 2179.

(3) Circa hujus constitutionis interpretationem, hæc ulterius attendenda monet Wernz, o c., n. 104, nota (114), collato n. 29, nota (12); 1/ « cavendum est ne novum jus a Leone XIII constitutum etiam extendatur ad *alias* præsumptiones juris, sive simplices sive juris et de jure, in causis matrimonialibus »; 2/ « Quamvis Constit. *Consensus mutuus* expressam formalemque clausulam de vi retroactiva non habeat, tamen omnibus causis *post* 15 Febr. 1892 in foro ecclesiastico *introductis*... videtur applicanda, etiamsi sponsalia cum subsequenti copula locum habuerint

Ad hoc motus fuit S. Pontifex, tum variis incommodis oriri natis ex conflictu inter utrumque forum, tum ex eo quod, uti refertur in ipsa Constitutione, « plures Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida judicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt canonicam de conjugiis præsumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam, propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali et non fornicario habeatur : eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari : imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per conjunctionem carnalem in matrimonium transire ».

Nota. Ubi, ad normam dictorum sub I, ex copula inter nubiles non inducuntur sponsalia, ideo non sequitur nullam ex hujusmodi copula exurgere obligationem contrahendi matrimonium. Nimirum potest talis obligatio aliunde oriri quam ex capite sponsalium : vel ex pietate, erga prolem natam, vel nascendam, legitimandam, vel ex justitia, signanter si vir ad copulam induxerit mulierem sub ficta vel seria promissione matrimonii, de quibus ex professo agitur in Tractatu de Justitia. Pariter copula, ubi, sub II, sponsalibus succedens, non inducit matrimonium, hujus obligationem confirmat ac strictiorem reddit.

---

ante 15 Febr. 1892. Nam R. Pontifex quascumque juris sanctiones contrarias adeo funditus pro abrogatis et obsoletis vult habere, *ac si nunquam prodiissent* ».

V

Q. Titius sponsus Berthæ copulam habet cum Paula sorore Berthæ, eamque imprægnat. Quid sentiendum de sponsalibus inter Titium et Bertham?

Respondetur.

Copulam habendo cum sorore Berthæ sponsæ, contraxit Titius impedimentum affinitatis illicitæ in 1° gradu lineæ collateralis, obstans matrimonio cum Bertha ineundo. Per hoc autem contractum impedimentum

1°/ Sponsalia inter Titium et Bertham *non sunt eo ipso soluta:* obligationi nempe ex sponsalibus susceptæ manet obnoxius Titius, ac stricto jure tenetur, *si sponsa jus suum urgere velit,* dispensationem procurare, in quantum absque graviori incommodo id impetrare valeat, necnon, obtenta dispensatione, promissis suis stare ac nuptias inire.

Aliud foret si impedimentum esset indispensabile, uti impedimentum impotentiæ, vel tale in quo dispensare non solet Ecclesia: tunc nempe, ipso facto contracti impedimenti hujusmodi, dissolverentur sponsalia, ac sola subsisteret obligatio reparandi damna alteri parti injuste illata. Hic autem, in casu, agitur de impedimento super quo passim dispensat Ecclesia.

Quod a/ debeat Titius sponsus pro viribus dispensationem procurare, vix negari posse videtur: vi namque sponsalium obligationem sibi assumpsit matrimonium ineundi, adeoque obstaculum removendi quæ *propria culpa* matrimonio celebrando opposuerit; a. v. vi sponsalium jus acquisivit sponsa exigendi a sponso nuptias: qui autem « injuste obicem posuit ne alter jure suo fruatur, tenetur media adhibere ad illud offendiculum tollendum » (1).

Quod b/ restringatur sponsi obligatio ad casum quo, absque graviori incommodo, dispensatio obtineri queat,

---

(1) Rosset, *De Sacramento matrimonii*, 1895, t. II, n. 982.

ex eo est quod nemo tenetur damnum alteri illatum reparare cum suo multò majori. Ideo excusaretur Titius ob graves expensas faciendas, quibus a suo statu decideret, vel gravissimum damnum in fortuna pateretur.

Attamen, uti appositè notat ROSSET, l. c., « limitatio Doctorum apparet introducta pene frustrà, præsertim hodie; nam dispensatio in casibus infaustis, de quibus agitur, perfacilè obtinetur, et expensæ adeo sunt modicæ ut ne leviusculè oratorem a conditione sua dejiciant; imo plerumque sunt fere nullæ, quia obtinentur dispensationes per confessarium a S. Pœnitentiaria, quæ eas absque obolo concedit ».

2°/ Si sponsalia non dissolvuntur eo ipso,

a/ *suspenduntur,* uti jam innuimus, quoad obligationem sponso incumbentem matrimonii ineundi, usque dum impedimentum fuerit dispensatione sublatum;

b/ redduntur *solubilia* ad nutum Berthæ sponsæ, adeo ut ipsi integrum sit resilire contractum. Sponsus namque Titius, culpa sua impedimentum contrahendo respectu matrimonii quod inire promisit, sponsalitiam suam fidem censetur fregisse, cui frangenti fidem fides ab altera parte non est tenenda.

Resiliet autem contractum sponsa renuntiando juri quod conservat in sponsum ut dispensationem petat et matrimonium contrahat: eo ipso sponsalia sponte sua dissolvuntur per utriusquè renuntiationem (1).

Nota. Non rarò suadendum erit hujusmodi sponsæ ut juri suo cedat, non tantùm intuitu propriæ felicitatis, cum meritò timeatur infaustus exitus ex unione contrahenda cum viro jam ante nuptias infideli, sed etiam in gratiam sororis defloratæ, et, juxta tenorem casus propositi, ex delicto gravidæ: ut nempe ipsa cum complice jungatur matrimonio, quo honori suo provideat ac prolis conceptæ legitimitati.

A. DE SMET.

---

(1) Ideo, sub 1°/, ubi de obligatione sponsi, addita est conditio: « si sponsa jus suum urgere velit ».

VI

Q. *An prohibito opere per legem Indicis, prohibentur quoque singulæ operis partes?*

R. Principium est ab omnibus admissum quod prohibito opere, prohibeatur totum et proscriptionem participent singulæ operis partes etiam innocuæ (1). Ita omnes interpretes Bullæ *Cœnæ,* Constitutionum *Apostolicæ Sedis* et *Officiorum ac munerum.* Sed non ita concordes sunt auctores in explicando et applicando hoc principio, quod alii strictius, alii latius interpretantur. Attentis sententiis vere probabilibus, attentaque praxi vigenti, ita intelligendum videtur præfatum axioma.

I. Libro quavis ratione prohibito, prohibetur totus, cum omnibus partibus sub hoc toto contentis, ita quidem ut in eo libro non tantum illæ partes quæ ansam proscriptioni dederunt legi nequeant, sed nec aliæ quævis partes licet innocuæ, uti prologus, indices etc.

II. Si jam opus unum integrumque non sit, sed vel pluribus tomis compleatur, vel ab eo avellantur partes aut exscribantur pericopæ, tunc distinctione opus est.

1° Quando scriptum absolute prohibetur propter defectum aliquem *exstrinsecum,* putà ex neglecta approbatione debita (art. 7, 13, 20 C. *Officiorum ac munerum*), huic prohibitioni etiam demptis erroribus remanet obnoxium, simulque singulæ partes utcumque separatæ ut proscriptæ habentur, eo quod eodem vitio extrinseco laborent. Illa sententia confirmatur ex responsione S. Officii 26 Julii 1848 (2).

---

(1) Hic loquimur tantum de prohibitione positiva, non de gravitate morali actionis prohibitæ; quoad hanc quæstionem conferas: De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 7, t. II, n° 1360, p. 711; Vermeersch, *De prohibitione et censura librorum,* ed. 3, p. 107. Romæ-Tornaci, 1899.

(2) *Collectanea S. C. de Prop. F.*, p. 769, n° 1883; cf. Piat, ap. *Nouvelle revue théologique*, 1898, t. XXX, p. 58.

2° Quando autem scripti alicujus proscriptio *intrinseca* nititur ratione, quia, verbi gratia, liber propugnat hæresim vel Deo aut Beatæ Virgini Mariæ detrahit, tunc iterum variæ attendendæ sunt hypotheses :

a/ Folia ex libro damnato separata, quibus loca referuntur quæ causam prohibitioni præbuerunt, totius libri participabunt proscriptionem ; secus si innocua sunt (1).

b/ Si partem quæ prohibitioni ansam dedit (si de hac certo constet) deleveris, vel occluderis vel detraxeris, juxta opinionem hodie inter commentatores C. *Officiorum ac munerum* communiorem, illa expunctio tollit generalem operis prohibitionem. Ergo practice licebit quæ reliqua sunt libri legere et retinere (2). Etenim in hoc scripto, error non amplius habetur, nec fides aut mores legentium exponuntur periculo, proinde nec contra textum, nec contra mentem legis peccatur (3).

c/ Quando opus pluribus completur tomis, in quorum uno certò reperitur causa prohibitionis, plerique auctores cum de Lugo (4) tenent volumina innocua non attingi hac damnatione, si *formaliter* ab hoc uno sunt distincta, attingi vero, si *materialiter* tantum ab invicem distinguuntur. *Formaliter* volumina distincta dicuntur, quando independenter a reliquis librum in se completum constituunt; ex gr. unum continet tractatum de pœnitentia,

---

(1) Hoc admittendum videtur, tum ne facilius legislatio de prohibitione librorum eludatur, remanente tamen tota ratione proscriptionis; tum ne negatum habeas quod jam fatentibus omnibus certo permittitur.

(2) Præter citatos auctores a Van Coillie, *o. et l. c.*, n° 1309[3], p. 645 numerantur : Feye, Tract. autogr. *de delictis ecclesiasticis*, C. VI, *de libris improbatæ lectionis*, n° 65, p. 71; Piat, *Commentarius in Constitutionem « Apostolicæ Sedis, »* p. 27. Tornaci, 1881 ; D'Annibale, *Summula theologiæ moralis*, ed. 3, t. III, p. 141, n° 445; Lega, *De judiciis ecclesiasticis*, lib. II, vol. III, p. 431. Romæ, 1900; Ciolli, *Commento breve della Costituzione leonina riguardo ai libri proibiti*, ediz. 2, p. 25. Romæ 1906.

(3) Piat ap. *Nouv. rev. théol.*, t. II, p. 623. Exceptio a pluribus allata — nisi agatur de libro in odium auctoris damnato — non amplius hodie sustinetur; cf. Vermeersch, *o. c.*, p. 50 et appendix p. 8; Wernz, *Jus Decretalium*, t. III, *Jus administrationis*, n° 121, p. 143 (117).

(4) *De virtute Fidei*, Disp. XXI, n° 55 s.

alterum de Eucharistia. *Materialiter* distincta sunt, quando, ut sint liber completus et per se stans, ab alio pendent; ex gr. diversa volumina de matrimonio. Fatetur tamen Feye se non perspicere cur non posset in omni casu censura (resp. prohibitio) restringi ad illud præcise volumen in quo propugnatur hæresis (1). Ideo si separas partem quæ causa est prohibitionis, auferendo tomum in quo error continetur, probabiliter quoad cæteros evanescit prohibitio, nisi negare velis sententiam sub *b*/ propositam (2).

d/ Quid tandem de libris ex aliorum scriptorum excerptis compositis, de miscellaneis litterariis (chrestomathies, anthologies). « In his vero generibus librorum, ait Clemens VIII (3), qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is qui laborem colligendi aut compilandi susceperit pro auctore habeatur ». Proinde potius habeantur hæc opera ut novi libri, et eis simpliciter applicentur Decreta Generalia leoninæ Constitutionis. Si tamen illa opera considerarentur formaliter ut referentia loca aliorum librorum, eis applicari possent quæ suprà diximus de foliis ex libro prohibito separatis, nimirum: si damnati libri aut damnatorum librorum continent paginas innoxias aut vix reprehensibiles, legi retinerique possunt, salvis regulis prudentiæ (4); si vero moraliter idem opus

---

(1) *o. c.*, p. 70 s. Addit: « Nullibi quidem hanc opinionem vidi allatam, sed quum priores (sententiæ Suarezii et de Lugo) quoque sint disputatæ et non videantur vera probatione fulcitæ, non auderem affirmare censuram incurri ab eo qui legit aliud quovis casu volumen in quo non propugnatur hæresis.

(2) Ita VERMEERSCH, *o. c.*, p. 44.

(3) Instructio Clementis VIII auctoritate regulis Indicis adjecta, pars III, de impressione librorum, § 1; cf. HEYMANS, *De ecclesiastica librorum aliorumque scriptorum in Belgio prohibitione disquisitio*, p. 261, nº 279. Lovanii, 1849.

(4) Ita prodiit Parisiis apud Ch. Delagrave opera quædam selecta poetæ Victor Hugo, sub titulo: *Morceaux choisis de Victor Hugo*, 2 vol. Poésie. Prose; in quibus inveniuntur extensa sed innocua excerpta ex libris *Notre Dame de Paris* et *Les Misérables* in Indicem relatis. Illa col-

proscriptum videntur exhibere, aut ibidem pars quæ materiam præbuit prohibitionis est reassumpta, ipsa miscellanea prohibitioni obnoxia censentur (1). Attamen praxi inductum est ut pericopæ ex libris prohibitis a catholicis scriptoribus exscribantur, refutationis causa.

A. De Meester.

---

lectio etsi non omnibus commendanda, tamen ut proscripta non est habenda. Item Parisiis, firma editrix Colin publicavit excerpta meliorum scriptorum (*Pages choisies des Grands écrivains*), quæ professoribus litterarum usui esse possunt. Circa ea scribit Bethleem in præclaro suo opere *Romans à lire et Romans à proscrire,* 3 éd., p. 21, note 1. « Ces recueils d'extraits n'ont pas toujours bon esprit et doivent être lus avec bon discernement. » Ibidem plerique enumerantur.

(1) Cf. circa hanc quæstionem: Vermeersch, *o. c.*, p. 44; Boudinhon, ap. *Revue du clergé français*, 1901-1902, t. XXIX, p. 190.

A propos du Kyriale de l'Edition Vaticane.

Documents et notes.

I

Édition vaticane du chant grégorien — sa méthode.

Lettre du Cardinal-Secrétaire d'État au Révérendissime Dom Pothier (1).

Mon Révérend Père,

Il est venu à la connaissance de Sa Sainteté que parmi ceux qui sont chargés de préparer l'édition Vaticane des livres liturgiques, un doute s'est élevé sur la manière de correspondre aux intentions de Sa Sainteté, concernant la restauration de la musique sacrée. L'auguste Pontife constate avec plaisir que la divergence a pour cause le désir de l'un et l'autre parti de répondre le mieux possible à ses intentions. Néanmoins, voulant enlever toute occasion et tout prétexte aux doutes et aux incertitudes, Sa Sainteté m'a chargé de notifier à V. P. Révérendissime que, tout en voulant promouvoir le retour à l'antique chant grégorien, elle n'a pas eu l'intention de faire œuvre si exclusivement favorable à l'Archéologie de ce même chant, que de ne pas admettre aujourd'hui les versions de mélodies grégoriennes qui ont pu être acceptées au cours des siècles. Dans son *Motu proprio* du 22 novembre 1903, le Saint-Père a rappelé avec beaucoup d'opportunité que « l'Église a toujours reconnu et favorisé le progrès des arts, en admettant au service du culte tout ce que le génie a su trouver de bon et de beau dans le cours des siècles, mais en sauvegardant les règles liturgiques ».

(1) *Revue théologique française*, 1906, t. XI, p. 266, (traduction de l'italien).

Et avec l'autre *Motu proprio* du 25 avril 1904, en donnant les règles pour l'édition Vaticane des livres liturgiques, Sa Sainteté a sagement décidé que « les mélodies de l'Église, dites grégoriennes, seront rétablies dans leur intégrité et leur pureté selon la foi des manuscrits les plus anciens, mais de manière cependant que l'on tienne aussi un compte particulier de la légitime tradition contenue dans les manuscrits au cours des siècles et de l'usage pratique de la liturgie actuelle ».

En conformité à ces principes qui expriment la vraie tradition de l'Église, la commission Pontificale pour l'édition Vaticane des livres liturgiques n'agirait pas contrairement à la pensée de Sa Sainteté, en donnant la préférence à quelques compositions sacrées moins antiques, pourvu qu'elles portent les marques distinctives de la musique grégorienne. En fait, on ne peut pas prouver que le chant le plus ancien soit nécessairement le meilleur à adopter dans la pratique, puisque l'art et les circonstances plus récentes ont pu développer avec raison les mélodies antiques ou présenter quelquefois certains embellissements, tout en maintenant la pureté primitive.

Que V. P. veuille communiquer ces appréciations à la commission que vous présidez dignement, afin que cette commission veuille les prendre pour règle et pour guide dans son travail et que ce travail puisse toujours mieux répondre à la confiance que Sa Sainteté a placée en elle.

Il m'est agréable de saisir la présente occasion pour me dire avec sentiments d'estime distinguée,

De votre Paternité Révérendissime

Le tout dévoué dans le Seigneur,
R. Card. Merry del Val.

Rome, 3 avril 1905.

Observations. A peine le *Kyriale* de l'édition vaticane a-t-il vu le jour, que déjà il est l'objet de critiques violentes. Les amis de la réforme du chant liturgique se sont divisés en deux camps. Les uns, partisans d'une édition *archéologiquement* authentique et hostiles au *Kyriale* ont pour chef Dom Mocquereau, pour porte-voix M. Bewerunge, professeur au séminaire de Mai-

nooth en Irlande (1), et les rédacteurs de la *Rassegna gregoriana* (2). Les autres, partisans d'une édition *traditionnellement* authentique et défenseurs du *Kyriale* ont Dom Pothier à leur tête et comptent parmi leurs représentants les plus autorisés Messieurs P. Wagner (3) et A. Gastoué (4).

Les premiers, soutenant en thèse que l'âge-d'or du Plain-chant s'arrête au début du XIe siècle, auraient voulu une restitution des mélodies grégoriennes basée sur les manuscrits les plus anciens, une édition critique reproduisant la version la plus archaïque de ces chants, une véritable collection de musique médiévale.

Les autres conçoivent cette restauration d'une façon tout à la fois plus large et plus pratique. Pour eux, le plain-chant est cette musique religieuse, qui, ordonnée de concert avec la liturgie sous Saint Grégoire, a été dans la suite implantée avec elle dans tous les pays de l'Eglise latine et y est restée en honneur et en usage jusqu'à la fin du moyen âge. Le plain-chant n'est donc nullement une forme d'art définitivement fixée à une certaine époque, et à laquelle les siècles suivants n'auraient fait subir que des altérations; mais c'est une musique vivante, possédant une tradition de mille ans, pendant laquelle elle s'est latinisée tant dans sa mélo-

---

(1) Bewerunge, *L'édition vaticane du Plain-Chant. Etude critique.* Brest, Imprimerie rue du Château, in-8, 23 p. (traduit de l'anglais). Il existe une traduction allemande parue d'abord dans le *Düsseldorfer Tagblatt,* puis en tiré-à-part.

(2) Nous renvoyons à la *Rassegna Gregoriana* pour la bibliographie. Il suffira de lire les appréciations très peu objectives de cette revue pour juger de la position qu'elle a prise dans cette question.

(3) *Ueber traditionellen Choral* et *Der traditionelle Choralvortrag und seine geschichtliche Begründung.* Rapports présentés au Congrès de Strasbourg. Cf. *Acta Generalis cantus Gregoriani studiosorum conventus Argentinensis, 16-19 Aug. 1905,* p. 32-55, Strasbourg, Leroux, 1905. Ces excellentes dissertations ont paru d'abord en tiré-à-part chez le même éditeur. Une traduction française a récemment paru dans la revue *Cæcilia* de Strasbourg.

(4) Voir son article dans *la Tribune de St-Gervais,* 1906, t. XII, p. 1-10.

die que dans son rythme et sa méthode d'exécution; ce qui lui valut d'être universellement pratiquée et de nous être conservée (1). L'œuvre de restauration entreprise par Sa Sainteté Pie X, a pour but de raccorder le XXe siècle à l'époque où la tradition légitime a cessé. Conséquemment pour répondre à l'histoire des mélodies grégoriennes comme pour être pratique et artistique, la réforme devait être basée sur les données des meilleurs et des plus anciens manuscrits, de façon cependant à tenir spécialement compte de la tradition légitime consignée dans les documents des siècles postérieurs, ainsi que des besoins pratiques de la liturgie actuelle.

Voilà le criterium unique, d'après lequel le Souverain Pontife dans son *Motu Proprio* du 25 Avril 1904 (2) a déterminé la méthode à suivre par la Commission pontificale dans son travail de confection de l'Edition vaticane (3).

Des dissensions et des discussions s'étant produites à ce sujet au sein de cet organisme, le Saint-Siège par la voix du Cardinal Secrétaire d'État a déterminé plus clairement encore le méthode qui devrait présider à l'élaboration de la Vaticane, dans le document transcrit plus haut. Monsieur le professeur Wagner en communiquant au Congrès de Strasbourg (4) des extraits de cette lettre, concluait à bon droit qu'il ne rentrait pas dans

---

(1) WAGNER, *Ueber traditionellen Choral,* p. 36 ss.; voir aussi du même auteur *Neumenkunde,* p. 147 ss.; 211 ss. Freiburg, O. Gschwend, 1905 et *Kyriale ou Ordinaire de la Messe avec accompagnement d'orgue.* Avant-propos, p. III-VII. Arras, Procure de musique religieuse.

(2) *Rev. théol. française,* 1904, t. IX, p. 321; DUCLOS, *Sa Sainteté Pie X et la musique religieuse,* en appendice p. 131, coll. p. 34, Rome-Tournai 1905.

(3) M. Bewerunge se trompe quand il affirme que conformément à ce document, le premier criterium à employer dans la rédaction de la Vaticane est la lecture des plus anciens manuscrits et qu'à son défaut on tiendra compte de la tradition légitime *o. c.*, p. 5. — Il a tort de parler d'une restitution de la mélodie *originale.* — Il restreint arbitrairement le sens des mots « usages pratiques de la liturgie actuelle » p. 6.

(4) *Ueber traditionellen Choral,* p. 33 ss.

les vues du Saint-Siége de posséder une édition critico-philologique qui imposerait à jamais à l'Église l'état le plus ancien du chant liturgique, mais que Rome voulait une édition qui tint compte de ce qu'avait produit l'art grégorien pendant la meilleure époque de sa pratique, sans altérer la pureté primitive de sa nature. Et il ajoute : Les réformes antérieures ont échoué parce que, s'écartant de la tradition elles se sont attachées à faire prévaloir dans le plain-chant des idées modernes au détriment de son caractère propre ; ce serait aujourd'hui tomber dans l'excès contraire que de s'attacher à une forme de chant, bonne pour une époque, mais qui dans certains détails a été modifiée d'une façon légitime et organique. Le succès est entre ces deux extrêmes (1).

Et qu'on ne dise pas qu'une édition traditionnelle laisse trop de champ à l'arbitraire, puisque cette tradition est mieux attestée dans les manuscrits que ne l'est la version la plus ancienne du chant et que d'ailleurs dans toute édition critique, le choix de telle ou de telle version repose souvent en dernière analyse sur les idées et le sens personnel de l'éditeur.

Des critiques sévères ont accueilli l'étude de M. Bewerunge. Même ceux qui sont le plus sympathiques à son auteur avouent qu'elle est excessive et irrespectueuse (2). Le travail consciencieux de la Commission pontificale, la probité scientifique de son vénérable président et de ses membres, les démentis formels qui ont été opposés aux accusations les plus graves à l'adresse de Dom Pothier (3), tout cela suffit abondamment pour nier que le travail de M. Bewerunge soit fait avec *la rigueur scrupuleuse de la critique scientifique.*

---

(1) *ibid.*, p. 35, cf. Gastoué, *l. c.*, p. 1 s.

(2) W. Stockhausen, *Zur Vatikanischen Choralausgabe* dans le *Pastor Bonus*, 1905-1906, t. XVIII, p. 450.

(3) L'accusation la plus grave était que Dom Pothier avait inventé de toutes pièces certains chants du Kyriale cf. Bewerunge, *o. c*, p. 17. M. Gastoué a depuis longtemps entre les mains des copies des chants en question, *article cité*, p. 3 ss.

Aussi nous souscrivons pleinement au jugement qu'a porté sur lui Dom M. Horn (1), et dont voici la substance:

1° Il est regrettable de la part d'un prêtre d'affirmer que le travail de la Vaticane est à refaire (2).

2° L'argumentation n'est pas concluante parce que:

a/ les preuves et témoignages émanent tous du côté de l'opposition. En lisant Monsieur Bewerunge, on n'entend qu'une cloche;

b/ la rédaction actuelle de la Vaticane n'est pas définitive, en ce sens que son caractère d'authenticité n'exclut pas l'admission de certaines variantes, *non proximo tamen tempore* (3).

3° Des considérations d'esthétique musicale opposées à la Vaticane peuvent également être apportées en sa faveur (4).

4° Les accusations à l'adresse de Dom Pothier sont fausses et ne répondent pas aux faits (5).

Nous ajoutons que cette étude n'est pas scientifique, ni dans les procédés employés pour la porter à la connaissance du public, ni dans son style, ni dans sa méthode. Monsieur Bewerunge avait certes le droit de présenter respectueusement des observations critiques à l'édition Vaticane, mais il devait donner à son travail le caractère d'une publication scientifique. Or, plusieurs affirmations sont pour le moins fantaisistes; pour d'au-

---

(1) *Gregorianische Rundschau,* 1906, t. V, p. 86 s.

(2) La *Rassegna gregoriana* se plaît a insinuer à tout propos la même proposition cf. 1906, t. V, p. 302, 316, etc.

(3) Lettre du Cardinal-Secrétaire d'Etat à son Eminence le Cardinal Fischer, archevêque de Cologne, du 26 Janv. 1906, *Rev. théol. franç.* 1906. t. XI, p. 268; *Musica sacra*, l. c., p. 90 s. — Cf. *Motu proprio,* 25 Avril 1904,

(4) V. Gastoué, *l. c.*, p. 2 ss.

(5) D'ailleurs en s'attaquant à Dom Pothier, M. Bewerunge atteint évidemment la Commission Pontificale. Si le Secrétaire d'Etat par sa lettre du 24 Juin 1905 a confié à Dom Pothier la mission délicate de la rédaction du Kyriale, il lui a enjoint de se faire aider dans ce travail des divers membres de la commission. Cf. *Rev. théol. franç.*, 1905, t. X, p. 582 ss.

tres, il est impossible de juger de leur bien-fondé. Ainsi, que faut-il croire d'assertions de ce genre: *tous les manuscrits* se prononcent pour une telle version. On peut se demander à bon droit de quels manuscrits il s'agit, de quelle école ils sont et de quelle époque, surtout en présence d'assertions nettement contradictoires qui ont été opposées à cette étude.

II

L'édition vaticane et les signes rythmiques.

E Sacra Congregatione Rituum (1).

Decretum.

A nonnullis Editoribus proponitur subinde quæstio de modo interpretandi Dispositiones Art. II et IV Decreti seu Instructionum Sacræ Rituum Congregationis, die XI augusti MCMV (2), circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum Gregorianum continentium. Ad hanc autem quæstionem solvendam eadem Sacra Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ X, quæ sequuntur declarat:

1. Forma notularum cantus sic debet integra servari, ut omnes ex eis quæ eamdem habent rationem vel significationem, ac proinde in editione typica Vaticana unam eamdemque figuram referunt, pariter in alia editione, quæ ab Ordinario possit approbari, necessario quoad formam omnino inter se similes extent et coæquales. Ideoque signa quæ forte fuerint, permittente Ordinario, superinducta, nullatenus notularum formam, vel modum quo ipsæ conjunguntur, afficere debent.

2. Quamvis editio aliqua fuerit recognita, ab Ordinario vel ab ipsa Sacra Rituum Congregatione, tamquam de cætero, videlicet exceptis signis, cum typica conformis, oportet tamen ut deinceps normas supra statutas exacte

---

(1) *Rev. théol. française*, 1906, t. XI, p. 282; *Musica sacra*, 1905-1906, t. XXV, p. 90.

(2) *Collat. Brug.*, t. X, p. 572 ss.

servet; quatenus, inter notulas typicas et signa quæ superveniunt, jam amplius confusio oriri nequeat. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 februarii 1906.

A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Præf.*

L. † S.

† D. Panici, Archiep. Laod., *S. R. C. Secretarius.*

Observations. Un second point d'ardentes controverses se rapporte aux éditions rythmiques.

Le décret du 11 Août 1905 (1) établissait que la notation grégorienne traditionnelle était fixée dans sa forme, dans l'ordre de la succession de ses intervalles, dans le groupement des notes entre elles, et dans le rapport de celles-ci avec le texte sacré. L'éditeur, qui moyennant autorisation du St-Siége entreprend la publication des livres de chant, doit reproduire dans son intégrité (2) la notation typique, *nihil prorsus addito, dempto vel mutato* (3).

A part la fixation de cet élément, l'interprétation rythmique des mélodies grégoriennes restait de libre discussion, et bientôt la question se posa s'il était permis d'ajouter à la notation traditionnelle des indications rythmiques supplémentaires; surtout qu'au lendemain de l'apparition du *Kyriale,* la maison Desclée avait publié en divers formats des éditions de ce recueil, rythmées d'après la théorie de Dom Mocquereau et munies du *Concordat* de la S. Congrégation des Rites et de l'approbation de l'Ordinaire.

Bien que le *Concordat* excluait clairement toute approbation des signes rythmiques (4), cette déclaration

---

(1) art. II, *Collat. Brug.*, l. c.

(2) On tolère cependant les éditions en notation moderne, autorisées par l'ordinaire et certifiées conformes à l'édition typique pourvu que la succession des notes et des neumes soit exactement reproduite, a. 7 du décret du 11 Août 1905.

(3) Decret du 14 Août 1905, ap. *Collat. Brug.*, t. X, p. 687 ss.

(4) « Præsens exemplar rythmicis signis a Solesmensibus monachis

officielle de conformité avec la Vaticane provoqua de nombreuses réclamations basées sur l'inobservance des règles prescrites par le St-Siége pour la reproduction de l'édition typique. En effet, certains signes conventionnels traduisant la théorie de Dom Mocquereau affectent les notes de façon à s'incorporer avec elles et à en altérer la forme typique : tels les épisèmes ou traits supplémentaires ajoutés à des notes isolées ou à des unités des neumes ; certaines figures de notes ont changé d'aspect comme l'*oriscus* et l'*apostropha ;* le groupement des notes et la succession de leurs intervalles ont été modifiés (1).

Rien d'étonnant donc que le *Concordat* accordé à cette édition à la suite d'un véritable malentendu ait été presque aussitôt retiré par la Congrégation des Rites et que les éditeurs aient été avertis que cette attestation ne devrait plus figurer sur les tirages postérieurs (2).

» ornatum, typicæ Vaticanæ editioni *de cætero* plane conforme repertum » est ». — De cætero, videlicet exceptis signis dit le décret du 14 Février 1906. Cf. la lettre semi-officielle de Dom Pothier à M. Widor du 16 Janvier 1906, ap. *Rev. theol. franç*, l. c., p. 286 ; *Revue de chant grégorien,* t. XIV, 1905-1906, p. 108 s.; *Musica sacra*, l. c., p. 92 s.

(1) Voir par exemple la dernière invocation du *Kyrie* pascal ; *laudamus te* du Gloria de la Messe nº III, cf. *Tribune de St.-Gervais,* t. XII, 1906, p. 119 s.

(2) Voici le texte d'un *communiqué romain* publié par bon nombre de revues : « En donnant le *concordat* aux rééditions de l'Ordinaire de la » messe, faites par la maison Desclée, la S. Congrégation des Rites n'a » pas entendu approuver les points et signes dits rythmiques, ajoutés à » certaines éditions par cette maison, et qui ne font point partie de la » pure notation grégorienne. Si les éditions ainsi rythmées portent le » *concordat*, c'est par suite d'un mal-entendu. La S. Congrégation des » Rites n'a pas cru devoir obliger la maison Desclée à retirer de la » circulation les exemplaires déjà mis en vente ; mais il est décidé que » le *concordat* ne devra pas figurer sur les prochains tirages et qu'à » l'avenir on n'approuvera jamais de telles éditions. Tout au plus » tolérera-t-on sous la responsabilité des Ordinaires, des annotations en » dehors du texte musical : » V. *Rev. théol. franç.*, l. c., p. 288. Ce communiqué est reproduit presque intégralement dans la lettre citée de Dom Pothier à M. Widor. Ainsi est-il suffisamment répondu à diverses lettres

La question fut définitivement tranchée par le décret du 14 Février, dont nous reproduisons le texte plus haut. Cet acte constitue une interprétation authentique des décrets du 11 et 14 Août, et l'on peut légitimement en déduire les conclusions suivantes :

1° Le St.-Siége permet avec l'autorisation de l'Ordinaire, d'ajouter à la notation typique des signes conventionnels d'interprétation rythmique à condition de reproduire exactement la forme et le groupement des notes de l'Edition Vaticane. Les évêques en donnant le *concordat* à ces éditions rythmées veilleront à l'observation de ces règles (1).

2° Quoique l'édition rythmique de la maison Desclée soit munie du *concordat* de la Congrégation des Rites et de l'Ordinaire — *concordat* qui ne porte nullement sur les signes conventionnels —, elle devra dans ses tirages postérieurs se conformer aux normes statuées plus haut.

3° Conséquemment, il est erroné d'affirmer que ce décret contient une approbation ou même une simple tolérance de ces éditions rythmées, de façon à en légaliser la publication (2). Si Dom Mocquereau déclare

---

publiées par la Société de St Jean l'Evangéliste pour justifier ses publications. Cf. *Tribune de St-Gervais*, l. c., p. 80 s., 118 s.

(1) Cette conclusion se dégage plus clairement encore d'une lettre adressée le 2 Mai dernier à MM. Biais, Lecoffre et Lethielleux par le Secrétaire de la Congrégation des Rites. Cette lettre écarte aussi les interprétations erronées du décret du 14 Février. Cf. *Rassegna Gregoriana*, t. V, 1906, col. 271 s.

(2) Article du *Giornale di Roma* repris par la *Rassegna Gregoriana*, l. c., col. 75 et le *Courrier de Bruxelles* du 2 Mars. La *Rassegna* est pour cette question tout à la dévotion de Dom Mocquereau. Ce dernier a publié dernièrement une brochure intitulée: *Le décret du 14 Février 1906 de la S. Congrégation des Rites et les signes rythmiques des Bénédictins de Solesmes*, Rome-Tournai, Desclée, 25 p. Il y défend ses éditions. Il explique les controverses actuelles (conséquemment les actes du St Siége qui s'y rattachent) par une lutte de concurrence entre éditeurs, dans laquelle Combes lui-même aurait eu son mot à dire. L'explication n'est pas à l'honneur des adversaires. Dom Mocquereau du reste ne manque pas d'audace en écrivant: « Pendant les 25 ans qui viennent de s'écouler

que les bénédictins de Solesmes continueront à faire usage des signes supplémentaires, ils devront le faire conformément aux ordres très clairs de la S. Congrégation des Rites.

Nous croyons toujours (1) que « l'Edition Vaticane » avec sa notation la plus purement traditionnelle » donnant le rythme de la tradition, renferme les indi- » cations nécessaires et suffisantes (2) » pour que les chantres bien dirigés (3) puissent exécuter le plain-chant à la gloire de Dieu et à l'édification des fidèles.

Si Dom Mocquereau et son parti (4) prétendent, à l'encontre de l'autorité de la Commission Pontificale et de la généralité des hommes compétents (5), que sa

---

» leurs livres (des Bénédictins de Solesmes) de chant grégorien n'étaient » que tolérés: ce sont pourtant ces livres tolérés, ignorés qui nous ont » conduits à l'Edition Vaticane. Est-il téméraire d'espérer que la tolé- » rance formelle? accordée aujourd'hui aux signes rythmiques aura quel- » que jour, expérience faite, le même succès, le même bonheur? » cf. *Rassegna, l. c.*, col. 273 s.

(1) *Collat. Brug.*, t. X, p. 689.

(2) Lettre citée du secrétaire de la Congrégation des Rites à MM. Biais, Lecoffre et Lethielleux.

(3) Le directeur du chœur pourra avantageusement consulter ces éditions rythmiques. Nous leur conseillerions surtout celle de M. Grunewald: *Kyriale... secundum editionem vaticanam, typis modernis rhythmum, analysim, modum cantus exprimentibus.* Gratz, « Styria », 1906, 50 p. M. Grunewald distingue fort à propos dans son interprétation les simples récitatifs des chants neumés.

(4) On peut consulter pour l'exposé de cette théorie: *Grammaire de Plain-chant* par les bénédictines de Stanbrook. Rome-Tournai, Desclée, 1906, chap. V de la 1e partie, et toute la seconde partie; A. Mocquereau, *Gregorian Rhythm. A Theoretical and practical course* dans la revue américaine, *Church Music*, 1906, t. I, p. 168-200, 315-359. Cet exposé paraîtra sous peu en français. Dom Mocquereau avait précédemment exposé ses théories au t. VII, 1904, de la *Paléographie musicale*; Dom Burge, *Chant grégorien. Examen des théories rythmiques de Dom Mocquereau.* Paris, Lecoffre, 1905, (traduction d'une brochure publiée en anglais); G. Bas, *Rythme grégorien. Les théories de Solesmes et Dom C. A. Burge.* Rome-Tournai, Desclée, 1906, etc. Voir aussi la brochure citée de Dom Mocquereau.

(5) Wagner, *Neumenkunde*, p. 230 ss., p. 258, note 1; du même auteur: *Ueber traditionellen Choralvortrag*, cité plus haut, p. 48, note 1; *Tribune de St Gervais*, 1906, t. XII, p. 118 ss.; il faudrait citer les ouvrages des bénédictins Birkle, Vivell, Johner, Janssens, Pothier etc.; les rédacteurs de la *Revue de chant grégorien.*

théorie rythmique est véritablement traditionnelle, il doit encore en faire la preuve (1) et jusqu'ici on ne peut y voir qu'une interprétation personnelle, une espèce d'anatomie du rythme, basée sur la distinction très peu réelle entre le mouvement et l'intensité. Elle est suggestive cette appréciation qu'en donnait dernièrement le maître de chapelle de la cathédrale de Trèves, M. Stockhausen (2). Comparant les éditions rythmées de MM. Mathias, Grunewald et de Dom Mocquereau, il constate que ces trois conceptions du rythme émanent d'auteurs d'une même école; mais que cependant, quant à l'accentuation, l'édition de la maison Desclée a adopté *la manière française* de prononcer le latin.

A. De Meester.

(1) Cf. *Revue de chant grégorien*, t XIV, 1905-1906, p. 170 s.
(2) art. cité du *Pastor Bonus*, p. 457.

Miscellanea.

I

Matrimonialia.

I/ En, speciminis gratia, tenorem rescripti Romani, dispensantis super impedimento affinitatis licitæ in 2° gradu mixto cum 3io, post matrimonium contractum, quod bona fide reputatur validum (1):

« Sacra Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate suprascriptos oratores a quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis tam a jure quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati sint, ad effectum infrascriptæ gratiæ dumtaxat consequendæ, hujus rescripti tenore absolvens et absolutos fore censens (2), oratorum Ordinario facultatem concedit (3), cum iisdem oratoribus, prævia, sive per se sive per aliam idoneam ecclesiasticam personam ab eo ad hoc spécialiter deputandam, eorum absolutione a censuris et pœnis ecclesiasticis, si quas ob præmissa incurrerint, et ab incestus reatibus, quatenus formaliter intercesserint (4), cum congrua pœnitentia salutari (5), si vera sunt exposita (6), et dummodo

(1) Episcopus non valet dispensare quotiescumque attingitur 2us gradus, ac proinde recurrendum est Romam.

(2) Est formula qua præmittitur, in forma gratiosa, absolutio a pœnis et censuris *ad effectum*, seu *generalis*, cujus absolutionis officium ac opportunitatem indicavimus apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 32 et seq.

(3) Dispensatio nempe conceditur *in forma commissoria*, seu ejus executio committitur oratorum Ordinario, uti probavinus l. c., p. 124 et seq.

(4) Est absolutio *juridica* ab incestus reatu et pœnis ac censuris ideo incursis, ad quam absolutionem per se vel per alium dandam facultatem accipit Ordinarius: hæc facultas conceditur quotiescumque, uti hic, inter cognatos vel affines censetur copula intervenisse, quia per hujusmodi incestuosam copulam, in quantùm formaliter fuerit incestuosa, potuissent nupturientes, præter incæstus reatum, etiam pœnas ac censuras incurrere contra incestuosos forsan latas. Cf. *Collat. Brug.*, l. c., p. 36.

(5) Pœnitentiæ juridicæ locum esse vidimus, l. c., p. 40, ubicumque elargienda est absolutio juridica; pro pœnitentia *salutari* injungere solet Ordinarius Brugensis quotidianam recitationem, per octiduum, quinquies Pater et Ave.

(6) Hisce verbis ad valorem dispensationis requiritur expositorum veritas, de qua ut rite constet regulariter præmittenda est verificatio precum, juxta latius dicta apud *Collat. Brug.*, V, p. 672 et seq.

aliud eis canonicum non obstet impedimentum, quominus legitimo matrimonio conjungi possint, super recensito in precibus impedimento, ut, illo ac præmissis, Constitutionibus atque ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis non obstantibus, matrimonium uterque inter se sive publice sive privatè (1), servata forma Sacri Concilii Tridentini, de novo contrahere et in eo postmodum permanere licite ac libere valeant, pari Apostolica Auctoritate in utroque foro (2) misericorditer et gratis dispensandi: prolem sive susceptam sive suscipiendam (3) exinde legitimam decernendo ac respective nunciando ».

II/ Subjungimus hic rescriptum dispensationis a S. Pœnitentiaria nuperrimè impertitæ super impedimento affinitatis legitimæ in concursu impedimenti cognationis spiritualis ex susceptione in Baptismo privato:

« Sacra Pœnitentiaria de speciali et expressa Apostolica Auctoritate suprascriptos oratores a quibusvis sententiis, censuris et pœnis ecclesiasticis tam a jure quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati sint, ad effectum infrascriptæ gratiæ dumtaxat consequendæ, hujus rescripti tenore absolvens et absolutos fore censens, oratorum Ordinario facultatem concedit, cum iisdem oratoribus, si vera sunt exposita, et dummodo aliud eis canonicum non obstet impedimentum, quominus legitimo

---

(1) In convalidatione matrimonii consensus renovandus est in forma Tridentina, ubicumque invalidum erat matrimonium ob impedimentum natura publicum; ad hoc tamen non debet renovari publice coram frequentia populi, sed, uti hic explicite monetur, potest consensus iterum præstari privatè, coram parocho et duobus testibus familiaribus.

(2) In utroque foro, scil. in foro externo, quæ dispensatio simul valet in foro interno.

(3) Facultas legitimandi proles hic ad abundantiam est inserta, non tantùm respectu prolis suscipiendæ seu nascendæ post convalidatum matrimonium vel post ablatum impedimentum, de quo cf. dicta apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 123, in nota, sed etiam respectu prolis jám natæ: vidimus namque, l. c., p. 42-43, legitimos censeri liberos natos ex matre quæ, saltem tempore nativitatis, matrimonio erat juncta valido vel bona fide coram facie Ecclesiæ invalidè unito: quod obtinet in casu.

matrimonio conjungi possint, solutis jam pro Apostolicæ Datariæ juribus libellis..., super recensitis in precibus impedimentis, ut, illis et Constutionibus atque Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium uterque inter se publice, servata forma S. C. Tridentini, contrahere et in eo postmodum remanere licite ac libere valeant, pari Apostolica Auctoritate in utroque foro misericorditer et gratis dispensandi, *super cognatione tamen spirituali, quatenus opus sit;* prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando ».

Nota. 1/ Sola hic occurrit absolutio *ad effectum*, et non inseritur facultas dandi absolutionem juridicam, neque a reatu neque a reatu simul ac a censuris, quia, sive attenta indole impedimenti, sive attentis causis invocatis, non supponitur delictum ab oratoribus admissum; ideo etiam deest pœnitentia juridica. Qua occasione notet parochus, in dispensatione petenda, opportune omitti allegationem causæ inhonestæ, copulæ v. gr., ne sic provocetur insertio, in dispensationis actu, hujusmodi clausularum pœnalium, quarum injunctio potest difficultatem creare; supponitur utique præsto esse aliunde causas ad dispensandum sufficientes.

2/ In supplica petitur dispensatio super impedimentis affinitatis necnon cognationis spiritualis ex susceptione in Baptismo *privato:* S. Pœnitentiaria autem facultatem quidem concedit Ordinario dispensandi super *utroque* impedimento, inserit tamen, scripto et extra tenorem typis impressum, verba suprà sublineata: « super cognatione tamen spirituali, *quatenus opus sit* »; quibus significare videtur S. Pœnitentiaria sese controversiam circa cognationem spiritualem, utrum oriatur ex susceptione in Baptismo privato necne, non habere uti diremptam, eamque nolle penitus dirimere.

Aliunde tamen, theoretice loquendo, et attentis natura rei ac variis declarationibus Romanis, vix dubium esse potest circa existentiam hujusmodi im-

pedimenti, uti notavimus apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 27-28 (1).

II

In opella periodica, in gratiam lectorum in studiis theologicis minus peritorum edito, « NOTES DE PHILOSOPHIE ET D'HISTOIRE » (2), sub titulo « *La présence réelle* », concinna ac vulgari formula, exponitur doctrina scholastica circa mysterium eucharisticum, ad refellendas objectiones ab adversariis opponi solitas, quasi aperta involveretur contradictio.

Nimirum, post præviam notionem substantiæ et accidentis, legitur : « Supposez... que sous les accidents, dimensions quantitatives, couleur, saveur, du pain et du vin, la substance pain et vin disparaisse, ces dimensions n'en restent pas moins occuper un espace déterminé. Et si, au lieu d'être soutenues dans leur être accessoire par la substance du pain et du vin, *elles étaient soutenues par la substance du Christ,* le Christ ne serait-il pas réellement présent à cet endroit ?

C'est toute l'explication. Le corps du Christ doit-il pour cela être réduit dans ses dimensions, être multiplié ? Il n'est nullement nécessaire pour croire à la présence réelle de se représenter cela. Le corps du Christ reste ce qu'il est, sa quantité propre le place toujours dans la gloire céleste. Mais en même temps la quantité du pain et du vin, *dont il est le sujet d'inhésion,* le situe dans nos tabernacles ».

Quæ explicatio planè dissonat, uti legenti patet, a doctrina communi theologorum et signanter S. Thomæ,

---

(1) GASPARRI, *De Matrimonio*, I, n. 738, simile responsum affert, datum anno 1817, a S. C. de P. F., quæ consulta circa validitatem matrimonii contracti a viro cum matre prolis quam in Baptismo privato susceperat, respondit consulendum esse SS° pro dispensatione matrimonii, *qualenus opus est:* quo non obstante responso censet laudatus Auctor omnem probabilitatem contrariæ sententiæ deesse.

(2) *Publication hebdomadaire.* 2e année — n. 13 ; Rue de la Montagne, 52, Bruxelles.

cujus tamen auctoritate, quod mirum est, nititur Auctor anonymus. Et sane S. Doctor, P. III, qu. LXXVII, art. 1, propositam explicationem explicitis verbis reprobat ac excludit, manifestum esse docens quod accidentia panis et vini « non sunt in substantia corporis et sanguinis Christi sicut in subjecto; quia substantia humani corporis nullo modo potest his accidentibus affici, neque etiam est possibile quod corpus Christi gloriosum impassibile existens alteretur ad suscipiendas hujusmodi qualitates ». Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 299 ss., quo loco videsis latius explicatum qua ratione accidentia panis et vini in SS. Eucharistia existant absque subjecto inhæsionis, virtute divina supplente defectui subjecti sustentantis.

Profectò, si opportunum judicatur data occasione doctrinam catholicam, etiam circa altissima mysteria, vindicare contra impugnationes incredulorum, curandum est ut accurate proponatur, ne latera novis oppugnantium ictibus patescant.

A. De Smet.

Ex Sacra Rituum Congregatione

De clerico qui loco subdiaconi vel capellani in missa inservit.

—

DECRETUM

Quum nonnulla dubia huic Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint circa servitium Clerici, qui aliquando vel loco Subdiaconi in Missa solemni, vel loco Cappellani in Missa ab Episcopo vel ab alio Prælato lecta, vel etiam in Missa cantata absque Ministris inserviat, eadem Sacra Congregatio, audito voto Commissionis Liturgicæ, ut dubia ipsa omnino diluantur, hæc statuenda et in posterum observanda decrevit:

1. Clericus ad munus Subdiaconi obeundum in Missa solemni nunquam deputetur, nisi adsit rationabilis causa et in minoribus ordinibus sit constitutus aut saltem sacra tonsura initiatus.

2. Clericus pro Subdiacono inserviens, alba super amictu, cingulo et tunica absque manipulo sit indutus, atque omnia quæ ad Subdiaconum ex Rubricis spectant rite expleat, hisce tamen exceptis: *a*/ aquam ante Offertorium in calicem non infundat, quod in casu Diaconus præstabit: *b*/ calicem ipsum infra Actionem nunquam tangat, neque pallam ab eodem removeat aut super eum reponat: *c*/ post ablutionem calicem non abstergat (abstergente ipso Celebrante) sed tantummodo illum componat more solito et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat.

3. Clericus qui loco Cappellani Episcopo vel Prælato in Missa lecta, aut alii Sacerdoti in Missa solemni sine Ministris (1) inserviat, saltem tonsuratus esse debet, si alius Minister in sacris in promptu non sit.

---

(1) Cf. de hoc casu decr. S. R. C. 25 Sept. 1875, *Baionen.*, n. 3377 ad 1; 6 Dec. 1901, *Plocen.* Hoc ultimum decretum explanatur apud *Collat. Brug.* VII, p. 157. Cf. *Ephem. liturg.*, t. XVI, 1902, p. 463 ss.

4. Clericus ipse omnia explere potest quæ in Cæremoniali Episcoporum Lib. I, cap. XXIX dicuntur, pro Missa ab Episcopo lecta, iis exceptis quæ supra n. 2 prohibentur Clerico munus Subdiaconi obeunti. Insuper *a*/ calicem ante Offertorium non abstergat: *b*/ nec vinum nec aquam in eo infundat: *c*/ nec patenam cum hostia, nec Calicem Celebranti tradat.

5. Calix pro Missa ab Episcopo vel a Prælato lecta, sicuti et pro Missa cantata sine Ministris, velo et bursa coopertus in abaco statuatur, amoto abusu illum non velatum retinendi (1), et ad altare discoopertum deferendi.

6. Calix ipse post Communionem a Celebrante rite abstersus, a Clerico ministrante suis ornamentis instrui poterit, ac velo et bursa coopertus in abacum deferri.

7. Si vero Clericus sacra non sit tonsura initiatus, poterit quidem ab Episcopo aut a Prælato in Missa lecta uti Minister assumi, sed eo in casu calix velatus ante Missam ad altare deferatur, et more solito in medio mensæ super corporale statuatur; Clericus vero non tonsuratus ita se gerat ut in Missis a simplici Sacerdote celebratis. Poterit autem ad Missale Celebrantem adsistere, folia vertere, palmatoriam sustinere; calix autem, ab ipso Celebrante suo tempore abstersus et velatus, ac in medio mensæ collocatus, absoluta Missa in Sacristiam deferatur.

Atque ita censuit et servari mandavit. Die 10 Martii 1906.

Super quibus facta postmodum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ X, per infrascriptum Cardinalem Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Præfectum fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam ejusdem Sacri Consilii in omnibus ratam habuit et adprobavit, quibusvis privilegiis vel consuetudinibus, quæ omnino abrogata esse declaravit, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Die 14 Martii 1906.

L. † S. A. Card. Tripepi, *Pro-Præfectus.*
† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

Adnotanda. Imprimis notandum est præsens decretum quod generale est, quodque intendit uniformitatem

(1) Praxis illa quæ hic nunc abusus declaratur, a non paucis auctoribus ut licita proponebatur.

inducere, omnia privilegia et consuetudines in contrarium prorsus abrogare.

De priori et magis practico casu, de quo solo acturi sumus, de clerico nempe qui **loco subdiaconi** in missa solemni inservit, jam plura antiquiora edita fuerunt olim responsa (1), quæ præsenti decreto partim mitigantur, partim magis determinantur.

1/ Jam non requiritur, ut olim, vera necessitas, sed sufficit *rationabilis causa* (n. 1), puta si missa solemnis cum ministris debeat celebrari ratione stipendii accepti, aut festi solemnitatis, aut populi concursus et minister in majoribus constitutus vel deficiat vel aliis sacri ministerii functionibus incumbere debeat.

2/ Requiritur ut clericus « *in minoribus ordinibus sit constitutus aut* SALTEM *sacra tonsura initiatus* » (n. 2). Ex quo loquendi modo liquet: a/ nunquam assumendum esse laicum (2), aut seminarii alumnum nondum tonsuratum, aut religiosæ Congregationis sodalem qui tonsura quidem religiosa est insignitus, Clericali vero seu sacra tonsura non fuit rite initiatus.

3/ *Indumenta* omnia subdiacono propria assumenda sunt *absque manipulo* (n. 2).

4/ De *functionibus* autem peragendis statuuntur in decreto (n. 2) et regula et exceptiones. Regula est ut clericus rite expleat « omnia quæ ad Subdiaconum ex Rubricis spectant ». Ponuntur autem diserte exceptiones: a/ ne ad Offertorium, paululum aquæ in calicem infundat; b/ ne infra *Actionem* (3), calicem aut tangat,

---

(1) Vide decr. 5 Jul. 1698, *Collen.*, n. 2092[13]; 23 Sept. 1713, *Mediolanen.*, 2221[1]; 18 Dec. 1784, *Amerina*, 2525[2]; 22 Jul. 1848, *Florentina*, 2965[4]; 23 Nov. 1880, *Papien.*, 3525[2]; 17 Jul. 1894, *Dubiorum*, 3832[7].

(2) Cf. decr. S. R. C. 29 Mart. 1659, *Cæsenaten.*, 1111[6].

(3) Quamvis *Actionis* nomine stricto sensu veniat missæ canon, prohibitionis sensus ex subjecta materia certo extendi debet usque ad S. Communionem imo et ablutionem, ut liquet tum ex tertia exceptione, tum ex eo quod juxta Rubricas subdiaconus non debet tangere calicem aut pallam infra canonem sed tantum ante communionem calicis. Eodem modo debet intelligi vox in decr. 25 Sept. 1875, *Baionen.*, 3377[1].

aut palla cooperiat aut detegat; c/ ne post ablutionem, calicem abstergat. Eo igitur reducitur ministerium clerici ut vices agat subdiaconi in omnibus, exceptis iis quæ ad ipsius sacrificii oblationem immediate et stricte referuntur.

Quidam tamen auctores latius extendi volunt exceptiones. R. P. R. Trilhe (1) censet clericum in casu non posse ante offertorium calicem mundare, aut post offertorium patenam sustinere. Non potest enim, ait, calicem tangere « infra Actionem »; atqui *Actio* hic significat totum altaris ministerium. Huic autem interpretationi maxime obstat clericum posse calicem afferre ante offertorium et componere ac referre post abstersionem, quæ sane ad altaris ministerium pertinent. Ceterum dum patena a subdiacono sustinetur, hæc nondum tetigit S. Corpus Domini, imo sustinetur ut amoveatur ab altari: ergo illa sustentatio non nisi a longe pertinet ad sacrificii oblationem.

Dr P. Piacenza (2) quoque tenet primam abstersionem calicis esse prohibitam eo quod extersio calicis post ablutionem est prohibita. Ubi enim eadem est ratio legis, eadem debet esse legis dispositio. « Imo declarare nobis licet, addit auctor, hanc fuisse et esse mentem illorum qui Decretum composuere, et etiam S. R. C., ut unus ex ejusdem Officialibus nobis testatus est ». Priori argumento opponi potest non videri eamdem esse rationem legis, quum abstersio calicis, ex usu sacrificii madidi, intimius ad ipsum sacrificii ritum pertineat quam emundatio calicis ante offertorium, quæ ad magis remotam calicis præparationem spectat.

Præterea exceptiones in decreto diserte exprimuntur, quin ponatur exceptio de qua hic quæritur. Imo sub n. 4, pro clerico loco capellani inservienti ponuntur eædem exceptiones quæ pro clerico vices subdiaconi pe-

---

(1) *Nouv. Rev. Théol. Française,* 1906, p. 544.
(2) *Ephemerides liturgicæ,* 1906, p. 268.

ragenti, et « INSUPER » ait decretum « *calicem ante offertorium non abstergat* »; ex quo sequi videtur hanc ultimam restrictionem non fuisse positam explicite aut implicite sub n. 2, pro clerico loco subdiaconi ministrante.

Ad argumentum auctoritatis quod attinet, quum hæc attestatio unius alicujus officialis non sit declaratio mentis S. R. C. authentica, nec quæstionem dirimendi habeat vim, non ideo censemus clericum in casu, quamdiu S. Cong. suam mentem non aliter aperuerit, debere abstinere a calice mundando aut a patena sustinenda.

C. CALLEWAERT.

Bulletin bibliographique.

Vies de Saints.

Collection « *Les Saints* ». Paris, Lecoffre. 2 fr. le vol. in-12.

H. Joly. *Psychologie des Saints*. 10e éd. 1905. VII-201 pp.

J. Vianey. *Le bienheureux Curé d'Ars* (1786-1859), 14e éd. 1906. 201 pp.

L. Cl. Fillion. *Saint Pierre*. 1906. IV-207 pp.

Alphonse Germain. *Le bienheureux J.-B. Vianney, Tertiaire de Saint-François*. Paris, Poussielgue, 1905, in-12, 210 pp. (= Nouvelle bibliothèque franciscaine, 1re série, XV). 1 fr. 50.

De zalige J.-B. Vianney, Pastoor van Ars. Amsterdam, Borg, 1905, in-8, 170 bl. met 3 platen. 70 ct.

N. Van Hassel, ord. præd. *Keur van bloemen uit den hof van den gelukzaligen Pastoor van Ars (Jean-Baptiste-Marie Vianney)* Amsterdam, Borg, 1905. In-18, 105 bl.

Louis Chasle, aumônier au Bon-Pasteur d'Angers. *Sœur Marie du Divin Cœur*, née Droste zu Vischering, religieuse du Bon-Pasteur 1863-1899. 2e édition. Paris, Gabriel Beauchesne et Cie, 1906. In-12, XXXV-432 p. 4 fr.

On connaît le programme, que s'est tracé la collection « Les Saints »: dessiner le vrai portrait des saints, faire, comme on dit, la psychologie de chaque saint, montrer *l'homme saint*. On veut instruire l'esprit, mais surtout édifier la volonté et mouvoir le cœur. Les vies publiées jusqu'ici sont, comme on devait s'y attendre, de valeur assez inégale: bon nombre d'entre elles cependant sont excellentes. Les trois volumes, envoyés à la rédaction de la revue, comptent parmi les plus méritoires.

Le travail de M. Henri Joly sur la *Psychologie des Saints* est, peut-on dire, une introduction à la collection, publiée sous sa direction. Esquisser en quelques pages le type idéal de la sainteté chrétienne: voilà certes une entreprise délicate et difficile. Le sujet appartient tellement au domaine de la théologie, qu'il devait paraître hasardeux pour un laïque de

l'aborder. Aussi nous est avis que, dans le cas présent, la psychologie a joué un mauvais tour à la théologie : M. Joly a laissé beaucoup trop dans l'ombre l'élément essentiel de la sainteté chrétienne, la grâce ; en ce que la vie des saints a de surhumain, il a vu plutôt l'action miraculeuse (p. VI), qu'il semble confondre avec l'activité surnaturelle, dont le principe connaturel est la grâce sanctifiante ; la sainteté, qu'il a essayé d'analyser, est bien plus la sainteté extraordinaire d'une Sainte Thérèse que la perfection tout intérieure, qui a fait canoniser un Saint Jean Berchmans. Si nous ne nous trompons, c'est son point de vue trop spécial, qui a égaré un peu l'auteur : il se fait une conception trop étroite du terme *psychologie ;* il a eu particulièrement en vue de détruire les faux jugements que l'on porte trop souvent sur la sainteté.

Sous cet aspect spécial, l'ouvrage de M. Joly est excellent ; il a rendu et rendra de réels services. Une piété ignorante a bien souvent altéré la physionomie des saints : on les met tellement au-dessus de l'humanité, qu'ils paraissent en dehors d'elle. La lâcheté aussi d'un grand nombre s'autorise de cette conception pour se soustraire à l'obligation de les imiter. Qu'on leur donne à lire le livre de M. Joly : ils y verront que les saints étaient des hommes comme nous, ayant la même nature, les mêmes tendances, les mêmes passions que nous ; ils y verront des hommes aux caractères et aux tempéraments les plus divers, chez qui l'amour de Dieu détruit ce qui est déréglé ou imparfait et développe ce qui est beau et bon. Non non, la grâce ne détruit pas la nature, mais seulement ce qui est vicié en elle par la faute originelle ; la grâce, et c'est ce que M. Joly ne fait pas assez ressortir, *élève* la nature au-dessus d'elle-même et la constitue dans *l'état* de sainteté.

Mais il y a d'autres préjugés à dissiper : on voudrait tout expliquer dans les saints par les influences naturelles et par les influences sociales, auxquelles peut être soumis chacun de nous. On fait même de beaucoup d'entre eux des malades, des hystériques, des suggestionnés ou des suggestionnants etc. Tout cela se prouve, à défaut d'arguments concluants, par un luxe d'érudition, qui éblouit le gros public. — C'est ici surtout que se place l'étude psychologique, telle que l'entend l'auteur, cédant, sans le savoir, à la conception

positiviste de la psychologie moderne. « Nous avons nous-mêmes, dit-il (p. 72), à chercher (*étant donné le caractère psychologique de cet essai*) (1) quelle peut être la place de ces phénomènes [lucidité ou vue à distance, hallucinations télépathiques, suggestions et fascinations] dans la vie mentale et morale de nos saints ». Nous ne songeons pas à contester à l'auteur le droit de suivre ses adversaires sur le terrain purement naturaliste ; c'est même le seul moyen de les atteindre. Cette partie, de loin la plus importante, de son ouvrage est très méritoire et suffit à justifier le succès, qu'il a obtenu. M. Joly ne craint pas d'aborder les problèmes les plus brûlants et les plus actuels sur la sainteté ; il en trouve surtout les éléments dans la vie de Sainte Thérèse, pour laquelle il montre une prédilection marquée (2). Nous recommandons vivement la lecture de ces pages : elles ont une réelle valeur apologétique.

Voici maintenant deux portraits de saints. Le premier, celui du *bienheureux Curé d'Ars,* est un pur modèle. « Dans une vie à la fois humble et pleine de miracles, il y a danger de sacrifier au goût du merveilleux, au grand détriment de la vraie physionomie du saint. M. Vianey a su éviter l'écueil ; tout en conservant discrètement au curé d'Ars son nimbe de thaumaturge, il a su retenir avant tout l'attention sur la beauté morale de son caractère : c'est un vrai portrait qu'il a dessiné » (3). Cette monographie révèle un puissant analyste et un fin lettré ; le style est simple et naturel ; le récit est vivant : on sent vivre dans ces pages toute l'âme du bienheureux. L'auteur ne dit pas qu'il est de la famille du curé d'Ars, mais on le sent.

Par décret du 12 Avril 1905, Sa Sainteté Pie X a établi Jean-Baptiste Vianney « Patron de tous les prêtres ayant charge d'âmes en France et dans toutes les contrées soumises à la France ». Il est le modèle de tous les prêtres séculiers : sa vie a sa place marquée dans leur bibliothèque.

Le second portrait, celui de *Saint Pierre,* nous a semblé aussi très réussi. M. Fillion, prêtre de Saint-Sulpice, pro-

---

(1) C'est nous qui soulignons.

(2) Voir aussi sa *Sainte Thérèse* dans la même collection.

(3) *Analecta bollandiana*, t. XXV (1906), p. 134.

fesseur à l'Institut catholique de Paris, est bien connu par ses travaux d'exégèse. Le plan de son ouvrage est très simple : la période de préparation, la période d'action, les dernières années et le martyre. C est bien ainsi que se divise la vie de Saint Pierre. L'auteur, comme de juste, a puisé surtout aux sources canoniques : les évangiles et tout particulièrement celui de Saint Marc, le livre des Actes, dont la première partie a été souvent nommée les « Actes de Pierre », quelques passages des écrits de Saint Paul et les deux épîtres de Saint Pierre. Les autres sources, surtout les écrits apocryphes, faussement attribués à Saint Pierre, à Saint Clément ou à d'autres personnages des premières années de l'Eglise, sont sujettes à caution.

L'auteur a su tirer parti des moindres détails, fournis par ses sources ; il a bien décrit le cadre dans lequel se meut l'intéressante figure du prince des apôtres ; il nous montre cette nature, admirablement douée, mais imparfaite d'abord, se transformant à l'école du Maître et au Cénacle, sous l'influence du Saint Esprit, pour devenir un véritable héros de l'amour de Jésus-Christ. Sans vouloir faire de l'ascétisme, il nous a montré comment un *homme* devient un grand *Saint* ; non seulement il instruit, mais aussi il émeut et il édifie le lecteur.

Ces éloges bien mérités feront sans doute accepter quelques critiques de détail : plusieurs citations sont introduites par les mots : comme on l'a dit ; ou bien : dit un savant archéologue contemporain : pourquoi ne pas satisfaire la légitime curiosité du lecteur, en indiquant l'auteur et le livre, où ces citations sont prises ? Il n'est pas permis non plus de citer un nom d'Auteur, sans plus, comme nous voyons à la p. 102, note 1. Çà et là, nous aurions voulu une critique un peu plus sévère : p. e. à propos des antécédents de Pierre (p. 5 ss.), à propos de sa rencontre avec Simon le magicien à Rome (p. 181). Est-ce que Saint Justin a bien voulu désigner le second évangile, quand il parle des « Mémoires de Pierre » ? Ces remarques, il est presque superflu de le dire, n'atteignent pas le fond du livre ; ces quelques défauts, nous n'en doutons pas, disparaîtront dans les éditions suivantes, que nous souhaitons nombreuses.

*
* *

Tous les biographes du B. Curé d'Ars dépendent plus ou moins de la première vie, écrite par l'Abbé Monnin (1), qui fut l'auxiliaire de ses travaux et le témoin de sa mort. A l'occasion des fêtes de la béatification, plusieurs vies ont été publiées : nous avons signalé tantôt celle qui a été écrite par le neveu du Bienheureux. En voici une autre : le curé d'Ars était tertiaire de Saint-François ; à ce titre, il méritait d'entrer dans la *nouvelle bibliothèque franciscaine,* qui est une nouvelle collection de Saints Franciscains, commencée en 1901.

Sans avoir la valeur du Curé d'Ars de la collection « Les Saints », le travail de M. Germain est digne d'éloges. Ce qui le caractérise, c'est que l'auteur a mêlé au récit beaucoup de considérations ascétiques, qui ne manqueront pas de plaire à beaucoup de lecteurs, parce qu'elles sont généralement bien amenées. Les références cependant auraient pu être parfois plus précises.

Son livre a eu les honneurs d'une traduction hollandaise publiée à Amsterdam : l'auteur de cette traduction ne se nomme pas, pas plus qu'il ne nomme l'ouvrage qui lui a servi.

M. l'abbé Monnin a publié aussi des extraits des catéchismes et des homélies du Curé d'Ars, sous le titre : *Esprit du curé d'Ars* (2). Le Père Van Hassel vient de l'imiter : Son choix de fleurs est exquis. Inutile de dire que sa source principale a été le petit livre de M. Monnin. Les lecteurs de langue flamande seront heureux de faire connaissance avec le jardin spirituel du Bienheureux Curé d'Ars.

*
* *

Le jeudi 8 Juin 1899, à trois heures du soir, dans une pauvre cellule d'un couvent de Porto (Portugal), expirait une femme jeune encore, elle comptait à peine trente-six ans ; sortie de la noble famille Westphalienne des comtes Droste zu Vischering, elle avait échangé ce nom brillant contre celui de *Sœur Marie du Divin Cœur,* en entrant à Munster

(1) Paris, anc. maison Ch. Douniol, P. Téqui, 17e édition, 1904, 2 vol. in-12, 7 fr. 50. Il existe aussi une vie en un vol. in-12 : 2 fr.

(2) Paris, même éditeur, 17e éd., 1905. Un vol. in-18, 1 fr. 25.

dans l'Ordre de Notre-Dame de Charité du Bon-Pasteur d'Angers. A cette heure sonnait, avec les premières vêpres de la fête du Cœur de Jésus, l'ouverture des solennités prescrites par Léon XIII pour la consécration du genre humain au Sacré-Cœur. On ne se doutait pas en ce moment que cette religieuse avait reçu de Notre-Seigneur la confidence de ses désirs au sujet de ce grand acte et que c'était principalement à son intervention que ce vingtième siècle a dû de s'ouvrir sous les auspices du Sacré-Cœur. Nous le savons maintenant, grâce au beau livre du regretté M. l'Abbé Louis Chasle. Le chapitre XI expose les circonstances dans lesquelles a été faite la consécration du genre humain tout entier au Sacré-Cœur de Jésus et la part d'intervention qui revient dans cet acte à la religieuse de Porto. La publication récente du tome III de l'histoire de Léon XIII par Mgr de T'Serclaes (1) est venue confirmer le récit des rapports de Sœur Marie du Divin Cœur avec Léon XIII au sujet de cette consécration.

A raison de ce fait nouveau, la vie de Sœur Marie du Divin Cœur ne pouvait manquer d'intéresser : elle a produit une certaine sensation. Et cependant là n'est pas l'intérêt principal du livre : ce qui lui donne une importance bien plus considérable, c'est qu'il contient tout un traité pratique d'ascétisme. Car, comme le dit excellemment Saint François de Sales (2), « qu'est autre chose la vie des Saintz que l'Evangile mis en œuvre? Il n'y a non plus de différence entre l'Evangile escrit et la vie des Saintz qu'entre une musique notée et une musique chantée ».

Ce qui frappe dans la vie de Sœur Marie du Divin Cœur, c'est que cette vie s'avance et se déploie suivant un plan visiblement uniforme, avec une unité de direction et de but, qui supposent et révèlent une unité de principe. Ce principe est le principe de l'Evangile : l'amour, et d'une manière plus spéciale, c'est *l'amour du Cœur de Jésus*. Notre-Seigneur lui avait fait savoir « que maintenant que ce culte extérieur du

(1) *Le Pape Léon XIII*, t. III, ch. LXII, Paris-Lille, Desclée, De Brouwer et Cie, 1906. Voir aussi *Le Messager du Cœur de Jésus*, livraison de Décembre 1905.

(2) Lettre CCXXIX, dans la nouvelle édition complète de ses œuvres, en cours de publication, t. XII, Annecy, 1902, p. 306.

Sacré-Cœur] était introduit par son apparition à la bienheureuse Marguerite-Marie et répandu partout, Il voulait aussi « que le culte intérieur s'établît de plus en plus, c'est-à-dire que les âmes s'habituassent à s'unir de plus en plus intérieurement avec Lui et à Lui offrir leurs cœurs comme demeures » (p. 240). Elle devait se préparer à cette grande mission, en pratiquant elle-même le culte intérieur, le culte d'amour. Comme à Saint Pierre, Notre-Seigneur lui demandait : Amas me ? Elle devait pouvoir répondre comme lui : Domine, tu scis quia amo te. Toute sa vie fut donc une ascension vers le divin Maître. Celui-ci l'appelait au moyen des inspirations ordinaires de la grâce et, depuis sa vingt et unième année, par des entretiens intimes, consacrés à former en elle un puissant esprit de sacrifice, à faire d'elle une victime d'amour et de réparation, une victime prête à tout pour promouvoir le règne universel du Sacré-Cœur.

Le caractère distinctif et privilégié de la vie morale c'est la possibilité, le devoir d'un progrès continu et indéfini (1). La mesure de l'amour est d'aimer sans mesure : c'était la maxime de St François de Sales, c'était aussi la pratique de Sœur Marie du Divin Cœur. Son âme était toujours en marche, en marche pour faire toujours mieux. La forme de ce progrès fut avant tout la réforme. Tant qu'il reste dans la nature quelque chose qui n'est pas encore surnaturalisé, dans le vieil homme quelque chose qui n'est pas encore transformé en homme nouveau, il faut avoir l'épée à la main, et lutter pour dompter et assouplir ce qui résiste. Le caractère de la servante de Dieu fut vraiment pour elle un champ de bataille, dans le monde et au couvent, et jusqu'aux derniers jours de sa vie : naturellement très vive, elle avait à se défendre contre les impatiences et les emportements ; son état de santé contribuait aussi à la rendre irritable. Toute sa vie, elle se plaignit d'avoir à lutter contre l'orgueil : ce n'était pas chez elle la vanité, qui se complaît en elle-même et s'inquiète de plaire, c'était plutôt une tendance autoritaire, un besoin

(1) A. de Margerie, *Saint François de Sales* (Collection « Les Saints » Paris, Lecoffre), p. 58. Tout ce chapitre : *Le secret de la sainteté* est à lire ; nous en avons largement profité, nous souvenant que le *Directoire spirituel* du Bon-Pasteur s'inspire des enseignements de l'*Introduction à la vie dévote*, du *Traité de l'amour de Dieu* et des *Entretiens spirituels*.

naturel de dominer, provenant de son caractère et de son éducation. Dès lors, on comprendra combien il lui en coûtait parfois de plier, de se soumettre à la direction de ses supérieures et de son confesseur. Nous admirons en elle, vers la fin de sa vie, quand elle était supérieure à Porto, son obéissance simple et aveugle à son directeur spirituel et à sa supérieure générale : or, quand on sait que cette incomparable obéissance était une conquête, on peut deviner au prix de quels efforts et de quels combats cette victoire a été remportée.

En même temps que s'opérait cette réforme, se poursuivait en elle ce mouvement ascensionnel vers l'union toujours plus intime avec son divin Epoux : fiancée du divin Cœur, elle deviendra la parfaite *sponsa Christi*. Trois traits caractérisent jusqu'à la fin ses relations avec le Sacré-Cœur : elle est favorisée de communications surnaturelles, elle jouit d'un sentiment mystérieux de la présence divine, et enfin elle se laisse posséder par un amour, de plus en plus fort, de la souffrance. *Pour aimer il faut souffrir et pour souffrir il faut aimer.* Cette maxime était sa pratique autant que sa doctrine. Souffrances *morales* : perplexités au sujet de sa vocation, même après sa profession religieuse : elle sentait un attrait très vif pour la vie contemplative ; sa parenté spirituelle avec la grande contemplative bénédictine, Sainte Gertrude, que Notre-Seigneur lui avait donnée pour sœur — elle devait s'appeler désormais Marie-*Gertrude* du Divin Cœur — s'accommodait fort peu avec la vie du Bon-Pasteur, où elle devait unir les occupations de Marthe à celles de Marie ; perplexités au sujet des communications mêmes, par la crainte d'être le jouet d'une illusion. Souffrances *corporelles* pendant toute sa vie, mais surtout pendant les dernières années, quand la paralysie l'immobilisa sur son lit de douleur. Son plus grand désir était réalisé : Jésus réduisait son être au plus complet anéantissement par le moyen des souffrances, elle était l'épouse crucifiée de l'Epoux crucifié.

S'il ne fallait nous borner, nous aurions bien d'autres choses à dire. Nous espérons que ce que nous avons dit, pour incomplet que ce soit, fera lire cette vie par un grand nombre. Cette lecture profitera à tous : à nous, prêtres, aux religieuses, aux personnes du monde. Par certain côté, que

j'appellerais volontiers accidentel, celui des communications surnaturelles, cette vie est admirable plutôt qu'imitable; mais dans ce qu'elle a de substantiel, elle ne sort pas des voies ordinaires de la sainteté.

Ce que nous ne pouvons pas passer sous silence, c'est que cette vie nous semble renfermer une indication providentielle. Comme nous le disions plus haut, ce vingtième siècle a été redevable à Sœur Marie du Divin Cœur de s'ouvrir sous les auspices du Sacré-Cœur. C'est elle qui doit nous apprendre les obligations qu'entraîne cette consécration du genre humain et les espérances que cet acte nous permet de concevoir pour le salut du monde; elle nous enseigne notamment, et par son exemple et par ses écrits, quelle place occupe dans la dévotion au Sacré-Cœur la pratique de la Communion quotidienne. Ainsi le Décret sur la Communion quotidienne, suivant de si près la consécration solennelle du genre humain au Sacré-Cœur de Jésus, nous apparaît dans toute sa signification: il consacre le plein épanouissement de la dévotion au Sacré-Cœur (1).

H. Mahieu.

***

Bainvel, Lector Theologiæ in facultate catholica parisiensi, *De Magisterio vivo et Traditione.* Paris, Beauchesne. In 8, VIII-159 p.

Inter theologicos tractatus unus inscribitur *de locis theologicis:* in quo exponitur duos esse a Deo concessos fontes e quibus revelationis depositum manat et conservatur a generatione ad generationem, illosque esse Traditionem et S. Scripturam. De primo medio transmittendæ veritatis revelatæ agitur in libro citato et inscribitur *de magisterio vivo* et *traditione* ut significetur « et *organum* divinitus institutum transmittendi veritatem divinitus revelatam, et proprium hujus magisterii *munus* quod est depositum fidei docendo transmittere et fidei imponere doctrinam a Deo per Christum Ecclesiæ commissam » (p. V).

Porro in tres partes dividitur opus, quarum prima demon-

(1) Voir notre opuscule: *Het brood des levens,* L. De Plancke, Brugge, 1906, p. 100 ss.

strat esse institutum a Christo, in Ecclesia, magisterium authenticum cujus munus est docere veritatem revelatam, ac dari proinde traditiones objective spectatas; deinde exponitur quomodo ad invicem se habeant Magisterium et S. Scriptura; in secunda parte exponuntur instrumenta quibus utitur Magisterium ad munus suum adimplendum: ibi, in specie, de auctoritate Patrum, Theologorum, consensus fidelium; tandem tertia pars agit de progressu fidei et inscribitur *de evolutione dogmatis et progressu fidei*. Hæc tertia pars, quæ nostris præsertim diebus, summi est momenti, incipit a refutatione opinionum propugnatarum a Günther, Harnack, Sabatier: deinde exponitur theoria Newmanica, quæ, judicio Auctoris, non differt a sententia quam communiter tenuerunt ac tenent theologi catholici; tandem variis propositionibus sana doctrina explicatur et solide propugnatur de progressu in fide ac in scientia fidei, erroresque refutantur.

Deest tamen quandoque aliqua claritas in loquendo: v. gr. non constat de sensu hujus vocabuli *dogmatis* in denominatione: evolutio dogmatis; præterea thesis 14ª sic exponitur quoad duas partes priores: « 1. Tota revelatio catholica, etsi fuit semper, saltem implicite, in fide Ecclesiæ; 2. Tamen progressum quemdam habet non modo in fide subjectiva fidelium, sed etiam in objectiva propositione et explicatione » (p. 133). Non omnino recte dicitur: revelatio catholica progressum quemdam habet *in fide subjectiva fidelium* — ac in *objectiva* propositione et explicatione. Etenim revelatio, objective spectata, est complexus veritatum a Deo revelatarum: *ille complexus non augetur* post tempus apostolorum. Sed *cognitio* fidelium de illo complexu veritatum revelatarum perficitur et augetur: hæc evolutio, quemadmodum optime dicit A. « Consistit in eo ut explicita aptioribus formulis circumscribantur et definiantur, implicita evolvantur et explicentur, obscura aut ambigua declarentur, minus diserta instantius prædicentur, impugnata defendantur, disjuncta in unum corpus doctrinæ componantur, res fidei analogiis et opere rationis illustrentur » (p. 140). Omnis igitur progressus et evolutio, de qua sermo hic est, pertinet ad *cognitionem fidelium*, sive ad fidem, sive ad fidei scientiam; revelatio vero, objective spectata, est *illud immutabile objectum* circa quod ver-

satur fidelium cognitio et hujus cognitionis progressus (1); porro illius cognitionis expressio est progressus seu evolutionis capax sicut et ipsa cognitio. Non autem videtur distinguendum inter fidem *subjectivam* fidelium et *objectivam* propositionem revelationis: nam propositio seu explicatio revelationis non magis objectiva dici potest quam ipsa fides fidelium cujus est expressio: inde fides et ejus expressio seu propositio sunt *subjectivæ* quatenus considerantur in mente fidelium; sunt *objectivæ* quatenus correspondent objecto seu quatenus sunt *veræ:* objectum vero fidei et ejusdem propositionis non simpliciter augetur, quia objectum revelationis est *in se* immutabile; quoad nos autem, objectum fidei nostræ in tantum augeri dicitur in quantum valet labor noster intellectivus melius et plenius cognoscere et proponere *id quod fuit revelatum*. Quapropter thesim Auctoris proponeremus his verbis: 1. Tota revelatio catholica fuit semper, saltem implicite, in fide Ecclesiæ; 2. Sed progressus habetur in fide fidelium ejusque expressionis, ideoque objectum revelationis et fidei perfectius et plenius in dies cognosci ac proponi potest. — Inde veritates credendæ, singillatim spectatæ, possunt numero augeri: quatenus pluribus et diversis propositionibus explicite proponuntur ea quæ in una propositione possunt esse implicite revelata.

Hæc dicta sunt studio claritatis in re summi momenti, non ut minuatur æstimatio libri egregii in quo lectores invenient compendium optimum doctrinæ catholicæ de depositi fidei transmissione, refutationem errorum quæ hac de re nostris diebus exorti sunt et amplam bibliographiam auctorum præsertim modernorum.

J. Van der Meersch.

***

H. Mazzella, Archiepiscopus Rossanensis. *Tractatus de Virtutibus Infusis.* Editio tertia, recognita et aucta. Romæ, Desclée, 1905.

Illustrissimus auctor varia opera dogmatica Cam. Mazzella, in compendium reduxit, ita tamen, ut ea data occasione etiam emendaverit et novis articulis locupletaverit. Tracta-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 527 s.

tus *de Virtutibus Infusis* (1) 210 paginis nobis exhibet priorem qui 791 paginas complectebatur.

Nostris diebus acriter agitantur controversiæ circa quæstiones quæ in tractatu de Fide solent exponi. Imprimis, quoad ipsorum *dogmatum*, quæ sunt objecta fidei, *originem*, adstruunt adversarii illa esse omnino extranea Christi prædicationi, sed huic prædicationi dogmaticam christianam superadditam fuisse a tardioribus Christi discipulis, sub influxu plurium causarum et præsertim philosophiæ hellenicæ. Quod attinet *valorem objectivum* dogmatum eorumque evolutionem, propugnant non pauci in dogmatibus ab Ecclesia propositis, fieri transitum a sensu pro aliquo tantum tempore opportuno ad alium sensum, a forma quadam relativæ veritatis ad aliam formam.

Insuper *natura ipsius actus fidei* subtilissimæ analysi subjicitur. Alii motiva credibilitatis traditionalia spernunt, vel tanquam insufficientia proclamant, ipsisque substituunt quædam motiva subjectiva, utilia sane, sed quæ per seipsa ad munus ad quod destinantur, prorsus inepta sunt. Alii actum fidei ut motum aliquem voluntatis erga Deum et cæcam quamdam adhæsionem, nulla objectiva ratione innixam proponunt.

Quibus omnibus rationabilitas nostri actus fidei vel in dubium vocatur vel imo prorsus negatur.

Illorum omnium errorum aliorumque similium, nitidam expositionem et seriam confutationem invenire est in prælaudato opere. Ampla traditur litteratura et recentissimorum auctorum qui novas illas quæstiones agitaverunt, citationes fiunt selectæ et lectu perutiles (2). Curam quam præstat Illustrissimus auctor in modernis illis erroribus refutandis, sincero et grato animo extollent illi, quos aliunde offenderet quarumdam quæstionum neglectus, vel quorumdam capitum et articulorum major, quam par est, brevitas (3).

A. Soetaert.

---

(1) Una cum tractatibus: *de Verbo Incarnato* et *de gratia Christi*, constituit volumen III operis, cui titulus: *Prælectiones scholastico-dogmaticæ, breviori cursui accommodatæ.* — Agitur unice de virtutibus *theologicis*.

(2) Citationes omnes, etiam quando desumuntur ex operibus lingua gallica scriptis, fiunt in lingua italica. Fatendum est, utilitatem tractatus ex hoc capite apud plurimos aliquatenus diminutum iri.

(3) Mirum videtur quod auctor, in opere 210 paginarum vix per 8 paginas disseruit de Spe et de Charitate. Ex professo omittuntur quæstiones morales ad illum tractatum pertinentes; sed longior tractatio, licet mere scholastico-dogmatica, de Spe et Charitate merito desiderar videtur.

Collationes Brugenses

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Januarii 1907

—

I

Ostende, textibus ex ipsa epistola desumptis, quænam fuerit occasio scribendæ I ep. S. Joannis et quisnam fuerit scribentis scopus.

II

Quæritur utrum et quo modo actus ut sint de condigno meritorii debeant referri in Deum.

III

Proba, contra Protestantes et Græcos schismaticos, doctrinam catholicam de omnimoda indissolubilitate matrimonii rati et consummati, etiam in casu adulterii, non infirmari ex S. Matthæi c. V, 32, XIX, 9.

IV

An, quandonam et quo jure matrimonium dissolvitur per *professionem religiosam?*

V

Determina potestatem R. Pontificis circa validi matrimonii dissolutionem.

VI

Interpretare articulum XVIII Const. *Officiorum ac munerum.*

Responsa

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Explica I Pet. I, 13-21, ostendendo quomodo auctor lectores ad sanctitatem adhortetur.*

R. Finito satis longo et magnifico epistolæ suæ exordio, ad sanctitatem christianam seu virtutum supernaturalium officia incipit lectores exhortari. In hac autem pericopa, tria allegat motiva seu argumenta ut eos ad sanctitatem vitæ adhortetur.

I. **Primum argumentum: Deus, Pater vester, sanctus est,** vv. 13-16: 13. *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jesu Christi:* 14 *quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis:* 15 *sed secundum eum, qui vocavit vos, sanctum: et ipsi in omni conversatione sancti sitis:* 16 *quoniam scriptum est: Sancti sitis quoniam ego sanctus sum.*

Explicatio. Proponitur imprimis exhortatio ad sanctitatem (13-14), cui exhortationi primum argumentum annectitur (15-16).

13. *Propter quod:* (3-12) cum tanta sit excellentia salutis christianæ quam accepistis, reddite vos illa dignos per vitam sanctam, a pristina vestra conversatione prorsum alienam. *Succingite lumbos mentis vestræ.* Metaphora ἀναζώννυμι desumitur ab orientalibus qui, ne vestibus quas gestabant laxis et ad imos usque pedes demissis impedirentur, iter facturi aut opus aliquod aggressuri colligare eas et cingulo coriaceo adstringere solebant (*Lc* XII, 35; *Eph.* VI, 14): *mentem* refrænate ab omni cupiditate qua impeditur ne expedite et libere Deo serviat. *Sobrii* intellige de sobrietate mentis cui

opponitur ebrietas spiritualis, proin de conversatione sancta filiorum lucis: abstinete ab omni opere malo.

Perfecte firmiter et constanter *sperate in gratiam sc.* vitam æternam (*Rom.* VI, 23) *quæ offertur*, tribuitur (τὴν φερομένην) *vobis*, seu potius quæ *tribuetur* vobis (part. præs. adhibetur de re proxime futura), *in revelatione* (ἐν ἀποκαλύψει, notat dat., loco cujus Vulg. posuit accus.) Jesu Christi, i. e. quæ dabitur vobis quando Jesus Christus revelabitur, quando in altero adventu veniet judicare vivos et mortuos. Accusativus *revelationem* in Vulg. eodem sensu accipiendus est, hoc modo: *sperate in revelationem. Nota* vitam æternam meritò dici *gratiam*, cum simul meritum sit et gratia, utpote præmium ex gratia comparatum.

14. Estote *filii obedientiæ* (hebraismus; cf. *II Pet.* II, 14; gen. possess. vel qual.) i. e. filii obedientes doctrinæ evangelicæ (v. 2 et 22), voluntatem Dei, patris vestri, in omnibus perficientes, proinde non conformati, i. e. alieni a malis istis *desideriis* seu cupiditatibus, in quibus olim *(prioribus)*, tempore *ignorantiæ vestræ,* ante conversionem (præsertim gentiles), tenebris errorum obvoluti vivebatis (1).

15 et 16. Quomodo debent esse *filii obedientiæ? Ipsi* vos *in omni conversatione*, seu in tota vita, *sancti sitis* (fiatis) sicut sanctus est *(secundum)* Deus, qui vocavit vos ad christianismum. Igitur sanctitas Dei est exemplar et ratio impellens sanctitatis nostræ. Ratio autem illa colligitur e *Lev.* XI, 44; 19, 2; XX, 7: *Sancti eritis* (fut. loco imperativi) *quoniam ego sanctus sum,* ubi populus Israel, et a fortiori populus christianus, verus populus Israel, ad sanctitatem monentur.

II. **Secundum argumentum: sancti estote quia Deus vos severe judicabit,** v. 17: *Et si patrem invocatis eum,*

---

(1) Lectores epistolæ partim ex Judaismo partim ex paganismo oriundi erant. Cf. Van Steenkiste-Camerlynck, *Epistolæ Catholicæ,* Brugis, 1907, p. 73 s.

qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini.

Explicatio. 17. Deum quidem invocatis tamquam *patrem vestrum* (probabiliter fit allusio ad orationem Dominicam), sed non ideo falsæ securitati vos tradatis: pater ille simul est judex justissimus, qui non respiciens conditiones nec qualitates externas *personarum* (cf. *Act.* X, 20; *Mt* XXII, 16; *Jac.* II, 1-4), *judicat secundum uniuscujusque opus* et meritum; proinde debetis *in timore* quodam sancto, qui vos ad vitæ sanctitatem urgeat, *conversari,* quamdiu ut peregrini et advenæ in his terris ambulatis (*tempore vestri incolatus,* παροίκιας, *habitationis in terra peregrina*). Vera enim christianorum patria est in cœlis (1).

III. **Tertium argumentum: Sancti estote quia magno pretio redempti estis** (vv. 18-21): adeoque vos gratos, hujus maximi beneficii memores exhibeatis. 18. *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis:* 19. *sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati:* 20 *præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos,* 21 *qui per ipsum fideles estis in Deo, qui suscitavit eum a mortuis, et dedit ei gloriam, ut fides vestra, et spes esset in Deo.*

Explicatio. 18-19. *Scire* autem et perpendere debetis *quod* magno pretio a Deo *redempti estis* (ἐλυτρώθητε a λύτρον: pretium redemptionis pro servis et captivis) *de vana mala vestra conversatione,* in qua sicut patres vestri vivebatis *(paternæ traditionis),* et proinde ad sanctitatem adducti fuistis. V. 18 melius quadrat in Gentiles quam in Judæos: Judæi quidem habebant *traditionem paternam* (*Mt* II, 3) legi Dei oppositam

(1) Cf. suprà v. 1 et infrà II, 11.

adeoque vanam; verùm ματαίος (vanus) constanter de idololatris usurpatur (*Act.* XIV, 15); præterea Ethnici traditionibus paternis valde inhærebant (1). Magnitudo autem pretii, pro nostra redemptione et sanctificatione soluti, exprimitur per hoc quod omne *aurum et argentum* superare affirmatur: istæ enim res sunt *corruptibiles* et terrenæ; sanguis autem, qui pro nobis effusus est, est *sanguis Christi, agni immaculati* (sine ullo defectu peccati; cf. II, 22-24) *et incontaminati* (sine ulla macula morali) sanguis infiniti meriti, pretium incorruptibile, inexhaustum, cœleste, divinum. Cogitat S. Petrus agnum paschalem *Ex.* XII, 5, cujus physica seu corporalis perfectio figura erat perfectionis moralis Christi seu immunitatis ab omni labe peccati; cf. etiam *Is.* XLIII et *Jo.* I, 19.

20 et 21. Qui Christus *ante mundi constitutionem:* ante posita mundi fundamenta i. e. ab æterno fuerit *præcognitus,* æterno Dei decreto ad illud opus prædestinatus *Act.* II, 23; V, 18; III, 18, suprà v. 2. Nostris autem *temporibus* (hac nostra ætate, quæ est ultima mundi epocha, fini (2) propinqua, *novissimis temporibus*) *manifestatus est* in carne et opus redemptionis perfecit (*Col.* I, 26), (pro omnibus hominibus et notatim et efficaciter) *propter* vos quidem, qui per ejus merita fidem amplexi estis *(qui per ipsum fideles estis in Deo).* Propter vos etiam *suscitatus* fuit *a mortuis* et assumptus in *gloriam* cœlestem, adeo *ut* (ὥστε, non ἵνα *eo fine ut) fides vestra et spes sint in Deum* (εἰς Θεὸν minus accurate *in Deo*, Vulg.): quum enim credatis Deum Christum a mortuis suscitasse et in cœlum assumpsisse, speratis fore ut vos etiam, qui membra estis corporis ejus, suscitet et glorificet. S. Petrus resurrectionem Christi

---

(1) Cf. Bigg, *Commentary on the epistles of St Peter and St Jude,* Edinburgh, 1902, h. l.

(2) De parousia Christi v. *Collat. Brug.*, suprà, p. 117, n. Addi possunt quæ reperiuntur apud Van Steenkiste-Camerlynck, *o. c.*, p. 191.

eminenter proponit ut fundamentum fidei et spei : II, 32-36 ; III, 15 ; IV, 10 (1).

A. CAMERLYNCK.

II

Q. *Expone conditiones requisitas ad meritum de condigno* ex parte personæ operantis.

R. Illæ conditiones sunt status *viæ* et status *gratiæ*.

1. Si agitur de *præmio essentiali,* nempe de ipsa intuitiva Dei visione acquirenda, patet requiri seu præsupponi statum *viæ:* eo enim ipso quo homo adipiscitur illam beatitudinem, ponitur in statu *termini:* nam visio Dei intuitiva est ipse ultimus finis.

Per se, seu ex natura rei, non repugnat ut homo possit in statu termini mereri *augmentum gloriæ* vel *accidentalem* gloriam ; attamen « etsi aliqui Theologi olim docuerint, posse beatos et animas purgatorii quidquam aliis, aut sibi ipsis accidentale aliquod præmium mereri, sententia tamen jam communis, post d. Thomam (2), id negat » (3).

Sed quousque extenditur status *viæ?* Status viæ formaliter significat statum entis, intellectu præditi, ponb nondum adeptum est ultimum suum finem illumque potest merito obtinere (4). Per se, seu ex natura rei, non repugnat ut status viæ protrahatur ultra hominis mortem.

De facto tamen duratio status viæ eadem est ac

---

(1) Cf. CEULEMANS, *Commentarius in epistolas Catholicas et Apocalypsim,* Mechliniæ, 1904, p. 61 s.; E. KUCHL, *Die Briefe Petri und Judæ,* Goettingen, 1897, p. 108 ss.; PLUMPTRE, *The general Epistles of St Peter and St Jude,* Cambridge, 1903, p. 100 ss.

(2) Cf. In III, D. XVIII, Q. I, a. 2, ad 2 ; I, Q. LXII, a. 9.

(3) CARD. MAZZELLA, *De Gratia,* Romæ, 1892, n. 1153 ; cf. SUAREZ, *De Gratia,* L. XII, c. 15, n. 1, 2.

(4) Cf. S. THOMAS, III, Q. XV, a. 10.

duratio vitæ hominis hac in terra: hæc limitatio provenit ab ipsius Dei ordinatione, quæ tamen naturis rerum bene accommodata est.

Statum viæ *limitari ad durationem hujus terrestris vitæ* est fide certum: « Sacrosancta Romana ecclesia dicit et prædicat.... illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas » (1). Igitur post mortem homo nequit mereri ultimum suum finem, sed cum ipso statim conjungitur, nisi obstet *impedimentum* a parte hominis.

Quod autem *non possit ultra mortem sibi mereri* **augmentum gratiæ** et **gloriæ**, hoc recte deducitur ex illo textu *S. Pauli:* « Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis (τὰ διὰ τοῦ σώματος) prout gessit sive bonum sive malum » (2). Hîc docet S. Paulus: omnes homines, (tam ii qui vivent tempore ultimi judicii, quam ii qui jam mortui erunt) ante tribunal Christi manifestabuntur quales fuerunt: ut unusquisque retributionem recipiat eorum quæ fecit *dum in corpore mortali erat*, præmium nempe aut pœnam, prout bonum vel malum operatus sit. Apostolus exhibet præmium cœleste tamquam aliquid pro unoquoque determinatum et proportionatum operibus quæ fecit *tempore vitæ terrestris:* supponit homines, qui ante ultimum judicium mortui erant, *non meruisse* augmentum præmii cœlestis post mortem: secus præmium non proprie proportionaretur

---

(1) *Confessio fidei Michaelis Paleologi,* DENZINGER, *Enchiridion,* n. 287. Quoad hujus theseos demonstrationem, cf. JUNGMANN, *De Novissimis,* n. 156.

(2) 2 Cor. V, 10.

seu vere mensuraretur operibus quæ facta fuerunt tempore mortalis vitæ. Illud cœleste præmium includit imprimis ipsam intuitivam Dei visionem, quum sit essentia beatitudinis supernaturalis: hæc autem dicitur dari secundum opera hujus vitæ: ergo post hanc vitam non jam occasio datur merendi augmentum visionis beatificæ, nec consequenter augmentum gratiæ, quum hæc duo sibi invicem correspondeant necesse sit.

Sed, ut videtur, ulterius possumus ex allato textu deducere **nullum dari meritum** *post hanc vitam*, neque ad accidentale præmium. Et sane Apostolus hîc considerat cœlestem mercedem *integram,* qualis hæc erit unicuique post resurrectionem corporum in ultimo judicio, statuitque illud præmium proportionari operibus in corpore factis. — In hoc sensu interpretatur *S. Augustinus* textum: « Cur autem dictum est, *secundum ea quæ per corpus gessit* hominem judicandum, quum gerantur multa solo animo, non per corpus nec per ullum corporis membrum? Quid est ergo *secundum ea quæ per corpus gessit,* nisi secundum ea, quæ gessit eo tempore, quo in corpore fuit, ut *per corpus* intelligamus *per corporis tempus?* Post corpus autem nemo erit in corpore nisi resurrectione novissima, non ad ulla præmia comparanda sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, pro malis luenda supplicia » (1).

Nullum dari meritum post mortem *confirmatur* ex illis S. Scripturæ locis quibus monemur tempus hujus vitæ dari ad salutariter agendum, ultra hoc vero non esse tempus operandi sed quiescendi et fruendi: « Me oportet operari..... donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari » (2). Nox est tempus mortis: sententia autem est generalis: morte adveniente, jam nemo potest operari; inde concluditur: nemo tunc

(1) *De prædestinatione Sanctorum,* 12. Cf. CORNELY, *Comment. in epistolam ad Corinthios alteram,* Parisiis, 1892, p. 154.

(2) Jo. IX, 4.

potest personaliter agere in ordine ad salutem obtinendam vel ad beatitudinem augendam.

Ad strenue operandum opera salutaria adhortatur Apostolus et distinguit tempus seminandi, nempe in hac vita, et tempus metendi, nempe in altera vita : « Quæ enim seminaverit homo hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum (i. e. quamdiu) tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei » (1).

Præterea in ipsa humana natura invenitur valida *ratio cur tempus merendi non protrahatur ultra hujus vitæ tempus*. Homo enim est substantialiter unum, est compositum: illud ens debet mereri cœleste præmium: inde, dissoluto composito humano, *connaturaliter* cessat tempus merendi. Quod ut melius intelligatur considerari oportet humanam voluntatem, ex natura sua, immobiliter adhærere fini cui adhæret in instanti mortis: inde consentaneum est omnino ut *statim* post mortem actu conjungatur cum ipso Deo, si meritus sit illum finem possidere, nisi obstent pœnæ luendæ: consequenter etiam connaturale est ut gradus perfectionis illius conjunctionis proportionetur meritis hujus vitæ et postea non augeatur. — Tandem conveniens est ut *post resurrectionem* non concedatur homini tempus merendi quodcumque præmium: nam si adhuc daretur facultas merendi, hæc in æternum concedenda foret, quum nulla esset ratio illam coarctandi ad determinatam durationem; præterea status resurrectionis est status homini indebitus, qui se habet tamquam complementum ultimum felicitatis (vel infelicitatis) perfectæ et jam immutabilis.

---

(1) *Gal.* VI, 8-10.

2. Requiritur status *gratiæ*.

a/ Hoc constat ex *S. Scriptura:* « Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis » (1). Hæc intima et perfecta unio cum Christo, quæ hîc docetur prærequiri ad omne opus salutare et proinde meritorium, includit evidenter gratiam sanctificantem.

b/ Hoc constat etiam *ex doctrina Ecclesiæ,* præsertim ex damnatione plurium propositionum *Baii.* Damnatæ fuerunt sequentes propositiones (2): (12) « Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium. — (17) Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum » — Non solum statuit Ecclesia non esse *Pelagii* doctrinam, quæ asserit necessitatem gratiæ sanctificantis ad meritum; sed ulterius positive statuit rationem meriti provenire ex gratia sanctificante, damnando sequentes propositiones: « (13) Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi. — (15) Ratio meriti non consistit in eo, quod, qui bene operantur, habeant gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obediunt divinæ legi ».

c/ Demonstratur *ex ratione theologica.*

α. In præsenti Providentiæ ordine, omnis homo qui caret gratia sanctificante est peccati (saltem originalis) reus et consequenter pœnæ æternæ; ideoque nequit in hoc statu operari ita ut jus acquirat ad præmium seu beatitudinem æternam: ergo requiritur gratia tamquam *removens prohibens,* removens nempe peccatum.

β. Ut meritum sit condignum debet esse quædam

(1) Jo. XV, 4.

(2) Denzinger, *Enchiridion,* n. 892, 897, 893, 895.

æqualitas vel saltem proportio inter opus et præmium, nempe quædam æqualitas inter valorem operis in ratione *obsequii* et valorem mercedis. Jamvero valor operis in ratione *obsequii* dependet imprimis a dignitate personæ operantis: honor enim eo est major quo excellentior est ipse honorans: ideoque opera Christi sunt infiniti valoris in ratione obsequii quia procedunt a persona dignitatis infinitæ, nempe divinæ. Porro vita æterna, nempe visio beatifica, est bonum omnino indebitum cuilibet creaturæ, nec ullus actus creaturæ proportionatur tali bono: quum enim creatura sit naturaliter *serva* respectu Dei, obsequium ejus non proportionatur alicui bono quod est *ipsius Dei proprium*. Ut ergo homo possit mereri de condigno vitam æternam oportet ut ejusdem natura elevetur et fiat *particeps divinæ naturæ:* tunc homo tamquam *filius* adoptivus Dei facere potest opera quæ sunt *in eodem ordine* cum visione beatifica, et quorum valor obsequii est proportionatus *ipsi unioni* cum Deo, quæ ut præmium datur (1).

Notandum quod, si homo sine gratia sanctificante nequit mereri de condigno vitam seu gloriam æternam, non potest etiam sine illa gratia mereri augmentum gloriæ; insuper, qui nondum est sanctificantem gratiam assecutus, nequit ejusdem augmentum mereri. Tandem « sequitur eum qui non potest mereri de condigno vitam æternam, nihil aliud de condigno mereri posse. Nam quidquid mereri possumus de condigno præter vitam æternam, id est præter beatitudinem essentialem, vel est aliquid accessorium ad illam, ut est in universum omnis gloria accidentalis; vel est aliquid prærequisitum, seu conducens ad consecutionem illius,

(1) Cf. S Thomas, in II, Dist. XXVII, Q. I, a. 5, ad 3; Bellarminus, *De Justificatione,* L. V, c. 12, n. 14; Jungmann, *De Gratia,* n. 362; Card. Mazella, *o. c.,* n. 1157 ss.; Pesch, *Tractatus dogmatici,* T. V, Friburgi Br. 1897, n. 416; Terrien, *La Grâce et la gloire,* Paris, 1897, T. II, p. 22.

ut est omnis gratia, quæ in statu viæ datur. Nemo autem potest mereri accessorium ad vitam æternam, nisi hanc etiam possit mereri, quia accessorium sequitur principale; et sicut non fit, vel datur quasi per se, sed *confit*, ut ita dicam, seu datur ut consequens vitam æternam, ideo non cadit sub meritum, nisi ut consequens ad meritum illud » (1).

J. VAN DER MEERSCH.

III

Q. *Quam obligationem inter sponsos inducunt sponsalia?*

Respondetur.

A/ Inducunt obligationem gravem justitiæ contrahendi matrimonium congruo tempore.

Explicatio : Obligatio a sponsis suscepta ad invicem, est

1°/ obligatio *justitiæ;* sponsalia namque constituunt, uti suprà vidimus, contractum bilateralem, per consensum mutuum in effectum juris stricti;

2°/ *gravis,* cum agatur de materia gravi, de matrimonio nempe ineundo; quam obligationis gravitatem confirmat sensus Ecclesiæ (2), de quo constat ex variis Causis sponsalium, in Curia Romana actis (3), necnon

---

(1) CARD. MAZELLA, *o. c.*, n. 1159.

(2) In Jure Romano, « les fiançailles, fort importantes dans les vieux usages des Latins, avaient vu singulièrement diminuer leur valeur juridique dans le droit romain de l'époque classique. Elles n'engendraient plus aucune obligation, chaque partie étant libre de les rompre à son gré, et n'avaient plus d'autre sanction que la perte des arrhes qui pouvaient avoir été données lors de leur conclusion. Elles restaient cependant fort usitées. Lorsque commença la décadence, par un phénomène singulier, mais qui s'est reproduit pour plus d'une institution, elles reprirent peu à peu une importance nouvelle ». ESMEIN, *Le mariage en droit canonique,* I, p. 102.

Jus civile Belgicum, uti innuitur in art. 172, nullam obligationem agnoscit ex sponsalibus deductam. Quoad jus civile alibi vigens, cf. SCHERER, *Handbuch des Kirchenrechtes,* 110, VIII.

(3) Cf. FEYE, *De Impedimentis matrimonii,* n. 557, quo loco variæ causæ referuntur.

ex decretis in hac re latis, signanter c. 10, l. IV, Decr., tit. 4 (1);

3°/ matrimonium ineundi *congruo tempore,* tempore scilicet ab ipsis contrahentibus statuto (2), vel, si nullus terminus fuerit præfinitus, tempore ab usu et consuetudine determinato, (3), aut a judice ecclesiastico determinando (4).

Ex hac descripta obligatione sequitur sponsum, contractum injuste resilientem, gravem incurrere injustitiæ reatum, illumque, si ob graves rationes, non est ad ma-

---

(1) Ibidem statuit Alex. III, in casu, sponsum, resilire volentem, cogendum esse etiam *per censuras* ut matrimonium ineat; licet autem agatur de sponsalibus juratis, ad illa non est restringenda disciplina hic applicata. Cf. REIFFENSTUEL, *Jus canonicum universum,* ad h. l., n. 152; WERNZ, *Jus Decretalium,* IV, n. 100, not. 103 et 104; SCHERER, o. c., n. 101 et 102.

(2) Rationem hic habemus solius contractus, quin attendantur specialia adjuncta, ob quæ citius urgeri posset matrimonium celebrandum, puta ratione occasionis proximæ peccandi, vel ratione infamiæ vitandæ in sponsa impregnata.

(3) In Jure Romano « wenn auch in der Regel ein bestimmter Termin für die Eheschliessung nicht fixirt war, so brachte es doch die sitte mit sich, die Hochzeit möglichts bald der Verlobung folgen zu lassen. Die lex Julia et Papia Poppæa traf sogar eine diese Sitte unterstützende gesetzliche Bestimmung, und auch in der späteren Kaiserzeit galt es als die Regel die Sponsalien nicht über zwei Jahre hinaus dauern zu lassen ». SCHLING, *Die Unterscheidung der Verlöbnisse im kanonischen Recht,* Leipzig, 1887, p. 21-22.

In Jure canonico non habetur terminus statutus, sed, in defectu expressæ voluntatis contrahentium, valent principia generalia contractuum: « Quod si pure et simpliciter contracta fuerint sponsalia, rigore juris statim cedit et venit dies explendæ obligationis. Talis enim est indoles contractuum, quibus nec dies adjectus fuerit nec conditio. Verum ipsa præsumptiva intentio utriusque sponsi suadet aliquod tempus (juxta mores patrios computandum) sibi invicem concessisse ante celebrationem matrimonii: secus enim, si omnia in promptu fuissent, omniaque plana et expedita, certe non sponsalia sed ipsum matrimonium contraxissent ». SANTI, *Prælectiones Juris Canonici,* t. IV, ad l. IV, tit. 1, n. 37.

(4) Resolvit S. C. C. 1713: « quatenus sponsalia fuerint contracta indefinitè absque tempore limitato, posse superiorem... tempus celebrandi matrimonium sponsis præfigere, eoque elapso, facultatem concedere cum aliis contrahendi ». Cf. GASPARRI, *Tract. canonicus de Matrimonio.* I, n. 68.

trimonium adigendus, teneri ad resarcienda damna, si quæ parti læsæ fuerunt illata (1). Imo, licet pars injuste derelicta nullum inde detrimentum capiat, potest tamen, etiam per interventum judicis, ab altera parte exigere compensationem, in pœnam pro fide fracta et satisfactionem pro injuria irrogata (2).

B/ Inducunt etiam obligationem, priori nitentem, ut sponsi seipsos non reddant ad matrimonium ineptos, puta ex impotentia, vel notabiliter deteriores, defectum voluntarie contrahendo quo notabiliter vilescant in ordine ad nuptias promissas ineundas (3).

Ratio est quia in ipso consensu circa matrimonium postea ineundum, implicite continetur conventio mutua de non impedienda executione promissionis per obstaculum voluntarie opponendum. Aliis verbis in sponsalibus conceditur, non quidem jus in re, sed *jus ad rem* in corpus mutuum, jus nempe ad jus in re, seu jus in futurum usum corporis: quod importat jus ad hoc ut corpus illud non reddatur usui conjugali ineptum vel notabiliter minus aptum.

Adnotatio.

1°/ In hisce actum est unice de obligatione oriente ex sponsalibus qua talibus, relicta peculiari obligatione sponsis forte incumbente ratione juramenti additi, vel ratione specialis alicujus pacti contractui accedentis,

---

(1) Cf. Reiffenstuel, l. c., n. 168.

(2) Ibidem, n. 169: « Etiamsi ex dissolutione sponsalium pars innocens nullum patiatur damnum, potest nihilominus ab altera parte, quæ sine legitima causa ab obligationis vinculo liberari vult, aut nubere renuit, satisfactionem prætendere ac pacisci, potestque eam judex non tantùm concedere, sed etiam debet ad eam compellere reum, si nullam aliam legitimam habet resiliendi causam, quam quia nubere huic, cui promisit, non vult ».

(3) In Jure Romano, uti notat Esmein, o. c., p. 102, « déjà au 3e siècle, la peine de l'adultère avait été édictée contre la fiancée infidèle, aussi bien que contre l'épouse coupable »; l. 13, § 3, D. XLVIII, 5. In Jure *germanico* antiquo, « la fiancée était tenue à la fidélité et le fait par elle d'entretenir des relations avec un autre homme que son fiancé était puni comme un adultère ». Ibidem, p. 103.

omissa etiam quæstione circa obligationem consequentem sponsalia conditionatè inita.

2°/ Attentis dictis sub B, solvi potest quæstio multùm disputata, utrum necne *sponsi, fornicando cum tertia persona, speciali injustitiæ malitiæ, in confessione declarandæ, sint obnoxii erga alteram partem:* quod dubium solvendo, alii gravis injustitiæ reum proclamant tam sponsum quam sponsam fornicantem, alii solam sponsam, dum alii tandem utramque partem a gravi injustitia, saltem probabiliter, excusandem putant.

Jamvero præferendam ducimus primam sententiam, quatenus utrique parti fornicanti gravis injustitiæ reatus sit agnoscendus.

Et requidem vera admodum urget ratio modò adducta, quatenus nempe per sponsalitiam fidem suscepta est, non tantùm obligatio matrimonium ineundi, sed et obligatio, in priori implicitè contenta, non reddendi corpus ad usum conjugalem ineptum aut deterius: per fornicationem namque non parùm corrupti censentur sponsi ac polluti respectu matrimonii ineundi; et ita graviter violatur præstita fides sponsalitia (1).

Quodsi gravior apparet injuria sponso illata per sponsam fornicantem quam sponsæ per fornicationem sponsi, absoluta tamen gravitas injuriæ in neutro casu videtur deneganda, saltem, quod hic supponitur, si agitur de honestis familiis (2): quæ gravitas injuriæ vel ex eo apparet quod passim vehementur offenditur sponsa ho-

---

(1) Quod per fornicationem violetur sponsalitia fides, hoc confirmat c. 25, l. II Decr., tit. 24, ubi Innocentius III hæc decernit: « si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere præcedentem; sed subsequentem, ut illam non ducat in uxorem; quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi: *si videlicet illa* (sponsa) *contra regulam desponsationis non venerit* ». Cf. etiam c. 22, l. IV, Tit. 1.

(2) Profectò si talis sunt conditionis sponsi ut se invicem pollutos sciant, ac parum curent de mutua honestate, non multùm fœdari sibi invicem videbuntur ex nova fornicatione, ac nullam vel levem habebunt injuriam, non tantum si sponsus fornicetur, sed etiam si sponsa.

nesta, hujusmodi defectum in sponso detegens, quodque ordinariè sponsalia reddit solubilia ad nutum partis innocentis.

Huic sententiæ severiori non pauci favent Auctores, tum antiquiores, quos referunt ac sequuntur SALMANTICENSES (1), tum recentiores, inter quos BANGEN, *Instructio practica de sponsalibus et matrimonio,* I, p. 13, et signanter ROSSET, *De sacramento matrimonii,* t. II, n. 957-964, et BALLERINI-PALMIERI, *Opus morale,* t. VI, n. 148-163, qui duo ultimi intrinsecam probabilitatem contrariis sententiis inhæsitanter denegant (2); plerique autem theologi moderni (3), rem dubiam proclamantes, adeoque pœnitentem eximentes ab obligatione dictam circumstantiam declarandi, plerique, inquam, omissa rationum discussione, unice nituntur auctoritate extrinseca, signanter S. Alphonsi, cujus vel verba mere referunt vel auctoritatem invocant (4).

---

(1) *Cursus theologiæ moralis*, tr. IX, cap. 1, P. I, n. 11: « Verior et probabilior est tertia sententia asserens quod peccatum fornicationis ex parte utriusque, in tali casu, indueret malitiam specifice diversam, in confessione aperiendam.... unde aperienda est in confessione hæc circumstantia a sponso ».

(2) Eamdem sententiam tuetur Bened. XIV, *Instit.* 46, n. 19: « licet id (commercium carnale post sponsalia) peccatum inter lethalia adnumeretur, et, juxta scriptorum opinionem, mentio de sponsalibus in confessione fieri debeat, quæ confessarii judicium graviter immutant... ».

(3) GASPARRI, o. c., n. 66; GENICOT, *Theologia moralis*, t. II, n. 444, sub III; NOLDIN, *De Sexto Præcepto,* n. 19; LEHMKUHL, *Theol. moralis,* t. II, n. 664; BUCCERONI, *Theol. moralis,* t. II, n. 948; MARC, *Institutiones morales,* t I, n. 775; AERTNYS, *Theol. mor.*, t. II, n. 429.

(4) Hujusmodi methodum, in dirimendis controversiis moralibus nonnunquam usurpatam, quatenus sola invocatur auctoritas unius alteriusve Doctoris, quantumvis eximii, non immeritò irrident alii, utpote parùm scientificam, ac progressui scientiæ theologicæ adversantem: ac sane magis insistendum foret rationibus intrinsecis, omni quidem reverentia servata erga privatos Doctores, non tamen nimium exaggerata, quasi ipsis infallibilitas fuerit promissa. Qua occasione non displiceat referri nervosè dicta *Durandi:* « Modus loquendi ac scribendi in cæteris quæ fidem non tangunt, est ut magis innitamur rationi quam auctoritati cujuscumque Doctoris, quantumcumque celeber vel solemnis; et parvipendatur omnis humana auctoritas, quando per rationem elucescit contraria

Ex quibus omnibus attentis meritò eruendum videtur solam sententiam severiorem esse intrinsece probabilem, adeo ut, re objectivè spectata, sponsi, cum tertia persona fornicantes, teneantur in confessione aperire sponsalium circumstantiam, utque confessarius de ea, pro opportunitate, interrogandum habeat. Quodsi *alicui intrinseca improbabilitas sententiæ contrariæ non sit perspecta,* potest, *nitendo ejusdem probabilitate extrinseca,* benigniorem sententiam amplecti ac in praxim deducere.

Cæterum interrogatio circa sponsalia, ubi ad normam prædictorum esset facienda, vix oneri erit confessario, cum sæpe sæpius, ex aliis interrogationibus, ad integritatem procurandam vel directionem dandam (1), aliunde faciendis, illa circumstantia sponte sit manifestanda.

IV

Q. *Quomodo procedat oportet parochus quando instanti matrimonio opponuntur sponsalia ab alterutro sponso cum tertia persona olim contracta?*

En casum, quem intendimus concretum: Occasione proclamationis matrimonii proximè ineundi inter Titium et Titiam, ad parochum accedit mulier dicto matrimonio obsistens ex eo quod Titius cum ipsa sponsalia contraxerit olim. Quid facto opus?

---

veritas. Quamvis enim captivandus sit intellectus noster in obsequium Christi, et, in his quæ fidem tangunt, plus acquiescere debeamus auctoritati S. Scripturæ quam cuicumque rationi humanæ... tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam, incidit in insipientiam.... Compellere seu inducere aliquem ne doceat vel scribat dissona ab iis quæ determinatus doctor scripsit, est... præcludere viam inquisitioni veritatis et præstare impedimentum sciendi, et lumen rationis non solum occultare sub modio, sed comprimere violenter. Nos igitur plus rationi quam cuicumque auctoritati humanæ consentientes, nullius puri hominis auctoritatem rationi præferimus, attendentes quod omnibus existentibus amicis sanctum est præhonorare veritatem ». *Libri IV commentariorum super sententias Petri Lombardi,* sub fine *Præfationis.*

(1) Tales sunt interrogationes utrùm fornicatio sit admissa cum persona conjugata, utrum cum persona respectu cujus pœnitens versetur in occasione proxima, vel quam procando frequentet, etc.

Respondetur.

I/ **Inquirendum** est a parocho 1/ circa factum sponsalium quondam initorum inter Titium et actricem, eorumque validitatem; tum 2/ circa solutionem eorumve solubilitatem ad nutum Titii, utrum nempe deinceps non fuerint legitime soluta, vel rescindibilia evaserint ad arbitrium sponsi.

Profectò non illicò fides est adhibenda actrici sponsalia asserenti, cum non rarò hujusmodi oppositio malitiosè procedat ex invidia vel vindicta; sed, ex alia parte, non potest parochus, absque prævio examine, eam repellere ejusque causam abjicere, cum jure suo utatur præfata mulier, si ejus assertio veritate nitatur.

Benigne igitur recipiatur et accuratum instituatur examen, cautè tamen et prudenter, ne publicum reddatur negotium, commoveatur populus vel et sponsus infametur aut jurgia suscitentur. Conetur nimirum providus parochus ab ipsa muliere, oppositionem movente, discere utrum vera ac mutua promissio fuerit facta matrimonii, et non merum propositum dumtaxat vel unilateralis promissio, eam prævie instanter monendo de non occultamda veritate: ad hoc autem recurrat, præter illius oralem confessionem, ad varia indicia, quæ forte suppetunt, putà si jam examen subierant antenuptiale, domum locaverant, annulum sponsalitium mutuò dederant, et ita porrò.

Quodsi in neutrum sensum certitudo acquiratur, caute advocare potest parochus unum alterumve testem discretum, vi cujus testimonii probatio perficiatur, vel, in quantùm prudenter fieri potest, ipsius Titii testimonium exquiratur.

Constito de initis sponsalibus, iisque validis, ulterius indagandum est utrum non fuerit ritè soluta, sive ex mutuo consensu, sive ex causa aliqua canonica, vel saltem solubilia evaserint ad nutum Titii.

II. **Examine instituto:**

A/ si **certum** *reperiatur ac exploratum non fuisse con-*

tracta sponsalia vel celebrata fuisse nulliter, non est attenda oppositio, ac *ordinariè* nihil impedit quominus parochus *proprio marte* prosequatur proclamationes bannorum, si quæ supersunt, ac ad matrimonii celebrationem procedat.

Quod valet etiam pro casu quo *constat* de solutione sponsalium, eorumve rescindibilitate ad arbitrium nupturientis Titii (1).

Dicitur : *ordinariè,* quia

a/ potest fieri ut prævie requiratur interventio auctoritatis ecclesiasticæ, puta, ratione scandali vitandi, « si causa resiliendi non fuerit publice et sufficienter cognita, et e contra communiter cognoscantur sponsalia valida (2) ».

b/ pariter non posset parochus procedere, si pars opponens recurrerit ad Episcopum, et hic tulerit decretum inhibitorium.

c/ casu quo olim valida extiterint sponsalia, sed soluta evaserint aut ad nutum Titii solubilia, matrimonium foret impediendum inter Titium et *personam cum actrice in primo gradu consanguineam:* subsistit namque, etiam post sponsalium dissolutionem, impedimentum dirimens *publicæ honestatis,* super quo prævie impetrandam esse dispensationem liquet (3).

B/ Si, examine peracto, parocho **dubia** apparent *sponsalia, eorumve valor, aut solutio aut rescindibilitas,* nec potuerit rem amice componere, causa deferenda esset *ad Episcopum,* suspensis interea proclamationibus antenuptialibus.

Solus namque Episcopus est judex fori externi (4),

---

(1) Moneat opponentem quam gravis sit in ea re calumnia, cum ex ea jurgia, damna et scandala soleant evenire, quam grave sit peccatum ita malitiosè impedire matrimonium. Cf. BANGEN, *Instructio practica de sponsalibus et matrimonio,* I, p. 71.

(2) SANTI, *Prælectiones juris canonici,* in l. IV Decr., Tit. I, n. 69.

(3) Cf. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio,* t. I, n. 110, ubi 4m exceptionem, minoris momenti, adducit.

(4) C. Trid., Sess. XXIV, c. 20 *De Reformatione.*

cui competat lites judicialiter dirimere ac dubia solvere ad forum externum pertinentia; parochus vero non agit nisi munus quasi causæ instructoris, extra formam judicialem, licet potest, uti vidimus, quando explorata res est, nec ad forum contentiosum deducta, causam declarare solutam, salva utique in omnibus dependentia a judicio Episcopi (1).

Expectanda est igiter sententia vel declaratio Ordinarii, qui, in judicio ferendo, attendet ad juris principia, quatenus nempe:

a/ ad concludendum pro existentia sponsalium requiritur plena probatio, omne dubium probabile excludens: « Ex indubiis juris principiis cautum est quod sponsalia, veluti indissolubile matrimonii vinculum secum ferentia eoque ipso nativam hominis libertatem adimentia, adeo vehementes et omni exceptione majores exigunt probationes, ut, si hinc inde aliqua supersit dubitatio, sit omninò contra sponsalium existentiam judicandum » (2).

b/ ad judicandum *pro dissolutione:* non præsumitur dissolutio sed requiritur ut probetur adesse causam solutionis canonicam, cum hic non tantùm sit ratio habenda libertatis cui faveatur, sed etiam juris ab altera parte acquisiti (3).

---

(1) Circa jurisdictionem exercendam in causa sponsalium, ac respectiva officia Episcopi et parochi late disserit Bangen, o. c., I, p. 58-62, 65 et 71-77: quam quæstionem strictius solvit Giovine, *De Dispensationibus matrimonialibus,* I *consult.* XI, par. 187.

(2) S. Rota. in Causa Brundusina, 5 Apr. 1851, apud R. th. fr., 1901, p. 479. Cf. Causam solutam 23 Maii 1869, apud A. S. S., V, p. 77 seqq.; Bangen, o. c., I, p. 78; *Instructio Austriaca* anni 1856 (*Collectio Lacensis*, V, f. 1286), n. 198: « Præsumptio stat pro libertate in conjugis electione; unde contra sponsalia pronuntiandum est, quoties de eorumdem validitate plenè non constat ».

(3) Non eadem tamen requiritur probatio pro variis dissolutionis causis: « Nam si causa solutionis sponsalium procedat ex impedimento, sive dirimente sive impediente matrimonium, cum interveniat periculum animæ, non requiritur plena probatio sed semi-plena ;.... si vero agatur de causa solutionis quæ solùm concedat facultatem uni ex contrahentibus resiliendi a sponsalibus, probatio causæ debet esse plena ». Santi, l. c., n. 67-68.

Quodsi, attentis hisce principiis, Episcopus judicet non esse admittenda sponsalia, vel habenda uti soluta, valent dicta sub A/; si autem fundatam judicet oppositionem ab actrice factam, procedatur ad normam sub A, ad 2m, indicandam (1).

Attamen integrum est utrique parti a sententia Ordinarii appellare et litem deferre coram Curia metropolitana, et coram ipsa S. Sede, quam videmus frequenter hujusmodi causas solvere, infirmando vel confirmando sententiam in Curia Episcopali latam.

C/ *Si sponsalia reperiantur valide et absolute* (2) *inita, non soluta nec ad nutum Titii solubilia,* præsto est, præter impedimentum dirimens publicæ honestatis, impedimentum impediens, quod solet dici « nihil transeat », quodque obstat matrimonio Titii cum quacumque tertia persona.

Quo posito,

1°/ Nitatur parochus ut Titius præstitam fidem expleat, matrimonium ineundo cum priori sponsa, vel, si id obtineri nequeat, sive quia Titius obstinate recusat sive quia gravissima mala ex hujusmodi matrimonio prævidentur secutura, conatus adhibeantur ut ipsa sponsa juri suo renuntiet, sive sponte et gratuitò, sive sub fide accipiendæ compensationis. Hac nempe renuntiatione sponsalia ipso facto solventur, ex mutuo consensu, ac adeo e medio tolletur impedimentum sponsalium, et nihil jam obstabit quominus Titius ad optatas nuptias convolet, nisi forsan nova sponsa esset in 1° gradu consanguinea cum priori : quo casu dispensatio foret prævie obtinenda super publica honestate (3).

---

(1) Posset etiam judex causam relinquere insolutam, satagendo ut lis amice componatur, vel dispensatio obtineatur ad cautelam.

(2) Abstrahimus hic a peculiari controversia de sponsalibus conditionatis.

(3) Episcopus Brugensis potest, vi quinquennalium S. C. de P. F., dispensare « super impedimento publicæ honestatis, justis ex sponsalibus proveniente ».

2°/ Si neutrum proficit, res est deferenda, si nondum ad ejus forum est deducta, *ad Episcopum,* suspensis interea proclamationibus, ac dilata matrimonii celebratione. Episcopus autem

a/ si id opportunum judicaverit, Titium ad promissum conjugium compellere potest, etiam sub pœna incurrendæ censuræ, præmissa tamen urgenti ac instante monitione. Ad quam coactionem strictum jus non deesse Episcopo constat ex c. 10, X, IV, 1, (1) necnon variis declarationibus Romanis (2) ac communi doctrina Auctorum (3); hujus tamen juris exercitium variis temperamentis est moderandum. Ita monet S. C. de P. F., 22 Nov. 1790, mulieres a sponsalibus recedentes nunquam esse excommunicandas (4), et cum ipsis viris caute esse procedendum, ac a censuris abstinendum quotiescumque gravissima mala prævidentur secutura;

---

(1) In hoc capite mandat Alex. III Episcopo consulenti circa casum sponsi injuste resilientis sponsalia : « quatenus si hoc constiterit, eum moneas, et si non acquieverit monitis, *ecclesiasticis censuris compellas* ut ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet ».

(2) Cf. decretum mox citandum S. C. de P. F.; Causa relata apud Bangen, o. c., p. 115 et seq., ac alia relata apud Rosset, *De Sacramento matrimonii*, t. II, n. 965.

(3) Cf. Schmalzgrueber, *in l. IV Decr* , tit. I, n. 92 et seq., cum AA. citatis; Reiffenstuel, *Jus Canonicum universum,* in h. l., n. 152 et seq.; Bened. XIV, *Instit. eccl.* 46, n. 15; Giovine, l. c.; Santi, o. c., n. 83 et seq.; Bangen, o. c., p. 15; Aichner, *Compend. Juris eccles.*, 1905, p. 580; Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes,* § 110, not. 101 et 102; Wernz, *Jus Decretalium,* t IV, n. 100, not. 104; Rosset, o. c., n. 965 et seq.; Gasparri, o. c., t. I, n. 70; De Angelis, *Prælectiones juris canonici*, III, Tit. I, n. 5.

(4) « Non deest autem causa propter quam mitius in fœminam, et acrius in masculum animadvertatur. Naturalis omnino imbecillitas, levitasque muliebris non longe est ut despectum censurarum pariat; magis que suspicari licet ne fœmina a fide, quam coacte spopondit, facilius desciscat. Cæteroquin summum est inter virum et mulierem in hac materia discrimen, ut mulier, si a sponsalibus declinet nullum irroget præjudicium viro, cui altera ad nubendum nunquam deficiet fœmina; sin vero a sponso mulier relinquatur, gravissimam nominis subit diminutionem ». Rota in causa *majoricen*, 24 Apr. 1746, apud Giovine, l. c., p. 325.

si autem censuræ infligantur, censuratos post annum absolvendos docet eadem S. Congregatio (1).

Et ita, licet non sit negandum, per se et abstracte loquendo, Ecclesiam posse sponsos renitentes ad matrimonium, etiam censuris, compellere, practice tamen et in concreto, ratione infausti exitus vel attenta debilitate personarum, rarissime ad coactionem et pœnarum inflictionem est deveniendum (2). Ordinariè igitur Episcopus

b/ studeat litem amice componere, omni qua par est vi urgendo sponsam actricem ut jus suum non exigat, ac simul sponsum inducendo ut proportionatam solvat compensationem; ostendatque sponsæ quam improvido ac præpostero consilio velit ad nubendum cogere sponsum infidelem, quocum miseram ductura sit vitam.

Quodsi Episcopus irrito conatu studuerit amicam inducere solutionem, actrice urgente jus suum, nec locus sit coactioni partis alterius, jam non remanet nisi

c/ ut ad *S. Sedem* recurratur, ad effectum impetrandæ *dispensationis* super impedimento impediente sponsalium (3). Hæc nimirum potestas agnoscenda est S. Pontifici *soli*: Episcopum namque id non posse, neque ex jure proprio neque ex jure delegato, sive sponsalium impedimentum spectetur uti impedimentum juris ecclesiastici, sive uti impedimentum juris naturalis (4), in confesso est apud omnes.

---

(1) *Collectan.* S. C. de P. F., n. 1214; cf. etiam c. 17, X, IV, 1, *Requisivit,* in quo Lucius III rescribit mulierem, de qua quæritur, a sponsalibus recedentem, esse monendam potius quam cogendam.

(2) Hac ratione intelligitur, citato cap. 10, l. IV Decr., statui jus, cap. autem 17, potius juris derogationem, licet frequentem, et ita duo capita inter se conciliari: de qua conciliatione videsis, in diversum sensum, Rosset, l. c., n. 973; Santi, l. c., n. 40; Gasparri, l. c., n. 70 et De Angelis, l. c.

(3) Si nova sponsa esset cum priori consanguinea in 1º gradu, simul obstaret impedimentum dirimens publicæ honestatis, uti jam notavimus, super quo impedimento simul foret dispensatio obtinenda.

(4) Sponsalia nempe inducunt, ex jure naturæ, obligationem nubendi

Quod autem id valeat S. Pontifex respectu sponsalium, quatenus inducunt impedimentum juris ecclesiastici, liquet; sed nec dubium est eum posse dispensare super sponsalibus, etiam quatenus constituunt impedimentum juris naturalis. Valet nimirum S. Pontifex, suprema sua auctoritate, auferre obligationem mutuam ex sponsalibus exortam, ac correspondens jus alteri parti acquisitum, qua obligationis et juris correspondentis remissione sponte sua cessat prohibitio tertiæ personæ nubendi, et sic dicitur dispensare super impedimento sponsalium, quamvis actus ille non constituat proprie dictam dispensationem sed potius sponsalium dissolutionem.

Quam potestatem S. Sedi competere probat ipsum dictæ potestatis exercitium (1), ac confirmat universim nunc admissa potestas dissolvendi matrimonium rati non consummati, cum qui potest plus possit et minus. Cæterùm ejusdem naturæ est asserta Pontificis potestas super auferenda obligatione ex sponsalibus contracta, ac auferendo jure tertii inde acquisito, ejusdem, inquam, indolis est quam potestas, quæ agnoscitur Pontifici, remittendi debitum justitiæ, necnon dispensandi votum, quod sane juris naturalis ac divini obligationem inducit. De quibus cf. BILLOT, *De Sacramentis Ecclesiæ*, t. II, p. 402-403, coll. S. THOMA, 2-2^{æ},

---

personæ rite desponsatæ, ac eo ipso prohibitionem juris naturæ matrimonium cum quavis alia persona, stantibus prioribus sponsalibus, ineundi: quæ obligatio juris ecclesiastici dispostione est sancita.

(1) Ita 31 Jan. 1863 S. C. Conc. respondendum censuit in *Causa* Titii et Caiæ: « Solutis per Titium titulo dotis ducatis 600 favore Caiæ, necnon emissa ab eodem obligatione de reficiendis omnibus damnis, comprehensa educatione prolis, impedimentum esse removendum ». *Acta S. Sedis*, 1, p. 342. Item die 10 Sept. 1887, ad quæstionem: an sit locus remotioni impedimenti *Nihil transeat*, in casu, respondit S. C. C : « affirmative, prævia dispensatione, facto verbo cum SS.; monito viro ut, pro posse, æquam compensationem, arbitrio Archiepiscopi (Ostunensis) determinandam, tribuat sponsæ ac proli ab ea susceptæ ». LEITNER, *Lehrbuch des katholischen Eherechts*, 1902, p. 347.

qu. 88, art. 10, ad 2m, et VAN DEN BERGHE, *De Legibus*, n. 33, sub b/.

Porro ad vindicatæ potestatis exercitium requiri causam gravem meritò docent Doctores passim. Insuper solet S. Sedes, in rescripto dispensationis super impedimento sponsalium injungere æquam compensationem, in gratiam partis derelictæ solvendam, cujus compensationis determinatio, si ab ipsa S. Congr. Concilii non definitur, relinquitur arbitrio Episcopi, uti contigit in solutione Causæ anni 1887.

Circa hanc Pontificiam dispensationem, cf., præter Auctores modò citatos, SCHMALZGRUEBER, o. c., n. 214; GIOVINE, o. c., consult. III, par. 61; FEYE, *De Impedimentis matrimonii*, n. 556 et seq.; SCHERER, o. c., par. 110, not. 110; GASPARRI, o. c., I, n. 106-108; WERNZ, o. c., n. 118; LEITNER, l. c.; *Anal. eccles.*, 1899, p. 406 et 408.

V

Q. *An et quousque datur obligatio revelandi impedimentum, quod cognoscitur inter nupturientes existere?*

Prænota in hac quæstione nos considerare signanter impedimenta *natura occulta,* cum impedimenta natura publica nullam adnexam habeant infamiam et sponte sua innotescere queant.

Respondetur:

I. **Per se** datur obligatio, eaque gravis, revelandi impedimenta matrimonii, sive impedientia sive dirimentia.

Obligationem urget non tantum jus *ecclesiasticum* (1), sed etiam ipsum jus *naturale* ac *divinum*. Et sane ipso

(1) *Conc. Trid.*, Sess. XXIV, cap. 1, *De Reformatione matrimonii;* c 6, X, IV, 18; c. 7, X, IV, 11; c. 3, X, IV, 3; circa quod ultimum caput cf ROSSET, o. c., n. 1143; DE ANGELIS, o. c., tit. III, n. 5; SANTI, o. c., Tit. III, n. 16; *Anal. eccles.*, 1901, p. 189-190.

jure naturali ac divino tenemur impedire quominus matrimonium contrahatur invalide vel illicitè, tum ex reverentia erga sacramentum, tum ex charitate erga proximum, cui, præter mortale peccatum, gravissima mala impendunt ex conjugio, illicitè ac signanter invalidè ineundo.

Quam obligationem gravem esse liquet, attenta gravitate materiæ. Revelatio autem est facienda *quamprimum* commodè potest, idque regulariter *parocho*: nihil tamen obstat quominus prævie moneantur fraterne ipsi nupturientes ut dispensationem petant vel a nubendo abstineant; quod si alterutrum fecerint, ulterior denuntiatio evasit inutilis.

II/ **Per accidens** deficit asserta obligatio, ab illa *excusante gravi causa.*

Nimirum

1°/ non debet nec potest impedimentum propalare sacerdos qui illud novit *ex sola confessione,* siquidem lex sigilli sacramentalis adeo stringit ut illud revelare nunquam liceat, nec ulli altiori legi ullatenus cedat.

Quodsi simul aliunde novit idem impedimentum, potest confessarius, salvo sigillo, illa altera scientia uti, caute tamen et prudenter, ut sigilli violatio ne in suspicionem quidem veniat.

2°/ Tanquam causa passim excusans habenda videtur secretum *commissum* (1), non quidem qualecumque, sed illud secretum quod est alicui commissum *ratione officii sui,* puta parocho, medico, quodque ex hoc capite vocatur secretum *officii*, seu *professionale;* hujusmodi nimirum arcani conscius non deberet nec posset illo uti *cum gravamine ipsius consilium exquirentis,* revelando impedimentum ex cujus revelatione infamiam vel aliud

(1) Non excusat secretum *naturale* nec *promissum,* esto sub fide juramenti, quippe quibus non applicatur invocata ratio boni publici. Cæterùm si ratio secreti naturalis sufficeret, nullum impedimentum infamans posset manifestari.

detrimentum caperet ille a quo notitiam confidenter accepit (1).

Ratio est quia res est de *bono publico,* quod exigit ut tutò et confidenter accedere possint homines ad hujusmodi personas ex officio præpositas ad hoc ut aliis ope et consilio præsto sint: valde autem minueretur fiducia ac promptitudo in consiliis exquirendis si notum esset notitiam ita concreditam dicto modo posse adhiberi ac manifestari (2).

3°/ Excusat a revelatione facienda *grave damnum proprium,* ex illa incurrendum, sive in bonis fortunæ, sive in fama et honore. Non censetur tamen *quodcumque* damnum grave sufficere ut excuset a *quovis* impedimento prodendo, sed eo gravius postulatur quo graviora damna ex silentio prævidentur sequenda: quocirca attendenda est distinctio non tantum inter impedimenta impedientia et dirimentia, sed etiam inter dirimentia ad invicem; et sic ægrius excusabitur qui novit instanti matrimonio obesse impedimentum juris naturæ quam qui novit obstare impedimentum juris dumtaxat ecclesiastici, ille qui detegit sponsos esse illegitime consanguineos in 1° gradu quam ille qui eos reperit conjunctos in 2° gradu et ita porro.

Qua servata proportione potest, ratione proprii detrimenti, eximi aliquis ab obligatione quodcumque impedi-

---

(1) Facilius posset quis uti scientia sibi concredita a tertia persona, quin cedat secreti læsio in gravamen ipsius secretum concredentis.

(2) Incommodum ex minuenda fiducia populi non vitatur, uti censet Rosset, o. c. n. 1149, alteram sententiam severiorem propugnans, revelando « impedimentum ad aurem parochi vel Ordinarii, ita ut nupturiens penitus ignoret a quonam facta sit revelatio »; sufficit namque, ad fiduciam labefactandam, ut populus sciat parochum, medicum... cui secretum est commissum, illo *posse* descripta ratione uti.

Cæteroquin nobis favent plerique Auctores moderni, inter quos: Feye, o. c., n. 369; Gasparri, o. c., II, n. 177; De Becker, o. c., p. 253 s.; Leitner, o. c., p. 399; Wernz, o. c., n. 143; Theol. Mechl., *De Sponsalibus et Matrimonio,* n. 21, qu. 3; Lehmkuhl, o. c., II, n. 677: quibus accedit *Conferentia Romana,* apud *Anal. eccles.*, 1901, p. 191. Contrà Ballerini, *Opus Morale,* VI, n. 905, consentit Rosset.

mentum, etiam gravissimum, manifestandi, quantumvis probrosum prævidetur ineundum conjugium. Et ita si contingat, quemadmodum jam non semel, in ipsis nostris regionibus, accidisse novimus (1), matrimonium præparari nefandum inter fratrem et sororem naturalem, vel etiam inter patrem et propriam filiam, non esset cogenda mulier, hujus turpis secreti conscia, ad illud revelandum cum maxima sui ignominia, etiamsi unicum medium foret ejusmodi fœditatem impediendi.

Dicitur damnum *proprium,* quia ordinarie non posset quis a revelatione abstinere propter detrimentum, licet grave, ipsis sponsis vel tertio inferendum, puta ratione infamiæ apud parochum incurrendæ, nisi forsan in ignomiam cederet ipsius impedimentum manifestantis: secus namque vix non frustranea redderetur lex de denuntiandis impedimentis (2).

Nota. Quicumque a revelatione facienda excusantur, sive ratione damni subeundi, sive ratione secreti servandi, tenentur, in quantum possunt et quousque manet aliqua spes fructus, monere ipsos sponsos, eosque, omni qua pares sunt zelo, a reprobando matrimonio avertere, vel ad dispensationem petendam adducere.

Posset etiam ac deberet parochus, ex suscepto secreto professionali impedimenti conscius, procurare dispensationem, etiam, si opus sit, insciis sponsis,

---

(1) Ita in X, uxor, vivente marito, adulterinam susceperat filiam ex viro pariter uxorato ac filium habente, qui filius postea ardenti amore prosequebatur ac ducere volebat filiam illam adulterinam; sola autem mater sciebat nupturientes esse fratrem et sororem, non poterat vero sine sui opprobrio ac scandalo gravissimo impedimentum prodere.

Alibi, mulier in confessione exponit filiam suam attentasse matrimonium et matrimonialiter vivere cum viro, ex cujus adulterino commercio dictam filiam ipsa susceperat: rursus illa mulier sola conscia erat hujus abominandi incestus inter patrem et propriam filiam, ac a confessario siscitabatur quid sibi incumberet agendum. Analogum casum exhibent *Anal. eccles.*, 1901, p. 189 et seq.

(2) In impedimentis fori interni vix non semper infamatur alteruter ex sponsis, et frequenter etiam tertia persona, uti in casu affinitatis illegitimæ.

modò id efficere valeat absque cujuscumque revelationis periculo, quemadmodum obtinet pro impedimentis in foro interno relaxandis.

Quinimo confessarius, impedimentum occultum in confessione detegens, potest ac debet, quando opportunum judicat a monitione pœnitentis abstinere, curare ut dispensatio vel matrimonii convalidatio impetretur sub fictis nominibus. Utitur quidem scientia sacramentali, ast non omnem usum reprobat lex sigilli, sed illum dumtaxat, qui, si cognoscerctur licitus, vexaret pœnitentes eosque a confessione averteret: quod in casu non obtinet cum omnis prorsus absit molestia ac totum in pœnitentis bonum vertatur.

A. De Smet.

VI

Q. *An et quare in votis est Ecclesiæ ut S. Communio distribuatur intra Missam potius quam extra? Licetne eam distribuere in paramentis missæ ante missam* Requiem *aut solemnem?*

R. I. Ad primum *affirmative*, ut indubie elucet: 1° ex relatione S. Communionis ad sacrificium; 2° ex traditionali praxi Ecclesiæ; 3° ex missæ liturgia et precibus, præsertim ex postcommunione, quæ ad fideles communicantes spectant; 4° ex disertis verbis Concilii Tridentini et Ritualis Romani.

1. *Ex Christi Domini voluntate* et primæva institutione, S. Communio est sacrificii Missæ pars integrans. Ad quam integritatem sufficit solius celebrantis communio, ita ut Concilium Tridentinum anathema pronuntiaverit ei qui « dixerit missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse ideoque abrogandas » (1).

Juxta doctrinam ejusdem Concilii, Christus dicens:

(1) Sess. XXII, De Sacrif. Missæ, can. 8.

« Hoc facite in meam commemorationem » etiam in communione seu S. Eucharistiæ « sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem » (1).

Hæc autem significatio « memorialis mortis Domini » vix invenitur in S. Communione nisi ex ea quam ad sacrificium mortis Dominicæ commemorativum habet relatione. Quæ quamvis habeatur in omni SS. Sacramenti perceptione, liquet tamen præfatam relationem adeoque et significationem manifestius elucere in S. Communione quæ *in ipso sacrificii missæ ritu* suscipitur, quæque ideo magis conformis est intentioni ipsius Christi.

2. Cui Salvatoris desiderio pie ac perfecte morem gessit *primitiva Ecclesia* in qua, ut satis notum est (2), de sacrificio sacramentaliter participabant clerici et fideles quotquot præsentes erant.

In synaxibus (3) christianis panis consecratus, dato osculo pacis, vero sensu frangebatur: particulam (4) sumebat ipse celebrans, dum ceteræ particulæ distribuebantur omnibus præsentibus. Hac communi S. Eucharistiæ perceptione non tantum sacramentaliter uniebantur Christo Ecclesiæ capiti, sed etiam manifestiori vinculo uniebantur inter se et cum omnibus corporis Christi mystici membris. Erant revera « perseveran-

---

(1) Sess. XIII, De SS. Euch. Sacram., cap. 2. Cf. LAHOUSSE, *De SS. Eucharistiæ mysterio,* Brugis, 1889, p. 237. Cf. Postcommunio missæ Domin. XXII post Pentec.: « *Sumpsimus, Domine, sacri dona mysterii,* humiliter deprecantes *ut quæ in Tui commemorationem nos facere præcipisti,* in nostræ proficiant infirmitatis auxilium ».

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t, X, p. 326, t. IX, p. 287.

(3) Dum hodie dicimus: « ad sacram *synaxim* accedere » solet nos fugere hoc nomen etymologice (σὺν ἄγω) et usu antiquo designasse *conventum* eucharisticum christianorum, sed translatum esse ad significandam S Communionem, quia in his synaxibus solebant *simul accedere* ad sacram mensam.

(4) Nomen illud hodiedum servatum est, licet minores hostiæ jam non sint etymologice *particulæ* seu partes unius panis fracti.

tes... in *communicatione fractionis panis* » (1). Et adeo animos movebat hæc communis fracti panis eucharistici susceptio, ut non tantum huic cæremoniæ sed etiam totius missæ ritui nomen dederint *fractionis panis* aut etiam *communionis*.

Nec mirum alicui videbitur ritum hunc osculi *pacis* et *communis* SS. Sacramenti sumptionis habitum fuisse ut manifestissimum signum ecclesiasticæ unionis omnium Ecclesiæ fidelium et S. Eucharistiam dictam fuisse sacramentum unitatis ecclesiasticæ (2). Qui enim separabantur ab Ecclesia, eo ipso arcebantur a susceptione Eucharistiæ et dicebantur *excommunicati*, separati a *communione* et *pace* Ecclesiæ. Ex quibus facile conjicere licet quanti momenti haberetur ab Ecclesia omnium adstantium sacramentalis participatio communionis celebrantis.

Decursu tamen temporum, maxime inde a sæculo V factum est ut, frigescente charitate, obnubilata morum puritate, et inductis multiplicatisque missis privatis, non pauci jam sacrificio missæ assisterent quin communicarent. Qui tamen communicabant, S. Eucharistiam infra missam de manu celebrantis recipere solebant (3).

Sed simul cum hac praxi communi, invenimus usum magis restrictum recipiendi S. Communionem extra

---

(1) Act. Apost. II, 42.

(2) Ex hoc conceptu *Sacramenti unitatis ecclesiasticæ* plena affulget lux nonnullis antiquitatis factis, quæ alias irreverentiam sapere viderentur nostramque admirationem movere possent. In signum enim communionis ecclesiasticæ Episcopi noviter electi interdum accipiebant panem eucharisticum a Romano Pontifice ad se missum, vel licentiam obtinebant in altari pontificio celebrandi (quod v. g. mediante sæculo II, S. Anicetus Papa concessit S. Polycarpo Smyrnensi episcopo, qui de Paschate celebrando dissentiebat). Item narratur in Pyrrhum et postea in Photium, patriarchas Constantinopolitanos, excommunicationis sententiam fuisse conscriptam atramento in quod guttulam pretiosissimi Sanguinis stillaverant.

(3) Cf. in *Dictionnaire de théologie catholique* de VACANT, fasc. 19, (1906), articulum eruditione plenum D. H. MOUREAU, *Communion eucharistique fréquente*.

missarum solemnia. Ægrotantes domi communicabant; inde a sæculo tertio certum est interdum laicos et sæpius anachoretas et monachos, domi asservasse panem eucharisticum, quem propriis manibus sibi ministrabant. Medio autem ævo, ut fidelium jam minus ferventium acediæ occurreret eosque ad S. Communionem efficacius alliceret, faciliorem se præbuit Ecclesia ut S. Eucharistiam, per modum exceptionis tamen, ministraret extra missam.

3. *Ex ipsa missæ liturgia*, quæ decursu sæculorum mirifice sese evolverat, luculenter apparet omnibus cæremoniis et precibus impressum esse sigillum intimæ consociationis sacerdotem inter et fideles. Hi enim, secundum spiritum liturgiæ, continuo uniuntur celebranti et active ac immediate — præsertim olim — participant ritui et, per ministerium sacerdotis, cum ipso sacrificium offerunt. Ideo expresse meminit sacerdos in canone « omnium circumstantium... pro quibus Tibi offerimus vel *qui Tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus* »; et monet adstantes: « Orate, fratres, ut *meum* ac *vestrum* sacrificium... » Ideo preces — paucis tantum exceptis, quas pro seipso solo recitat sacerdos, quæque sunt recentioris ætatis — conceptæ sunt numero plurali, recitandæ sunt — excepto canone — clara et intelligibili voce, ut audiri possint a fidelibus, qui antiquitus respondebant: *Amen*, *Et cum spiritu tuo,* etc. (1); ideo ad plebem præsentem diriguntur identidem monitiones: *Oremus, Flectamus genua*, *Ite missa est,* quibus populus morem gerere olim solebat; ideo ad offertorium revera afferebant materiam sacrificii aliaque oblata; ideo osculo pacis caritatem mutuam et injuriarum condonationem attestabantur, et tandem statim post sacerdotem et clerum, absque ulla cæremonia interposita (2), de ipso sacrificio sacramentaliter

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 706 ss.

(2) Hodie ante fidelium communionem recitantur *Confiteor*, *Misereatur*, *Indulgentiam*, etc. Sed hæc introducta sunt in missam posteriori tempore,

participabant, et communem instituebant, voce celebrantis, gratiarum actionem, in ea oratione quæ vocatur *Postcommunio.*

Mirabiles enim illæ orationes, quarum complexus quasi integrum continent asceticum et theologicum de S. Communione tractatum, nihil aliud sunt quam publica et communis gratiarum actio tum sacerdotis, tum fidelium, qui supponuntur sacramentaliter communicare. Etenim, dum gratiarum actio personalis sacerdotis (1) concipitur potissimum in singulari, hæ Postcommuniones omnes recitantur in plurali; imo in nonnullis diserte exprimuntur adstantes fideles, v. g. « Satiasti, Domine, *familiam tuam* muneribus sacris » (2); « Spiritum nobis, Domine, tuæ caritatis infunde ut quos *uno pane cœlesti* (aut *sacramentis paschalibus*) *satiasti, tua facias pietate concordes* » (3). « *Fideles tui*, Deus, per tua dona firmentur » (4). Eadem ceterum dici possunt de Secreta, in qua supponuntur semper fideles oblationem fecisse et ad S. Communionem se præparare (5).

Ex quibus orationibus nomine Ecclesiæ factis, per se uberior obtinetur fructus quam ex privata præparatione et gratiarum actione (6).

---

sæculo ut videtur XIII. Antea, illa præparatio ad S. Communionem supponebatur facta per ipsum Missæ ritum, et absque ulla speciali cæremonia communicabant fideles, sicut hodiedum faciunt neopresbyteri in missa ordinationis et diaconus ac subdiaconus in missa pontificali.

(1) Tales sunt orationes infra ablutionem dicendæ: *Quod ore sumpsimus...* et *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi,* et oratio *Placeat.* Duæ ultimæ conceptæ sunt in singulari, non vero prima, quia nihil aliud est hæc quam antiqua Postcommunio, quæ hodiedum legitur in missa feriæ V post Dom. Passionis.

(2) In missis pro Virgine, *Dilexisti, Vultum,* et pro nec virgine nec martyre, *Cognovi.*

(3) Postcommunio missæ feriæ VI post Cineres, et Sabbati Sancti. Quæ ultima oratio toto tempore Paschali recitanda est in S. Communionis dispensatione extra missam.

(4) In Dominica Septuagesimæ et Sabbato post Cineres.

(5) Secreta antiquitus clara voce recitabatur.

(6) Cf. Rms G. van Caloen. *La Communion des fideles pendant la Messe,* Lille 1884.

4. Ex dictis luculenter jam apparet S. Commununionem infra missarum solemnia receptam semper fuisse *votum Ecclesiæ et regulam,* Communionem vero extra missam fuisse *benignam tolerantiam* et, ratione necessitatis, concessionem. Idem votum liquet ex textu *Concilii Tridentini*, sess. XXII. *De sacrif. Missæ*, cap. 2 dicentis : « Optaret... sacrosancta synodus ut, *in singulis missis,* fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret ».

Regulam autem et exceptionem ab antiquo servata, pro recentiori et nostro tempore ita statuit *Rituale Romanum*, tit. IV, cap. II, n. 10: « Communio autem populi *intra Missam* statim post communionem celebrantis fieri *debet* (*nisi quandoque ex rationabili causa post missam* sit facienda), cum orationes quæ in missa post Communionem dicuntur, non solum ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent ». Quamvis in hoc textu agatur de communione dumtaxat *post* missam, nullum est dubium quin ex rationabili causa possit dispensari S. Eucharistia etiam immediate *ante* missam et omnino sine nexu cum missæ celebratione (1).

Indies autem, potissimum apud nostrates, invaluit consuetudo infelix accedendi ad sacram synaxim, nullo habito respectu ad missæ celebrationem. Et « nullum exstat decretum S. R. C. quod prohibeat communionem fidelium ante vel post missam » (2). Et sane hac consuetudine attenta et « temporum nostrorum conditione perpensa, [rationabilis causa quam requirit Rituale]

(1) Facilius tamen conceditur *immediate post* missam, quia, ut supra vidimus, tota liturgia missæ, cui communicantes supponuntur adfuisse, est quasi præparatio ad S. Communionem. Cf. decretum mox citandum n. 3177.

(2) Declaratio Substituti S. R. C., 28 Nov. 1895, ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 52. Cf. Decr. S. R. C. 17 Jul. 1894, *Resolutio dubiorum,* n. 3832[3].

facile adest, semperque generaliter adesse censendum est, quando communio petitur » (1), ne ullum ponatur impedimentum fidelium communioni frequenti et quotidianæ tam instanter nuper a S. Sede commendatæ.

Nihilominus pastorum et sacerdotum est a/ docere fideles quantum et quas ob rationes desideret Ecclesia ut communicent fideles frequenter imo quotidie et quidem pro posse in ipso missæ sacrificio; quod si non possint sacramentaliter participare de sacrificio, saltem spiritualiter communicent; et b/ ita ordinare communionis distributionem ut, ubi nihil obstat, v. g. infra hebdomadam, maxime in missis privatis ad altare SS. Sacramenti celebratis, ad sacram synaxim per campanulæ sonitum convocare curent fideles qui communicare desiderant.

Ita evanescat abusus, cujus omnes ni fallamur testes fuimus, quo sacerdos aliquis accedit ad altare in quo missa pervenit v. g. ad *Pater noster,* ibique totum ordinem liturgicum disturbat, ut contra votum Ecclesiæ, S. Eucharistiam dispenset duobus momentis ante communionem missæ.

II. Ad alteram qæstionis partem quod attinet, controversiam diu agitatam exponit et dirimit S. R. C. *Decretum generale*, diei 27 Jun. 1868, et approbatum 23 Jul. ejusdem anni (n. 3177), quod ita statuit: « Posse *in missis defunctorum*, cum paramentis nigris, sacram communionem fidelibus ministrari, [non solum ex particulis in ipsa missa consecratis, sed etiam] extrahendo pyxidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari communionem *immediate post missam defunctorum;* data autem rationabili causa, *immediate quoque ante eamdem missam* (2); in utroque tamen casu *omittendam esse benedictionem* (3) » quæ

(1) *Ephemer. Liturgicæ*, t. IX, 1895, citat. ap. *Collat. Brug.*, t. I, p. 52.

(2) Cf. supra p. 714 nota 1.

(3) Sicut ceterum omnis benedictio ad viventes fideles directa omittitur in ritibus pro defunctis.

aliàs semper (1) danda est post communionem extra missam ministratam.

Præterea nunquam in paramentis nigris adjungi potest (2) *Alleluia,* quod tempore Paschali addi debet tum antiphonæ *O sacrum convivium,* tum ℣ *Panem de cœlo* et ℟ *Omne delectamentum* (3).

II. Hæc sine dubio valent de missa privata. Hucusque nullus textus distinctionem fecerat inter missam privatam et aliam. Sed recens decretum, recitatum supra p. 520, respondet « sacerdotem, sacris vestibus sacrificii indutum, non posse administrare sacram communionem, data rationabili causa, ante vel post missam *solemnem* aut *cantatam* aut etiam *conventualem,* sicut permittitur ante vel post missam privatam ». Ideoque danda est, si fieri possit, a celebrante post propriam communionem, ut præscribunt Cæremoniale Episcoporum (4) et Missale (5); secus vero dispensanda ante vel post missam absque paramentis missæ, cum superpelliceo et stola, aut, ut quidam permittunt, cum alba et stola transversa (6); nisi forte dubitare liceret utrum præsens decretum habeat vim obligandi universalem pro omni missa solemni aut cantata.

C. Callewaert.

---

(1) Etiamsi certum sit qui ante missam communicant recepturos esse benedictionem celebrantis in fine missæ.

(2) Decr. S. R. C. 26 Nov. 1878, *Senen.*, n. 3465.

(3) Decr. S. R. C., 15 Jun. 1883, *Cuneen.*, n. 3576II.

(4) Lib. II, c. VIII, n. 82; c. XXIX, n. 3; c. XXX, n. 4.

(5) *Ritus celebrandi*, tit. X, n. 9.

(6) Cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 527; IX, 594.

E S. Congr. Concilii

Dubia circa communionem puerorum et infirmorum.

Occasione Decreti diei 20 Dec. 1905 oblatæ sunt variæ preces ac varia coram S. Sede proposita sunt dubia, inter quæ potissimum considerationem mereri visa sunt sequentia duo:

1°/ *quotidiana Eucharistiæ sumptio in catholicis ephebeis suaderine debet etiam pueris quibuscumque post susceptam primam communionem?*

2°/ *Infirmis, qui diuturno morbo laborant, nec naturale jejunium in sua integritate observare queant, nullum remedium suffragari potest, ne pane eucharistico tam longo tempore priventur?*

Hæc dubia a viro religioso Belgii mota accurato examino subjecit S. Congr., prævio excepto *Voto* egregie exarato, in quo utraque quæstio diligenter excutitur, rationibus inductis pro et contrà: quæ rationis momenta in compendium redacta juvat referre (1), unà cum solutione EE. Patrum. Nimirum

Ad primum dubium, circa puerorum Communionem:

1°/ rationes quæ militant ad continendos pueros a frequenti S. Synaxis participatione

a/ deducuntur ex infirmiori mentis discretione ac leviori animi indole qua a rebus sensibilibus et extrinsecis facile abstrahuntur, ac facilius a contemplatione mysteriorum Dei avertuntur, adeoque sæpe sæpius absque debita præparatione et gratiarum actione ad S. Eucharistiam accedere solent, sacramentum periculo irreverentiæ ita exponentes.

b/ Accedit, et quidem non est minimum, quod per nimiam communionis quotidianæ commendationem, periculum exsurgit in pueris fovendi hypocrisim ita ut vi

(1) Integrum *Votum* exhibent *Anal. eccles.*, 1906, p. 383 et seq.

etiam metus reverentialis in majora quoque sacrilegia prolabantur (1).

c/ Insuper in laudato Decreto commendatur frequens communio in seminariis et aliis christianis ephebeis, ac proinde seponi videntur pueri, cum ephebi censeantur pubertatem adepti, et maxime excluduntur pueri extra dicta instututa in medio sæculi viventes.

2°/ Argumenta quæ stant pro frequenti puerorum communione huc redeunt:

a/ Usus imprimis inchoantis Ecclesiæ, qui usus hucusque nunquam fuit reprobatus, S. Communionem dandi non tantùm pueris sed etiam infantibus (2); quæ pristina consuetudo magis adhuc favet communioni puerorum discretione præditorum.

Quodsi fervidæ dispositionis ac præparationis minus sunt capaces quam adulti, ex alia parte minus obnoxii sunt obici gratiam simpliciter vel secundum quid impedienti, ac minor discretio innocentia compensatur; cæterum, uti notatur in *Voto*, inconsideratio eorum ac levitas nimis urgenda non est.

b/ Eo magis consulenda est pueris frequens communio quia necesse est omnino ut, antequam passionibus præveniantur, Christo imbuantur, et ita majori vi repellere possint conatus diaboli, carnis, aliorumque internorum et externorum hostium.

c/ Hoc dumtaxat modo verificari potest illud verbum Domini: « sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum ». Regnum autem cœlorum in terris nonnisi Eucharistia est, quæ instituta fuit ad vitam spiritualem conservandam ac nutriendam.

---

(1) Quodsi forte minus timenda sint sacrilegia, non est negandum dari periculum ne pueri ac generatim juvenes in collegiis ac institutis vitam degentes, in quibus viget laudabilis frequentis communionis usus, ad s. mensam accedant nonnunquam humanis rationibus ducti et absque recta intentione, ne scilicet minus fervidi videantur præ cæteris sodalibus.

(2) Nihil sane impedit quominus infantes SS. Eucharistiæ sacramentum suscipiant fructuose, ac gratiam consequantur sacramentalem, camque specialem, cum sacramentum operetur ex opere operato ac nullum in illis obicem reperiat.

d/ Decretum 20 Dec. 1905 frequentem ac quotidianam communionem commendat *omnibus christifidelibus,* ac proinde etiam pueris, et si loco citato non memorantur explicite nisi sola seminaria et ephebea, non loquitur Decretum *sensu exclusivo,* sed agitur dumtaxat de *speciali* commendatione laudatis institutis facta, quin alii fideles excludantur; cæterum vox ephebeorum lato sensu accipienda esse videtur, ut nempe significet omnia pia instituta in quibus etiam pueri instruuntur et educantur.

Ad secundum dubium, circa **infirmorum** communionem :

In *Voto* restringitur quæstio ad solos infirmos chronicos aliosque diuturno morbo absque vitæ discrimine laborantes, ad exclusionem periculose decumbentium. Hi nempe possunt non jejuni communicare et quidem toties quoties aliunde censentur ritè dispositi. « Cæteris autem infirmis, juxta *Rit. Rom.,* cap. IV, *de communione infirmorum,* n, 4, qui ob devotionem (1) in ægritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum ».

Porro quæritur annon moderanda foret, et quomodo, lex jejunii in gratiam infirmorum illorum, non periculose ægrotantium, ac jejunium servare non valentium.

Imprimis dicta lex non est nisi lex ecclesiastica tantùm, et ipsum Concilium Constantiense, illam legem sanciens, addit: « nisi in casu infirmitatis (periculosæ) *aut alterius necessitatis* », ita ut relinquatur aditus moderandæ disciplinæ. Cæteroquin abusus, ex nimio cibo vel potu, ob quos inductum est jejunium non sunt timendi a parte hujusmodi fidelium, nec periculum est ita minuendi reverentiam erga SS. Sacramentum.

Ulterius jam ab aliquo tempore benigniorem sese

(1) Hanc jejunii naturalis obligationem extendendam ostendimus etiam ad casum quo urget præceptum paschale. *Collat. Brug.,* t. II, 488 seq.; collato *Quartalschrift,* Lintz, 1896, p. 649; 1898, p. 383, 498 et 627.

ostendit Ecclesia, ac frequentius et facilius concedit indultum, quo senio aut chronica infirmitate laborantes, et naturale jejunium servare non valentes, semel in hebdomada vel etiam pluries, si agatur de monialibus aut piis ac religiosis viris, ad S. Mensam accedere possint, aliquid prius per modum potus quamvis sumpserint (1).

Ex alia parte, quum omnibus indiscriminatim christifidelibus consulatur quotidiana vel saltem frequens communio, nulla adest ratio cur infirmis, qui jejunium servare non possunt, hoc prohibitum sit. Idque eo vel magis quod majori detinentur necessitate vescendi Corpore Christi.

Equidem, juxta *Voti* Auctorem, forte inopportunum foret infirmos, extra morti periculum versantes, absolute dispensare a lege jejunii. Prætermisso enim, ait, parochorum incommodo, quod grave fieri posset si præsertim plures infirmi chronici in parœcia haberentur, considerandum insuper est SS. Sacramentum infirmis deferendum esse manifeste atque honorifice: ast si chronici ad communionem illimitatè admittantur non jejuni, et excitentur ad S. Synaxim frequenter suscipiendam, delatio SS^m^ Eucharistiæ erit frequentior per vias et in ædes, quod vix cum debita reverentia fieri continget.

Atvero, notat, hæc imprimis non valent pro infirmis qui degunt in seminariis, in monasteriis utriusque sexus, in nosocomiis et aliis similibus institutis; quoad cæteros vero succurri posset dando *Ordinariis* potestatem ut, saltem in majoribus anni festivitatibus, eisdem per opportunas dispensationes occurrant.

Quibus præmissis, en **responsum** S. Congr.:

Ad 1^m^: *S. Communionis frequentiam commendari juxta*

---

(1) Indicium benignioris mentis Ecclesiæ etiam habetur in *Catechismo*, jussu Pii X recenter edito Romæ, in quo quæstioni positæ, quandonam scil. liceat communicare non jejuno, respondetur: in casu infirmitatis periculosæ vel quando indulto dispensat S. Sedes.

articulum primum Decreti etiam pueris, qui, ad sacram Mensam juxta Normas in catechismo Romano, cap. 4, n. 63, semel admissi, ab ejus frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari, reprobata praxi contraria alicubi vigente.

Ad 2m: *juxta mentem, facto verbo cum SSmo.*

Quod igitur spectat *pueros,* nulla est ratio restringendi pro ipsis frequentiam communionis, postquam ad primam communionem rite fuerunt admissi; ac ab illis, non secus ac a reliquis fidelibus, sufficit exigere statum gratiæ cum recta mente, imo ipsis commendanda est frequens communio, ac omnia ita sunt ordinanda ut eis frequens ad S. Mensam patescat accessus: tanquam gravis proinde abusus reprobandus est et removendus mos quem Consultor testatur in pluribus diœcesibus hucusque viguisse, quatenus pueri et puellæ, ad primam communionem semel admissi, prohibebantur de S. Synaxi cito iterum participare.

Cæterum vigilandum est sedulò ut removeatur, in quantum fieri potest, periculum de quo suprà, in nota, ne scil. nonnulli ad S. Communionem accedant humana ratione ducti.

Circa *infirmos chronicos,* ab obligatione jejunii eximendos, dubium non solvit S. Congregatio, absque recursu ad Sanctissimum, cum agatur de moderanda lege generali Ecclesiæ; proposuit autem S. Pontifici solutionem dandam juxta mentem, quam non censuit divulgandam: videtur fuisse, quemadmodum putat *Monitore Ecclesiastico,* VIII, p. 350, ut S. Sedes indultum generale concedat, vi cujus chronici infirmi possint, non servata lege jejunii, communicare saltem semel in mense, et etiam frequentius, si degunt in ædibus in quibus SS. Sacramentum asservatur.

A. De Smet.

Fabriques d'église

Séance légale du mois de Janvier 1907.

En exécution de l'article 10 du décret du 30 Décembre 1809, les conseils de fabriques se réuniront, en séance ordinaire, le dimanche 6 Janvier 1907. V. *Collationes Brugenses,* t. IX, p. 710.

Consultationes

I

Q. Paulus, brevi post mortem uxoris, ad parochum accedit nuptias initurus cum ancilla quam ex adulterio impregnaverat; a parocho autem interrogatus fatetur mutuam intercessisse promissionem de matrimonio post obitum uxoris contrahendo. — Sciscitatur parochus quomodo procedendum sit cum hujusmodi nupturiente.

Respondetur.

Ex præhabitis obvium habetur impedimentum *criminis,* neutro machinante, ortum ex adulterio cum fide data. Quo posito primum officium parochi est inquirere utrum adulterium simul ac promissio matrimonii fuerint nota, ita ut impedimentum evaserit facto publicum, utrum vero manserint ignorata et occulta (1).

Si A/ reperiatur impedimentum esse *publicum,* vel saltem graves rationes id suadeant, procuranda est dispensatio *in foro externo*, juxta formam huic foro

(1) Quandonam impedimentum, coram stylo Curiæ, habendum sit qua publicum vel occultum facto, expositum videsis apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 415-419, ubi attendas dicta de impedimento materialiter publico et formaliter occulto.

propriam, quam dispensationem concedere valet Ordinarius Brugensis, vi quinquennalium S. C. de P. Fide, inter quæ occurrit, sub n° 5, facultas « dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante ».

Si contrà B/ *occultum* censetur impedimentum, impetranda est dispensatio *in foro interno*, sub fictis nominibus. Quò autem recurrendum sit, id pendet ab eo utrum tempus sit necne adeundi S. Sedem :

Si 1°/ locus est recursui Romano, procuranda est, sive immediate sive mediante Officiali, dispensatio S. Pœnitentiariæ : Ordinarius namque Brugensis, vi quinquennalium S. Pœnitentiariæ, non potest dispensare pro foro interno super occulto impedimento criminis, in matrimoniis contrahendis, *nisi in casibus urgentioribus;* facultate autem concessa in quinquennalibus S. C. de P. Fide, cujus facultatis usus ad casus urgentes non restringitur, nequit uti nisi pro solo foro externo, uti latius exposuimus apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 195-199.

Si 2°/ tempus urget, putà propter omnia ad nūptias parata vel propter provectam sponsæ prægnantiam, ita ut copia desit recurrendi ad S. Sedem, recurret parochus, tacitis nominibus, ad Ordinarium, qui, uti jam innuimus, habet, vi quinquennalium S. Pœnitentiariæ, facultatem dispensandi pro foro interno, super occulto criminis impedimento, « dummodò sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, *in casibus tamen urgentioribus* in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem ; injuncta... gravi pœnitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus, per tempus dispensantis arbitrio determinandum » (1).

Dispensatio, sive Apostolica sive Episcopalis, est postulanda nomine *utriusque* nupturientis et in utrius-

(1) *Liber Manualis*, ed. 2ª, p. 207.

que gratiam impetranda, siquidem utraque pars est criminis complex. Apostolica autem dispensatio committetur confessario ab oratoribus eligendo, et est exequenda ad normam dictorum apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 130-131; dispensatio vero Episcopalis, utpote data in forma gratiosa, est merè communicanda, utrique scilicet parti, injuncta, nomine Ordinarii, pœnitentia in dispensationis instrumento præscripta : quæ dispensationis communicatio et pœnitentiæ injunctio fieri potest extra actum sacramentalis confessionis.

Nota.

a/ Dispensatio pro foro interno concessa per se non suffragatur nisi pro foro conscientiæ, adeo ut, si postea publicum evadat impedimentum, regulariter opus sit nova dispensatione in foro externo valitura. Attamen, si constaret, post factum, dispensationem super dicto criminis impedimento bona fide fuisse petitam et obtentam, posset haberi etiam in foro externo uti valida, nec posset aut deberet judex ecclesiasticus in foro judiciario ad cognitionem impedimenti procedere nisi juridice denuntiatum fuerit. Id nempe explicite declaravit S. Sedes in documento in gratiam Archiepiscopi Cameracensis quondam concesso (1).

---

(1) « Beatissime Pater.

Hac in nostra diœcesi, ubi multæ sunt paroeciæ frequentissimæ, nempe 10000, 20000 et etiam 30000 incolarum, qui plerique sunt operarii, sæpissime mutantes domicilium, valde difficile est decernere utrum impedimentum adulterii cum fide data et acceptata publicum sit necne. Inde fit ut parochi plerumque nesciant utrum dispensatio petenda sit in foro externo an in foro interno.

Ad tollendam hac in re omnem anxietatem, suppliciter et enixe rogamus ut, in casu dubii, matrimonia habeantur licite et valide contracta, dummodò dispensatio concessa fuerit in foro interno. Insuper Archiepiscopus orator suppliciter rogat pro benigna sanatione matrimoniorum dicto impedimento laborantium, quatenus contracta fuerint in præterito sine debita dispensatione. Quod...

Cameraci, die Julii 1891.

(Sig.) C. J. DESTOMBES, V. G.

S. Pœnitentiaria dilecto in Xº oratori scribenti super præmissis respondet: Dispensationem super impedimento criminis ob adulterium cum

b/ Pœnitentia injuncta, sive in ipso rescripto determinetur, sive confessarii arbitrio relinquatur, est semper injungenda, etiam ubi injunctio certò non requiritur ad valorem (1). Quodsi meritò prævidetur nupturientem eam non esse accepturum, signanter quod spectat menstruam confessionem, qualis in nostro casu solet imponi, potest confessarius, antequam dispensationem Apostolicam exequatur vel etiam petat, adjuncta exponere coram S. Pœnitentiaria in ordine ad obtinendam pœnitentiæ mitigationem, quam a S. Sede non rarò concedi eruitur ex rescripto allato apud *Rev. théol. fr.*, 1900, p. 316-318; imo non videmus cur Episcopus, supposito casu urgenti, non posset, ex potestate quasi-ordinaria, hujusmodi mitigationem interdum inducere (2).

II

Q. Coram foro ecclesiastico proles naturalis pleno jure legitimatur per subsequens matrimonium parentum. Exinde quæritur quomodo constare debeat illam prolem esse prolem sponsi, cum ad hoc neque requiratur neque sufficiat declaratio nupturientium, juxta *Collat. Brug.*, t. VI, p. 121-122; *N. R. th.*, XXVIII, p. 693.

---

fide data petendam esse in foro externo, quoties graves rationes suadent tum adulterium tum promissionem matrimonii publice nota esse.

Cæterum sciat idem orator dispensationem quam constat bona fide, etiam in dubio notoreitatis, in foro externo habendam esse ut validam, nec debere aut posse judicem ecclesiasticum in foro judiciario ad cognitionem impedimenti procedere nisi juridice denuntiatum fuerit ».

Datum Romæ in S. Pœnit. die 29 Julii 1891.

Card. MONACO, Præf.

(1) Ita pro dispensatione vi quinquennalium S. Pœnitentiariæ concessa, monetur in ipso tenore *Pagellæ*: « injunctio confessionis sacramentalis... non est *irritativa*, sed tantum *præceptiva* ». Quoad ipsam quæstionem generalem cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 41, collatis pp. 282-283 et p. 554.

(2) Onus confessionis menstruæ, quæ ab Ordinario Brugensi urgetur, in nostro casu, per duos menses, potest, etiam absque recursu ad Episcopum, alleviari, suggerendo scilicet nupturienti, dum ipsi extrasacramentaliter dispensatio communicatur et pœnitentia injungitur, ut confessionem antenuptialem pro pœnitentia peragat, et sequenti mense alteram instituat.

Respondetur :

Notum est *ad ipsam prolis naturalis* (1) *legitimationem*, coram foro ecclesiastico, sufficere matrimonium subsequens inter parentes naturales, quo matrimonio, ipsa juris dispositione, legitimatur dicta proles (2); nec ulla ad hoc requiritur declaratio vel agnitio a parte parentum (3).

Ad hoc autem ut *constet de legitimatione,* adeoque ut tutò ad legitimationis inscriptionem procedatur :

1° *ordinarie opus est* declaratione nupturientium, qui declarent sese esse parentes prolis extra matrimonium natæ. Ad legitimationis namque beneficium non valet nisi matrimonium *inter ipsos parentes naturales* initum : de cujus conditionis verificatione passim non constabit aliter quam ex nupturientium, signanter matris, testimonio.

Dicitur *ordinarie,* quia potest contingere ut aliunde, ex variis scilicet indiciis et præsumptionibus, sufficiens de hoc habeatur certitudo : quo casu testimonium nupturientium non foret necessariò exquirendum ad inscriptionem legitimationis in registro.

2° *regulariter sufficit* declaratio *liberè* facta a nupturientibus, prolem suam esse contestantibus. Jam enim meritò præsumitur paternitas viri cui nubit prolis mater, quæ præsumptio, spontanea fide nupturientium corroborata, regulariter moralem inducit certitudinem,

---

1) Quid sit proles *naturalis* exponitur apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 45 s.; p. 120 et s.

(2) Disciplinam canonicam in hac re fuse descriptam ac probatam videsis *ibidem*, p. 119-122.

(3) Aliter in jure nostro civili Belgico, coram quo hujusmodi proles non legitimantur per subsequens matrimonium, nisi ea sub conditione quod a parentibus fuerint ante matrimonium, vel in ipso celebrationis matrimonii actu, formaliter ac legaliter agnitæ. Ita sonat art. 331 : « Les enfants nés hors mariage, autres que ceux nés d'un commerce incestueux ou adultérin, pourront être légitimés par le mariage subséquent de leurs père et mère, *lorsque ceux-ci les auront légalement reconnus avant leur mariage, ou qu'ils les reconnaîtront dans l'acte même de la célébration* ».

qua fretus parochus potest, salvà conscientià, legitimationis actum in registris inserere (1).

Dicitur *libere:* sæpe enim magistratus civilis minis cogit quasi nupturientes legaliter agnoscere proles etiam non suas, per manifestum abusum. Qua de re ut moneatur magistratus catholicus, ne id fiat, munus parochi est (2).

Dicitur: *regulariter*, quia, si in foro externo probatur prolem esse susceptam ex alieno patre, non potest, juxta dicta, apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 122, præfata proles qua legitima admitti, et qua talis in registro inscribi, non obstantibus declarationibus matris ejusve sponsi, non obstante etiam decreto legitimationis in foro civili.

Ita v. gr. si apparet sponsum, qui se patrem proclamat, a sponsa, prolis matre, fuisse absentem inde a 300a die usque ad 180m diem ante ejusdem prolis nativitatem, debet, ad normam art. 312 Codicis civilis, sponsi paternitas repudiari; item si, casus occurret quem, in civitate X, contigisse novimus, ubi sponsus, occasione matrimonii cum dicti filii matre, in suum agnovit filium sex tantum annis seipso juniorem, et quidem eo cum successu ut officialis civilis, non obstante rei absurditate, hujusmodi prolem qua legitimatam in registro communali inscripserit!

A. De Smet.

---

(1) In memoriam revocantur dispositiones in hac materia sapienter statutæ in *Pastorali Brugensi*, p. 278 s., quæ referentur apud *Collat. Brug.*, l. c., p. 122, nota (2).

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 122, ubi eumdem abusum reprobavimus, quatenus officiales civiles *cogunt* nupturientes ut tanquam suam agnoscant prolem, si qua sit, etiam ubi liquet sponsum non esse patrem naturalem; et exemplum hujusmodi præposteræ agendi rationis adducimus ad calcem consultationis. Cf. etiam *Theol. prakt. Quartalschrift*, 1901, p. 968-969, ubi exhibetur unum alterumve specimen pessimæ sequelæ ex falsa legitimatione forte consequendæ.

Nota Bibliographica

Epistolæ catholicæ explicatæ ad usum seminariorum et cleri, auctore J.-A. Van Steenkiste, Can. hon. eccl. cath. Brug. S. T. L. et per viginti annos S. Script. prof. in Sem. Brug. *Editio quarta* denuo emendata et notabiliter adaucta opera A. Camerlynck, S. T. D. et S. Script. prof. in eodem Sem. — Brugis, 1907, pp. 258 in-8°, pret. 3 fr. Apud C. Beyaert.

« Hæc *Commentarii in Epistolas catholicas* editio ordine quarta, in gratiam alumnorum Seminarii Brugensis edita, in omnibus sedulo fuit recognita, in multis adaucta, tum in Introductionibus ad varias epistolas tum in notis exegeticis. Præterea sæpissime textum Vulgatæ cum textu græco comparavimus, loca parallela Novi Testamenti ad singulos fere versus indicanda curavimus; et præter interpretationem accuratam ipsius textus sacri, nexum idearum tradere, necnon genuinam variorum auctorum doctrinam adumbrare conati sumus. Studia S. Scripturæ tantum hodie habere momentum quantum fortasse nunquam antea, adeoque ea in clericorum Seminariis ad temporum necessitates congruenter dirigenda esse, omnes fatentur. Idcirco varias critices eruditionisque quæstiones tractavimus eruditorum virorum, etiam acatholicorum, opinionibus sæpe adductis. Quia tamen in Seminariis adeo non potest obtineri quod in Academiis majoribus, ideo moderate eruditionis quæstionibus incubuimus, hinc inde punctum quoddam obiter attingentes quod magister oretenus in scholis, in quantum fert ratio temporis, evolvere possit, Quem in finem eos indicavimus auctores quos ceteris melius rem tractasse judicavimus. In singulis de authentia Epistolarum quæstionibus tum Traditionis documenta tum criteria interna perpendenda duximus. Verbo nunquam non attendimus monitis et consiliis Leonis XIII in litteris apostolicis « *Providentissimus Deus* », necnon Pii X in litteris apostolicis « *Quoniam in re biblica* » de ratione studiorum sacræ Scripturæ in Seminariis clericorum servanda.

Utrum et qua mensura proposito fecerimus satis, lector judicabit ».

Quibus verbis, e *præfatione* auctoris desumptis, subjicere juvat *approbationem* ab Ill° ac Rev° Waffelaert concessam:

« Hanc 4am editionem Commentarii R. adm. D. Van Steenkiste in *Epistolas Catholicas,* quam juxta sanæ interpretationis a R. D. Camerlynck, S. T. D. et SS. Litterarum professore in Seminario nostro, magna eruditionis copia concinnatam reperimus, libenter approbamus atque Clero quamplurimum commendamus ».

Brugis, 31 Octobris 1906.

† G. J., Episc. Brugen.

INDICES

I

INDEX ARTICULORUM

Documenta Romana

Pag.

Acta Pii X.

1906 Febr. 11. Encyclica qua damnatur lex inducens separationem Ecclesiæ a civitate in republica Gallicana 201

» Jan. 18. Constitutio Apostolica circa applicationem decreti *Tametsi* in Germania. . 285

» Mart. 19. Breve Beatificationis Ven. S. D. Juliæ Billiart 481

» Mart. 27. Litteræ Apostolicæ de ratione studiorum S. Scripturæ in seminariis clericorum servanda 281

» Jul. 16. Motu proprio de religiosorum sodalitatibus, inconsulta S. Sede, non instituendis 561

» Jul. 28. Encyclique aux Évêques d'Italie sur l'esprit d'insubordination dans le clergé 563

» Aug. 10. Encyclica ad Episcopos Galliæ de consociationibus civium cultus exercendi causa. 571

Ex Secretaria Brevium.

1906 Maii 30. Breve quo conceduntur novæ indulgentiæ archiconfraternitati S. Missæ Reparatricis 478

» Jul. 31. Indulgentia sodalibus societatis a SS. Rosario devote deferentibus signa ipsius Rosarii rursus conceditur . . 613

Pag.

Ex Congregatione S. Officii.

1902 Apr. 21. Communicatur textus authenticus decreti S. Officii de Probabilismo 26 Junii 1680 383
1906 Apr. 25. Determinatur forma brevis Extremæ Unctionis in casu imminentis mortis valida * (1). 527

Ex S. Congregatione Indicis.

1905 Dec. 13. Proscribuntur duo opera 130
1906 Apr. 5. Varia prohibentur opera 419

Ex Sacra Congregatione Concilii.

1905 Dec. 22. Decretum de Seminariorum alumnis. 217
1906 Febr. 17. Dubium de alienatione bonorum ecclesiasticorum *(titres au porteur)* *. . . 379
1905 Dec. 20. Solvuntur dubia circa communionem puerorum et infirmorum *. 717

Ex S. Congregatione Rituum.

1904 Jan. 8. *Parentin. et Polen* de festis solemnioribus in quibus prohibentur exequiæ *. 187
1905 Dec. 1. *Rhemen.* præcedens decretum elucidans *. 187
1904 Jul. 3. *Tergestina et Justinopolitana* reprobantur abusus in cantu infra missam. . . 195
1905 Jul. 7. *Atrebaten.* (dub. I) circa verba *Flectamus genua* in ordinationibus Pentecostes *. 413
» Nov. 24. *Buscoducen.* de diebus quibus prohibetur missa exequialis post biduum translata et post nuntium obitus acceptum celebrata * 188
» Nov. 24. *Dubiorum* de ornatu nigrorum paramentorum et pallæ calicis *. 196
» Dec. 1. *Ordinis Carmel. antiq. observantiæ* de benedictionibus in matutino in festo S. Familiæ * 195

(1) Signum * indicat decretum cui apponitur, adnotationibus esse illustratum.

Pag.

1905 Dec. 22. *Ordin. Fratr. Minor.:* stola pro impertienda Tertiariis absolutionem generalem sit coloris violacei *. . . . 416
1906 Jan. 19. *Ordin. Fratr. Minor.,* de collectis ab Ordinario imperatis, de missa conventuali lecta, de S. Communione ante vel post missam 520
» Febr. 14. Decretum de editione vaticana cantus gregoriani et signis rythmicis * . . 654
» Febr. 16. *Vilnen.*, de missa votiva *Rorate,* de expositione pyxidis et de reliquiis in altaris consecrandi sepulchro includendis *. 521
» Febr. 16. *Societatis Salesianæ*, de ritibus in SS. Sacramenti expositione servandis *. . 522
» Mart. 14. *Decretum* de clerico qui loco subdiaconi vel capellani in missa inservit * . . 664
» Mart. 17. *Samogitien.*, de absolutione ad tumulum post missam de die *. 526

Ex S. Congregatione Indulgentiarum.

1905 Jun. 3. Oratio pro propagatione pii usus communionis quotidianæ ditatur indulgentiis 52
» Aug. 19. *Cœur Sacré de Jésus, j'ai confiance en Vous.* 53
» Sept. 13. Plura dubia solvuntur quoad indulgentias lucrandas, notatim quoad indulgentias stationales et ecclesiam parochialem visitandam * 417
» Sept. 15. *Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum* 53
» Dec. 2. Duæ orationes ditantur indulgentiis . . 198
1906 Jan. 8. *Maria, onze hoop, heb medelijden met ons.* 199
» Jan. 10. *Domina Nostra SS. Sacramenti, o. p. n.* . 199
» Jan. 12. Oratio pro bona morte. 199
» Febr. 14. Qui quotidie communicare solent, possunt *absque hebdomadaria confessione* lucrari indulgentias occurrentes. . . 272

Pag.

Ex Commissione Pontificia de re biblica.

1906 Jun. 27. De Mosaica authentia Pentateuchi . . . 529

1905 Avr. 3. Lettre du Cardinal-Secrétaire d'État au Révérendissime Dom Pothier au sujet de la méthode de l'édition vaticane du chant grégorien * 648

Documenta Episcopalia

Prosynodalis Congregatio diœc. Brugensis 29 Maii 1906.

Oratio ab Illmo ac Rev^mo Episcopo in illa habita, qua exponit tentamina hostium religionis catholicæ ad extinguendam aut præpediendam fidem omnem in animis hominum per sparsa ubique scripta impia; per institutionem puerorum omni charactere christiano destitutam; — item ad minuendam reverentiam et obedientiam cuivis legitimæ potestati debitam; — et quibus modis a clero eis sit obsistendum 425

Ordinationes.

Prorogatur facultas Decanis diœcesis Brugensis facta benedicendi nolas recenter fusas. 431

Mandatur ut in Laudibus vespertinis, ante repositum SS. Sacramentum, recitentur invocationes *Benedictus Deus* etc. 431

Analecta Ascetica

Excerpta nonnulla ex libello *Formula de compositione hominis exterioris ad novitios*, quem tribuunt Fratri David ab Augusta. 6

65, 137, 221.

Conferentiarum quæstiones et responsa

Ex S. Scriptura Veteris Test.

Explicantur *Ecclesiastici* monita pro tentatione (II, 1-6). 18

Explicatur *Amos* V, 24-27 79

Ex S. Scriptura Novi Test.

Pag.

Diluitur objectio ab A. Loisy contra *quarti Evangelii* originem apostolicam mota 150

Dijudicatur aliquod effatum Loisy, quo contendit infirmare testimonium S. Irenæi in favorem authentiæ *IV Evangelii* 237

Explicatur *Jo.* XVI, 7-11 292

Demonstratur auctorem Ev. *S. Jo.* I, 14 et *I ep. S. Jo.* I, 1-3 se ut testem oculatum et corporalem vitæ Christi exhibere 338

Explicatur *Heb.* IX, 11-14 435

Ostenditur quibusnam et qua de causa scripta fuerit *epistola S. Jacobi* 490

Interpretatur ep. *S. Jac.* I, 12-15. 576

Ostenditur ad quosnam, ubi et quando conscripta sit *I ep. S. Petri* 618

Explicatur I Pet. I, 13-21 et ostenditur quomodo auctor lectores ad sanctitatem adhortetur 682

Ex Theologia Dogmatica.

Ex Tractatu de Verbo Incarnato.

Ostenditur quomodo peccatoris conversio ad Deum non constituat adæquata satisfactio pro injuria per peccatum mortale Deo illata 22

Explicatur cur, non obstante Christi adæquata et superabundanti satisfactione, hominum satisfactio pro suis peccatis non sit supervacanea 83

Exponitur quadruplex modus quo Passio Christi causavit salutem nostram 157

Exponitur quomodo Christus *ut homo* potuerit cognoscere se esse Deum 245

Demonstratur admittendam esse in Christo scientiam naturaliter acquisitam 296

Demonstratur nullum errorem admitti posse in Christo 343

Demonstratur admittendam esse in Christo, a primo instanti Incarnationis *intuitivam Dei visionem* 439

Pag.

Exponitur utrum admittenda sit in Christo *scientia per se infusa*. 493

Explicatur cur non admittenda sit in Christo ignorantia ulla 580

